UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE TRIBVS BONORVM || operum generibus,|| ELEEMOSYNA,|| IEIVNIO ET ORATIONE;|| deq́ue eorundem operum vi, vsu, & || ratione, LIBRI TRES,|| AVCTORE || THEODORO PELTANO SO-||cietatis IESV Theologo.|| AD ...

Peltanus, Theodor Anton

Ingolstadii, 1580

urn:nbn:de:hbz:466:1-46891

Visual Library

Th. 2787.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

J. XI.
20

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE TRIBVS BONORVM
operum generibus,

ELEEMOSYNA,
IEIVNIO ET ORATIONE;

deque eorundem operum vi, vsu, & ratione, LIBRI TRES,

AVCTORE

THEODORO PELTANO SOcietatis IESV Theologo.

AD

ILLVSTRISSIMVM ET SERENISS. PRINCIPEM GVILIELMVM vtriusque Bauariæ Ducem &c.

TOBIAE XII.

Bona est ORATIO cum IEIVNIO & ELEEMOSYNA, magis quàm thesauros auri recondere, &c.

CAPITVM *totius operis synopsin, vnà cum copioso* INDICE *lector post præfationem inueniet.*

Cum gratia & priuil. Cæs. Mai. & Superiorum facult.

INGOLSTADII
Apud DAVIDEM SARTORIVM.

Anno cIↃ. IↃ. Lxxx.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. GVILIELMO COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQVE Bauariæ Duci, Patrono benigniſs. THEODORVS PELTANVS de Societate IESV Theologus S. P. D.

CVM Anno LXXVI. de CHRISTI ſeruatoris, noſtráq; Satisfactione libros tres publicaſſem, ad operis inſtituti perfectionē, GVILIELME Princeps, neceſſarium eſſe omnino videbatur, vt nonnulla item de potiſſimis Satisfactionis noſtræ partibus deinceps cōſcriberem. Sed quia in omnibus penè concionibus de Eleemoſyna, Ieiunio, & Oratione, aut ſeparatim, aut coniunctè diſſereretur, Theologiq́; in Scholis, & ſacrorum Canonum interpretes, quæ quidem ſciri oporteret, ea omnia cumulatè ſtudioſeque docuiſſent, ego otium meum aliorſum conuertendum exiſtimaui. Poſtea verò à bonis doctisq́; viris commonefactus,

multa à Scholæ Theologis hîc disputata planiùs, & ad popularium captum accommodatiùs posse explicari: nonnulla ad hæc argumenti huius capita, quæ apud veteres habebantur certissima, ætate hac in cõtrouersiam vocari, ad opus, de quo cogitationem curamque omnem iampridem abieceram, regressus sum. Cùm itaque diligenter euoluissem illorum maximè commẽtarios, quos de Satisfactionis nostrę partibus, Oratione, Ieiunio, & Eleemosyna meliùs scripsisse constabat, eorumq; præsidiis meas copias auxissem & confirmassem, omnem tractationem tribus libris comprehendi, vt vnaquæq; materia cum suo libro absolueretur.

Hos autem libros tibi, GVILIELME Serenis. dicare constitui: cuius consilij mei factique rationem probabunt, quicunque tuam, & in cæteris virtutibus Christiano & Catholico principe dignam prorsus contentionem atque industriam, & in his tribus præsertim, acre inflammatumque studium probant. Probant autem, maioremque in modum deuenerantur hæc vniuersi. Neq; enim tùi tantùm

tùm Bauari, sed Germani penè omnes noue-
runt, quantopere, non dicam à luxus cœna-
rumque sumptuosarum reprehensione ab-
sis (nam ea laus multorum Principum com-
munis est) sed quàm libenter, quàm rigidè,
quàm crebrò à cibis abstineas, aliosque, vt
idem, diebus maximè ab Ecclesia sancitis, fa-
ciāt, horteris & imperio tuo compellas. Quis
porrò nesciat, qua misericordia ægrotorum
ac pauperum calamitatibus opem ferre so-
leas? ad quos medicos mittere, quos ipse in
squalore illo miseriisque iacentes visitare, &
cùm verbis leniſſimis consolari, tum libera-
liter erogata pecunia sustentare pro honore
habes; qui putàs te accipere beneficia, quoties
in quempiam beneficia contulisti. Quocirca
meritò te nō ciues modò integerrimum, mo-
deratissimum, humanissimumq; Principem
agnoscunt & prædicant, verùm pupillorum
quoque, egentium, infirmorumque homi-
num turba defensorem, curatorem atque pa-
rentem suum appellat. Quam quidem ego
laudem ex omnib⁹ laudibus tuis diuinissimā
duco, quando sic totius naturæ Principem

longè benignissimum conaris imitari, qui pupillum & viduam suscipit; cui relictus est pauper, & qui orphanorū est adiutor, vt Propheta canit: Delector etiam plurimùm quoties cogito, cogito autem sępissime, de eximia tua & commemorabili erga diuinum numē pietate. Cuius virtutis cùm sint variæ multęque actiones, nulla est propemodum, quam abs te non suscipi, in qua te non mirificè versari, et religiosissimè exerceri videamus. Templa quidem adeò frequens obis, votisque ac precibus faciendis adeò es deditus, vt hisce sanctissimis officiis nihil tibi videatur esse iucundius. Hæ causæ igitur primùm me impulerunt, vt meos tibi labores offerrem, virtutes inquam, tuæ, quarum excellēs præstantia incredibili me admiratione perculsum, amore tui vehementer incendit. Accedit, quòd tam multis magnisque beneficiis Societatem nostrā, quam ab initio ætatis egregiè semper charam habuisti, quotidie obligas, vt hanc vnam abs te iniuriam videamur accipere, quia magnitudine meritorum tuorum nos & viuere & mori cogis quodammodo

modo ingratos, quemadmodum Furnius homo Romanus Augusto dixisse fertur, à quo beneficium nescio quod impetrârat. Non potui præterea, nec fas esse duxi, committere, quin tibi hereditatem istam amplissimi principatus gratularer, & aliquo munusculo meā illustrissimæ domui vestræ deditissimam voluntatem ostenderē. Neque tamen meo duntaxat, sed omnium nostrū nomine tibi hanc successionem gratulor, optoque vt hoc patrimonium Deus Opt. Max. tibi bene fortunet. Cùm enim nostros omnes, etiam illos, qui extra fines ditionis tuæ viuunt, in tuis habeas, decet omnino, vt, quando tam præclara est data occasio, vicissim patrono communi studium nostrum officiumque probemus. Accipies igitur hoc munº, optime Princeps, quod ex tua nobilitate claritateque spectatum perexiguum, at ex animo meo, non mediocre videri potest. Quanquam principibus gratiores debeant esse, qui talia dona offerunt, quàm qui id largiuntur, quo ipsi egēt, Principes autem abundant, vt aurum cœlatum, gemmas, vestes precioſas. Nam hi mercaturam

caturam quandam facere videntur, nec tam apertè donare, quàm callidè vendere. Illi verò de suis opibus Principum nõ arcas, sed animos verissimè ditant, cùm videlicet, quo pacto secundum virtutem viuere, Deoq; & hominibus chari euadere debeant, luculenter exponũt. Vale, & qua via ad solidam verámque gloriam eniti cœpisti, illi, quoad anima superabis, constantissimè insistere pergas. Iterum vale, diuque & feliciter impera. Augustæ Vindelicorum 8. Idus Augusti, 1580.

AD LE-

AD LECTOREM PRÆFATIO.

CVR aliquid per otium interdum scribam, id alibi amice Lector, disertè exposui. Hoc porrò tritum & vulgare Argumentum quamobrem nunc demum scribendo sim persecutus, ex Epistola toti libro præfixa cognoscas licet. Paucis instituti mei rationem atque modum disce. Equidem non omnia, quæ de Eleemosyna, Ieiunio, & Oratione disputari potuissent, mihi hoc Opere explicanda censui: Quippè quæ adeò multa sint, vti quamuis molli brachio tractentur, nimis tamen longum futurum sit. Quæ potiora, eorumq; officiorum maximè propria videbantur, ea, vt breuiter ac perspicuè literis mandarem, elaborasse me non inficior. Fortè quò tendebam non perueni, adeoq; exspectationem tuam non prorsus expleui: Interim consumpti laboris nequaquam pœnitet.

Nam etsi hi libri præstantibus exercitatísque Theologis haud multum fortassis, mediocribus tamen & iis, qui in sacrarum literarum disciplina nullos adhuc, aut certè perquàm tenues progressus habent, aliquid, vt planè confidimus, emolumenti sunt allaturi. Quando non omnibus in Philosophia, & reconditis illis Scholasticorum Theologorum quæstionibus ætatem licet conterere: his præsertim, qui post breue tempus in liberalibus studiis collocatum, sacerdotium ineunt. De quo hominum genere bene qui meretur, is profectò Ecclesiæ, religioníque Catholicæ vtilíssimam nauat operam. Siquidem illi, cùm Parochiis administrandis præpositi, non sint eo ingenio præditi, nec ea doctrina imbuti, vt aliquid sua persona suóque officio dignum possint ad populum effari, quod quidem ex ipsorum pœnu depromptum sit, nec acutè conclusas rationes intelligentia facilè consequi valeãt, (Ex quo etiam fit, vt quippiam à scholæ Theologis mutuati, imprudentes interdum errent, dubia nimirum pro certis, & falsa pro veris in medium adferentes) quiuis iustus rerum æstimator videt, fructuosam valde Ecclesiæ operam illos

los sumere, qui ad tardiorum illorum pastorum captum sese dimittentes, ita doctiorum ingeniis obsequuntur, vt indoctiorum longè maiorem rationem ducant. Neque verò hac eam in partem accipi velim, quæ dico, quasi acutos insignitérque eruditos Scriptores despiciam, aut quosdam hebetis ingenij ineptosq; commendem; absit, sed vt intelligatur, illos quoq; Ecclesiæ studere, qui in medio consistere malunt, quàm ita scribere, (quod quidam nonnunquam faciunt) vt semetipsos, præ nimia subtilitate quandoque non satis capiant, nouisque argumentis pertractandis vulgi rumusculos aucupari videri queant potiùs, quàm operam dare, vt rebus notissimis paulò commodiùs explanatiusq; edisserendis ad communem vtilitatem aliquid adiungant. Mediocritatem rectè auream, hoc est, rebus omnibus anteponendam & vbiq; consectandam, vocauit Flaccus, quam nemo sapiens vnquam sibi negligendam putabit.

Tandem cùm alij quinque, alij duo talenta acceperint, eáque rectè collocent, liceat mihi in iis numerari, qui vnicum illud suum, quod acceperunt, in terram minimè defodiunt. Illa

sunt, quæ præfari volebam, mi Lector, ne scribendi tractandique rationem, quam cùm hîc, tum alibi quoque vsurpamus & vsurpauimus, inconsideratiùs reprehenderes, quod reliquum est feliciter vale, & nostrum in Ecclesiam studium candidè interpretare.



CAPITVM OMNIVM ET SINGVLORVM LIBRI de eleemosyna synopsis.

CAPITIS PRIMI PERIOCHA.

De eleemosyna, ieiunio, & oratione generatim & secundùm se absolutè.

SECVNDI.

De iis, quæ ad intrinsecam eleemosynæ rationem, vulgatamq́, eiusdem diuisionem pertinent.

TERTII.

De eleemosynarum vi, cùm in mali depulsione, tum in boni quoque procuratione.

QVARTI.

De eleemosynæ necessitate, siue de eo, quòd eleemosyna generatim accepta interdum cadat in præceptum.

QVINTI.

De extremæ egestatis casu, (hoc enim occurrente præceptum eleemosynarium obligare communiter dicitur) Discutitur hic quoque, num hic casus absolutam donationem semper exigat, an verò locationem, aut mutuationem interdum quoque admittat.

SEXTI.

De periculoso illorum statu, qui personæ superflua in egenos etiam infra extremam egestatem constitutos, vel in alias pias causas non erogant.

SEPTIMI.

De iis, qui eleemosynam donare possunt, vel non possunt.

OCTAVI.

De rebus, quas in eleemosynam erogare licet, vel non licet.

NONI.

De iis, quibus eleemosynaria præsidia salubriter administrantur, vel non administrantur.

DECIMI.

De illorum argumentis & rationibus, qui voluntariam religiosorum hominum mendicitatem oppugnant.

VNDECIMI.

De præcipuis fructuosæ eleemosynæ conditionibus, déque delectu & ordine, qui in eleemosynarum distributione obseruandus videtur.

CAPITVM OMNIVM ET SINGVLORVM LIBRI DE Ieiunio synopsis.

CAPITIS PRIMI PERIOCHA.

Ieiunium cum abstinentia non rectè confundi; rectè autem in liberũ & necessarium; & hoc rursum in naturale, Mosaicum, & Ecclesiasticum deduci.

SECVNDI.

Nullum alimenti genus ex se immundum, naturaliue, aut Euangelica lege inhibitum esse.

TERTII.

Ciborum delectum DEI verbo non esse contrarium, nec heri natum; sed antiquissimum, diuinisq; scripturis per omnia consentaneum.

QVARTI.

Iam inde ab Apostolorum ætate vsque ad hoc præsens æuum aliquem semper ciborum delectum in CHRISTI Ecclesia extitisse.

QVINTI.

Quæ Aëriani, cateríque, qui cum illis faciunt, contra ciborum delectum obiiciunt, ea nihil verè & efficaciter probare.

SEXTI.

Ieiunium ab Ecclesia indictum, constare non posse, si sæpius quàm semel interdiu corpus reficiatur.

SEPTIMI.

Qui Ecclesiastico ritu ieiunant, vel non prandere, sed tantùm cœnare; vel solito tardiùs prandere.

OCTAVI.

Non vnam ieiuniorum omnium rationem, neque parem eorundem obligationem esse, sed quorundam maiorem, aliorum minorem.

NONI.

Inter communia ieiunia, quodcunque tandem spectare lubeat, principem locum obtinere ieiunium Quadragesimæ.

DECIMI.

Quatuor temporum, & quarundam præterea vigiliarum ieiunium heri non esse natum, sed vnà cum Ecclesia inchoatum.

VNDE

VNDECIMI.

Ieiunia cùm in boni procuratione, tum in mali rursum depulsione insignè vi pollere, fructusq; si pio castoq; animo suscipiantur & perficiantur, admirabiles de se fundere.

DVODECIMI.

Non omne ieiunium esse liberum, tametsi per modum absoluti præcepti nihil in nouo Testamento de illius ratione cautum extet.

DECIMITERTII.

Ex Scripturis & Patribus euidens esse, non ea solùm legis vim obtinere, adeoq; in foro conscientiæ obligare, quæ DEVS *per seipsum proximè decernit, aut præcipit: Verùm ea etiam, quæ per legitimos Ecclesiæ vel Reipub. Magistratus iniungit.*

DECIMIQVARTI.

Vanas eorum rationes & argumenta esse, qui omnem humanis legibus vim & auctoritatem abrogant.

DECIMIQVINTI.

Ecclesiasticorum ieiuniorum legem non solùm obligare ad pœnam, verùm etiam ad culpam, etsi non semper ad mortiferam.

DECIMISEXTI.

Argumenta & rationes, quibus ætatis huius sectarij ieiunij legem oppugnant, vel oppugnare certè possent, nihil euincere.

DECIMISEPTIMI.

Quo docetur non omnes, qui Ecclesiastica ieiunia soluunt, præuaricatæ legis reatu constringi, sed eos solùm, qui citra legitimam causam illud faciunt.

CAPITVM OMNIVM ET SINGVLORVM LIBRI DE Oratione synopsis.

CAPITIS PRIMI PERIOCHA.

De deuotione eiusdemq; causis & effectis.

SECVNDI.

De oratione secundùm se, eiusdemq; partibus.

TER-

TERTII.

De orationis qualitate, quantitate, forma, caterisq; eiusdem comitibus & circumstantiis.

QVARTI.

De orationis vi cùm pro se, tum pro aliis quoque fusa.

QVINTI.

De praeparatione aliisq; nonnullis, quae orationis vim, si adsint, promouere nata sunt.

SEXTI.

De attentione, quatenus ad obtinendum praecipuos orationis effectus, vel explendum orationis praeceptum est necessaria.

SEPTIMI.

De orationis necessitate & erroribus, qui de hac necessitate quandoque extitere, & alicubi etiamnum extant.

OCTAVI.

De iniustis illorum querelis & calumnis, qui horarum Canonicarum rationem & vsum oppugnant.

NONI.

De cantu Ecclesiastico, iniquóque illorum studio, qui illum veluti rem insulsam & superstitiosam impugnant.

DECIMI.

De iis, quibus orare conuenit, vel non conuenit.

VNDECIMI.

De iis, quorum auxilium implorare licet, vel non licet.

DVODECIMI.

De iis, pro quibus orandum, vel non orandum est.

DECIMITERTII ET POSTREMI.

Quid inter orandum petendum sit, quidue honestè & licitè peti possit.

DE ELEE-

QVÆ INTER BONA OPERA, PRIMARIASQVE SATISFACTIONIS NOSTRAE PARTES PRINCIPATVM OBTINET,

LIBER PRIMVS.

De Eleemosyna, Ieiunio, & Oratione generatim & secundùm se absolutè.

CAPVT PRIMVM.

DE BONORVM OPERVM GENERIBVS, nostræque Satisfactionis partibus disputaturi, maioris ordinis lucisque causa, quid Satisfactionis nomine designetur, breuiter hoc loco repetere visum est. Satisfactio itaque generatim accepta, est integra rei debitæ solutio, vel iniuriæ alteri illatæ iusta compensatio. Presiùs sumpta est opus, quo DEO de admissa offensa fit satis.

Quid nomine Satisfactionis designetur.

HANC in imperfectam, perfectam, & absolutè iustam distribuere licet. Primum Satisfactionis genus, (vt quod nulla, neque legis, neque operis quoque iustitia nitatur) peccatoribus cum iustis commune est. Secundum in homines iustos tantùm conuenit. Tertium soli CHRISTO est proprium: hic vnus enim pro omnibus mortalium omnium peccatis ea plenitudine & vbertate fecit satis, vt ex parte præstitæ Satisfactionis, iure nihil ampliùs exigi possit.

Triplex Satisfactionis genus.

Christi Satisfactio cumulata.

NOSTRA, quam veteres Canonicam appellabant, est opus, vel actio, qua pœnæ tempore definitæ reatus aboletur: Nam etsi culpa condonata, æternæ mortis supplicium apud inferos constitutum semper condonetur, temporaria tamen pœna non semper.

Non omnis semper pœna cum noxa aboletur.

CVR non semper? quia Diuinæ iustitiæ ratio deposcebat, vt aliter in gratiam reciperentur, qui ante Baptismum per ignoran-

tiam deliquerant, aliter verò, qui semel à peccati, & dæmonis seruitio liberati, DEI templum denuo violare, & Spiritum sanctum, quem gratis acceperant, iterum contristare veriti non fuerant.

Causæ plures cur nõ tota semper pœna vnà cum culpa condonetur.

AT hæc DEI Opt. Max. clementiam, eiusdemq; sapientiam decebat, ne ea facilitate peccata nobis condonaret, vt occasione hinc accepta, peccata leuiora arbitrati, in grauiora subinde prolaberemur. Constat namque pœnas satisfactorias magnopere à peccato reuocare, pœnitentesq; veluti freno quodam intra recti limites continere. Tandem cùm peccatum citra iniustam oblectationem ferè non confletur, consentaneum erat, vt citra iustam quoque pœnam non expiaretur.

Pœna, vt pœna tantùm est, non expiat.

INTERIM non ea vis inest pœnæ, vt pœna tantùm est; sed vt CHRISTI sanguine imbuta, ad qualemcunque peccati vindictã susceptа est. Solius namque crucis & sanguinis CHRISTI pondere, nostræ perpessiones & actiones apud DEVM valent, quicquid tandẽ valent. Sine illo enim nulla prorsus æstimatione dignæ haberentur; ex illo verò id consequuntur, vt & verè sint satisfactoriæ, & verè rursum proprieque æternæ vitæ meritoriæ.

Omnis meriti & Satisfactionis basis & fundamentũ est crux Christi.

Tract. de nostra Satisfact.

QVAE hactenus sunt exposita, vel breuiter potiùs ex alio opere repetita, duo inter cætera ad salutarem & efficacẽ Satisfactionem necessaria esse ostendunt: Alterum horum est, vt is, qui satisfacit, sit iustus, Christoq; per gratiam adiunctus: Opera namque, quæ sine fide & charitate fiunt, vt ex se meritoria non sunt; ita de iustitia nec Satisfactoria quoq;: notum est enim illud Apostoli: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Duo ad salutarem Satisfactionem sunt necessaria.

1. Cor. 13.

ALTERVM est, vt opus eiusmodi suscipiatur, quod sua natura sit molestum, esto Satisfactioni operam danti molestiam nullam adferat: Neque enim omnes, qui in molestis actionibus sese exercent, doloris sensum statim hauriunt. Sæpe namque, vel patiendi consuetudo, vel incensa in DEVM charitas efficit, vt quæ perpessu alioqui sunt grauissima, ne sentiantur quidem: Neque ob id tamen non sunt Satisfactoria; siquidem ea doloris vacuitas non prouenit ex operis indole, sed ex operantis qualitate.

Efficax Satisfactio præter gratiam, deposcit opus sua natura molestum.

MOLESTORVM autem operum, etsi varia sunt nomina & genera, attamen pro bonorum ratione, quæ possidemus, hostiũq; numero, à quibus infestamur, & ad peccatum subinde pro ocamur,

Omnia meritoria & Satisfactoria opera ad tria capita referri possunt.

mur, omnia ad tria capita referri solent, nempe ad Eleemosynã, Ieiunium, & Orationem. Oratione placamus & promeremur DEVM; Eleemosyna, bene meremur de proximo; Ieiunio sanamus nos ipsos. Ieiunio rursum pugnamus cõtra carnis concupiscentiam; Eleemosyna contra oculorum cupiditatem; Oratione contra vitæ superbiam. Oratione tandem flagellamus diabolum; Ieiunio comprimimus lasciuientẽ carnis sensum; facultatum abdicatione calcamus mundi fastum.

Oratio ieiuniũ & Eleemosyna trifariam accipiuntur.

VNVMQVODLIBET horum trifariam, propriè videlicet, communiter, & vulgatissimè accipi potest. Orat propriè, qui rem honestam à DEO efflagitat: Communiter, qui mente in DEVM ascendit, vel rerum diuinarũ meditationi incumbit: Communissimè, qui bene agit: dici enim solet, eum semper orare, qui nunquam cessat benefacere. Ad eundem modum is propriè ieiunat, qui ab omnibus, vel aliquibus escis, secundùm legis præscriptum abstinet. Communiter, qui opus quodcunque, quo carnis petulantiam comprimat, exercet. Communissimè, qui ab omni opere vitioso se continet. Sic tandem propriè Eleemosynam donat, qui panem, vel pecuniam, vel quamlibet rem aliam egenti gratis propter DEVM præbet. Communiter, qui quoduis spiritale, vel corporale beneficium alteri, propter DEVM, vel naturalem cõmiserationem, exhibet. Vulgatissimè, qui opus quodcunque misericordiæ sibi vel alteri præstat: quò Salomon spectans, *Miserere*, inquiebat, *animæ tuæ placens Deo.* Eccles. 30.

Ieiunium, oratio & Eleemosyna communiter accepta latè patent.

IEIVNIVM itaque communiter sumptum, complectitur vigilias, peregrinationes, ξηροφαγίας, χαμευνίας, cilicia, flagella, cæteraque omnia effrenatam carnis libidinem coërcere nata: Oratio omnis generis spiritalia munia; vt sunt rerum cœlestium meditatio, Diuini verbi prædicatio, sacrorum voluminum explanatio, hæresum oppugnatio, aliaque eiusmodi non pauca: Eleemosyna legata ad pias causas, statas ἀγάπας, miserorũ tutelas, nosocomiorum, orphanotrophiorum, gerontocomiorum ædificationes, vel benignas eorundem fundationes; omnia denique charitatis officia egenti propter DEVM impensa.

Ieiunium oratio & Eleemosyna, vt nostræ Satisfactionis partes constituuntur.

CAETERVM vt tria hæc Satisfactionis nostræ partes cõstituuntur, non vsurpantur propriè: aliàs enim diuisio illa multò, quàm par est, angustior foret. Constat namq; multò plura esse

untur, nō vsurpantur propriè aut communissimè, sed communi quadam ratione.

Satisfactionis officia, quàm tria illa presſè ſumpta. Neq; vſurpantur rurſum communiſsimè: nam aliâs membra illa ſe inuicem includerent. Siquidem oratio latiſsimè accepta comprehendit omne opus bonum: Ieiunium excludit omne opus malum; Eleemoſyna complectitur omne charitatis officium ſibi vel alteri propter DEVM exhibitum. Vſurpantur autem communi quadā ratione. At verò licet res ita habeat, nos tamen intra propriam cuiuſque notionem nos continebimus: eſſet enim laboris infiniti ea omnia hoc loco explicare, quæ generali quadam ratione ad Eleemoſynam, Ieiunium, & orationem referuntur.

Ad Tit. 2.

GENTIVM Doctor Eleemoſynam iuſtitiæ, Ieiunium ſobrietatis, orationem pietatis vocabulo alicubi deſignat; ſcribit enim: *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, erudiens nos, vt abnegantes impietatē, & ſecularia deſideria, ſobriè, piè, & iuſtè in hoc ſæculo viuamus.* Sobrietatem debemus nobis, iuſtitiam proximo, pietatem DEO. Sobrietate rurſum cœleſtem vitam inchoamus, iuſtitia confirmamus, pietate conſummamus. Sobrietas tandē conciliat admirationem, iuſtitia beneuolentiam, pietas reuerentiam: Miramur namque, ſi boni ſumus, caſtos & ſobrios; exoſculamur beneficos; veneramur pios & religioſos.

Quid ſit piè, iuſtè & ſobriè viuere quidq; inter tria hæc intercedat.

Matth. 6. Chriſtus Dominus vno cōmuni iuſtitiæ vocabulo Ieiunium, Eleemoſynam, & orationē complectitur.

CHRISTVS Seruator noſter omnia hæc, vno communi iuſtitiæ nomine complectitur: *Attendite*, ait, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis, alioqui mercedē non habebitis apud Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Et ne, de qua iuſtitia iſtud aſſereret, clā eſſet, ſtatim ſubiungit: *Cùm ergo facis Eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis, vt honorificentur ab hominibus.* rurſum: *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus.* tandem: *Cùm ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Hæc ille de tribus Chriſtianæ iuſtitiæ membris, noſtræque Satisfactionis partibus.

Serm. 43.

DE arcta porrò trium horum inter ſe neceſsitudine, mirificáque eorundem virtute Petrus Chryſologus Rauenatium Antiſtes alicubi ita ſcribit: Tria ſunt, fratres, per quæ ſtat fides, conſtat deuotio, manet virtus. Oratio, Ieiunium, & miſericordia. Quod oratio pulſat, impetrat Ieiunium, miſericordia accipit. Oratio, miſericordia, & Ieiunium, ſunt tria hæc vnum, dant hæc ſibi inuicem

cem vitã. Est namq; Orationis anima Ieiunium, ieiunij vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Hæc Chrysologus de familiari orationis, ieiunij, & Eleemosynæ societate. De earundem autem vi, dum iuncto agmine incedunt, in eodem sermone hæc subiicit.

Orationis anima Ieiunium, ieiunij vita misericordia.

Si volumus Moysi gloriæ, Heliæ vitæ, Ioannis virtutibus omniumque Sanctorũ meritis applicari, insistamus orationi, vacemus ieiunio, seruiamus misericordiæ. Qui in his vixerit, qui per illa fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatũ laqueos, arma mortis Christianus armiger non timebit. & infrà:

Admirabiles Eleemosynæ, ieiunij & orationis vires dũ cõsociantur.

Haec sunt, fratres, quæ tenent cœli arcem, quæ secretum Dei iudicis pulsant, quæ ante Christi tribunal causas humani generis exequuntur, quæ iniustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cœlestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris. Hæc cùm in cœlestibus principatum obtineant, in terris rerum summam moderantur. Hæc regunt prospera, hæc aduersa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt; hæc reddunt casta corpora, corda pura; hæc pacem membris, mẽtibus dant quietem, humanos ista sensus scholam faciunt disciplinæ. Per hæc in templum Dei humana pectora consurgunt. Hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem. Hucusque Chrysologus.

Spectat huc quoque hæc Magni Leonis oratio: tria sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, Oratio videlicet, Ieiunium, & Eleemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum est; sed illud est studiosiùs obseruandũ, quod Apostolicis accepimus traditionibus consecratum. Oratione Dei propitiatio quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, Eleemosyna peccata redimuntur. Hæc triplex obseruantia, dilectissimi omnium virtutum comprehendit effectus; Hæc ad imaginem & similitudinem Dei peruenit, & à Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in oratione permanet fides recta; in ieiunio innocens vita, in Eleemosyna mens benigna.

Serm. 1. de ieiũ mense Sept.

Et hæc rursum Bernardi: Tria sunt, à quibus abstinere debent, quicunque iustificari desiderant. Primo vtique ab operibus prauis; secundo à carnalibus desideriis; tertio à sæculi curis. Item

Insent. sect. 11.

tria sunt, quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte, Eleemosyna, ieiunium, & oratio. Sic enim adimpletur iustitia, dum ab interdictis vitiis abstinent, & bona, quæ præcepta sunt, exercent. Opponantur ergo prauis operibus, opera misericordiæ: contra carnalia desideria, adhibeantur ieiunia, & pro curis sæculi succedat amor DEI, & frequentia orationis.

Matth. 6.

De perfect. iustit. resp. 13.

Eleemosyna volat ad cœlũ per orationẽ & ieiunium.

ET hæc tandem Aurelij Augustini. Iustitia hominis in hac vita ieiunium, Eleemosyna, oratio. Vis Eleemosynam tuã volare ad DEVM, fac illi duas alas, ieiunium, & orationẽ. Similia de ieiunij, orationis, & Eleemosynæ vi, germanaq; eorundem societate, passim obuia sunt apud alios. Vix enim scriptorẽ veterem comperias, qui hæc veluti socia vniuscuiuspiam corporis membra non connectat, admirandasque efficiendi vires eisdem non tribuat.

AT verò licet tria hæc consociata, magna vi polleant; attamẽ à se inuicem diuulsa suum quoque robur obtinent. Ecquodnam ex illis maius inquis? Hoc vno verbo definiri non potest, nam vt singula aliam atque aliam considerationem admittunt; ita singula alia atque alia ratione se inuicem excedunt. Considerari enim possunt, vt vitæ æternæ sunt meritoria; vt præteritorum scelerum expiatoria; vt quædam prophylactica animi pharmaca; vt in hæc vel illa incidunt tempora; vt ab hoc tandem vel illo, hac vel illa suscipiuntur de causa. Hæc enim omnia illorum vires augere & diminuere nata sunt. Nulli enim dubium est, si spectentur, vt sunt quædam spiritales medicinæ peculiaribus animi morbis oppositæ, quin vnum vni morbi generi magis aduersetur, quàm alterum: Neque enim frustra à Domino dictum est: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.* Sic quoque vt non idẽ semper ieiunantium, aut precantium, aut Eleemosynam erogantium est mentis status, nec eadem corporum constitutio, nec eadem externorum commodorum facultas; ita non idem quoque ab omnibus prouenit mẽritum: vni namque copiosius meritum obtingit ex ieiunio, alteri ex orationis studio, alteri ex erogato in egenos patrimonio.

Ieiunium, Eleemosyna, & oratio alia & alia ratione se inuicem excedunt.

Matth. 17. Marci. 9.

VERVMENIMVERÒ, quòd hæc, aliaque similia sint extra operum, de quibus hîc sermo est, naturam; dici queat, vt rationis particeps, virtute in se complectitur sensu & vita præditum; ita Eleemosynam, quasi totum quoddam potentiale, vtriusque operis vim

Eleemosyna propter adiuncta cæteris potentiis expiat.

vim in se continere, adeoque propter amplitudinem illam cæteris potentiùs expiare. Nam qui eo, quo par est, animo Eleemosynam erogant, non solùm CHRISTVM in suis membris recreant, sed certa quadam ratione oratione quoque litant, & ieiunāt. Nam, vt Philosopho placet, dona iis sunt affinia, quæ DEO consecrantur. Plurimum ad hæc, qui dandis Eleemosynis dediti sunt, quò commodiùs id, quod student, præstare valeant, parciùs sumptus faciunt; at hæc interim Eleemosyna ex adiunctis habet. Ethicor. 4.

QVOD si illam à ieiunio & oratione, tanquam membrum ab illis prorsus distinctū disiungas, primas inter Satisfactionis officia partes ieiunio tribues: siquidem pari posita charitate cæterisque exæquatis, illud opus est magis Satisfactorium, quod maiorē molestiam, vel pœnam ex se adiunctā habet (Nam in Satisfactione, ex parte operis necessaria, & quasi intrinseca conditio est molestia vel pœna) ieiunatio autem sua natura magis cruciat, quàm oratio, vel Eleemosynæ distributio. Secundùm se itaque ieiunium est magis Satisfactorium, quàm Eleemosyna. Ieiunium inter puras Satisfactionis partes primas obtinet.

NEC oppositum euincunt, qui Eleemosynæ inter bona opera primatum tribuunt: Nam etsi communi lege, omne opus meritorium, simul quoque sit Satisfactorium, non est tamen idem prorsus mereri, quod satisfacere: meritum namque, eiusdemque quantitas præcipuè spectatur ex operis bonitate: Quare quò vnumquodque opus secundùm se fuerit præstantius, eò magis est meritorium: At verò Satisfactio, quòd ad debitæ pœnæ expiationem deposcatur, exigit quidem opus bonum, potissimum tamē, quod in ea spectari solet, est molestia & crux: pœna namque per pœnam pensatur. Cùm ergo ieiunium magis affligat & cruciet, quàm oratio & Eleemosyna, expiabit & redimet his quoque efficaciùs; ex adiunctis tamen Eleemosyna cæteris expiat potentiùs. Etsi omne opus meritoriū simul etiā sit Satisfactorium, non idem tamē esse mereri, quod satisfacere.

ET hæc de ieiunio, Eleemosyna, & oratione, vt nostræ Satisfactionis partes sunt, generatim dicta sint, nunc de singulis seorsum est disserendum, & primò quidem de Eleemosyna: Huic nāque CHRISTVS Dominus primum, inter Christianæ iustitiæ partes, locum assignat. Matth. 6.

De iis,

De iis, quæ ad intrinsecam Eleemosynæ rationem vulgatámque eiusdem diuisionem pertinent.

CAPVT SECVNDVM.

Virtutũ prima & maxima charitas.

INTER omnes virtutes principatum obtinet Charitas. Huius internus effectus, & quasi germana soboles, est misericordia, externus autẽ Eleemosyna.

Lib. de beat. Quid misericordia secundùm Greg. Nyss. & August. Lib. 9. cap. 5. de ciuit.

MISERICORDIAM Gregorius Nyssenus, cùm voluntariam tristitiam ex alieno incommodo conflatam; tum piam rursus in eos, qui cum aduersa fortuna conflictãtur, affectionem appellat. Augustinus cordis compassionem, qua, pro vt possumus, alienæ miseriæ subuenimus. Alij aliis verbis nobilem hanc virtutem delineant.

Quę sint partes & munia misericordiæ.

PROPRIVM munus huius est, ex quadam animi commiseratione, in proximi malum ferri; non quò illud foueat, vel puniat, verùm quò secundùm rationis ordinem depellat. Nam vt misereri, non quò subleues, sed quò punias, etsi legitimo ordine id facias, non est opus misericordiæ, sed iustitiæ; ita contra legem, vel rationis ordinem misereri, non est virtutis, sed vitij.

Vt fides duo denotat, ita Eleemosyna quoq;.

NOMINE Eleemosynæ generatim acceptæ & id denotatur, quod ex pia quadam animi συμπαθείᾳ ad propulsandam alterius miseriam erogatur, quodcunque tandem istud fuerit; & illud rursum, quod ad erogandum impellit. Nam vt fides modò id, quo creditur, hoc est, fidei habitum; modò id, quod creditur, hoc est, fidei obiectum significat; ita eleemosynæ vocabulum vtrumque insinuat; nempe illud, quod inopi propter CHRISTVM, vel aliam honestam causam datur, & id rursum, quod ad dandum animum inclinat; siue illud sit charitas, siue misericordia, siue aliud quodcunque eiusmodi.

Quid Eleemosyna pressè sumpta.

ELEEMOSYNA pressè sumpta illud est & appellatur, quod inopi ex commiseratione, ad subleuandam illius inopiam, gratis propter, vel secundùm DEVM præstatur. Ex qua Eleemosynæ descriptione planũ euadit, iusta principum vectigalia, tum legitima quoque ministrorum Ecclesiæ stipendia, inter propriæ rationis Eleemosynas iure censeri non posse: siquidem non conferuntur hęc illis gratis, vt alimentum egenti, sed vt iusta merces laboranti. Quare vtrique, omni quoque egestate secluſa, contra negantes,

Sacerdotum stipendia, & principũ vectigalia nõ sunt propriæ rationis Eleemosynæ.

vel

vel fraudem facientes iuridica actio conuenit; hæc autem pauperibus, etiamsi graui inopia premantur, ordinariè contra diuites eleemosynam negantes non conuenit.

CONSEQVITVR hinc rursum, quod de industria in diuites erogatur, vel ex iis, quæ priuatæ vitæ, aut familiæ sustentandę absolutè necessaria sunt, erogatur, vel in nullum egentium commodum erogatur, illud proprię eleemosynæ appellatione non venire. Non primum, nam quod ex proposito diuitibus donatur, illud neque ex commiseratione donatur, (ni qui forsan sint diuites, qui per fraudem egestatem mentiantur) neque ad tollendam illorum inopiam vel miseriam donatur. Non secundum, quia quod contra charitatis ordinem erogatur, non erogatur secundùm DEVM: nam vt DEVS author est charitatis, ita ordinis quoque, quem illa dictat. At contra charitatis ordinem erogatur, quod ex rebus vitæ absolutè necessariis erogatur. Non tertium, nam quod ad præsentem, vel proximè impendentem calamitatem profligandam calamitoso vsui esse non potest, hoc illi pro eo loco, tempore, rerumq; statu necessarium non est, (ecquid enim fame pereunti cum veste, aut frigore obtorpescenti cum pane?) atque ideo Eleemosynæ nomine aptè designari non potest. Sequitur hinc tandem, quod Pharisaico supercilio propter inanem gloriam, aut aliam turpem causam exponitur, id propriam eleemosynę rationem non assequi, tametsi vulgò in eleemosynis habeatur: quia non exponitur illud propter DEVM, vel alium finem honestum.

Quod diuiti de industria donatur non satis rectè eleemosynã vocari.

Quod cõtra charitatis ordinem donatur, nõ donari secundùm DEVM.

ACTVS Eleemosynarij principia sunt duo: alterum externum, alterum internum. Principium externum est proximi miseria, vel inopia: internum proximum, est misericordia: proximo vicinum est Charitas: siquidem proximi amor commiserationis, & opis hinc natæ, plurimùm est causa. Remotum autem eiusdem principium est liberalitas, remotius adhuc iustitia. Nam etsi hæc secundùm se absolutè non spectet proximi miseriam, nihil tamen vetat, quò minùs aliqua illius pars illam spectet.

Actus Eleemosynarij principia duo.

Thom. 22. 32. 1. & 4. d. 15. 2. 1. 3.

IMO verò tot interna etiam proxima eleemosynæ principia constitui possunt, quot sunt fines, quos quisque eleemosynam elargiens sibi præfigit, vel quot causæ, quæ ad eleemosynarium opus allectant. Constat autem has plurimas esse posse, non

Idem effectus ex diuersis causis prodire potest.

solùm studiosas, verumetiam vitiosas. Potest namque idem ad numerum effectus ex diuersis causis prodire, & interdum quoque ab oppositis. Certum est enim, si duo vnà eundem vestiunt, alter propter DEVM, alter propter inanis gloriæ aucupium, vnum illum vestiendi actum, quòd in genere moris ex duobus oppositis principiis oriatur, virtuti simul & vitio affinem esse: hoc quidem, vt imperatur à popularis gloriæ cupiditate; illud verò, vt nascitur ex charitate. Colligitur hinc, vt ex præcedentibus quoque,

Eleemosyna virtutis actum sonat verius quàm habitum.

eleemosynam imperatum virtutis actum rectiùs appellari, quàm virtutis habitum: quamuis hoc ipsum quoque appellari queat, & sæpe etiam appellari soleat.

DE ELEEMOSYNAE IN SVAS PARTES distributione.

Vt vires secernũtur per actus, ita actus per obiecta.

AD eleemosynæ verò partitionẽ quod attinet, ea haud meliùs aliunde, quàm ab externo eiusdem principio peti potest. Nam vt vires dinoscuntur, & secernuntur per actus; ita actus per obiecta; sunt enim hæc inter se connexa. Quamobrem si externum operum misericordiæ principium, & quasi obiectum, circa quod, vel perpetuò, vel præcipuè occupatur, est hominis indigentia, tot vtique assignandæ erunt operum misericordiæ formæ, vel eleemosynarum species, quot generales mortalium habentur miseriæ, vel egestates: siquidem misericordia fertur in hominis miseriam, quò eam amoliatur. Atqui vt omnis omnino homo ex anima & corpore constituitur; ita omnes quoque humanæ miseriæ, aut in corpore, aut in anima, aut in vtroque simul grassatur.

Tot eleemosynarum formæ, quot cõmunes mortalium miseriæ.

MALVM corporis rebus plerunque; morbi autem & ægritudines animæ plurimùm verbis profligantur: neutrum tamen horum altero præcisè: nam & rebus spiritus, & verbis rursum corporis incommodum interdum depellitur. Verba, quibus alterius ægritudini medemur, spiritalis: res autem, quibus idem præstamus, corporalis eleemosynæ voce exprimitur. Non quòd hæ necessariò corpus sint, aut res corporata; illa simpliciter spiritus; sed quòd hæ ad propulsandam humani corporis miseriam; illa ad subleuandam spiritalem hominis ægrimoniam adhibeantur.

Corporales eleemosynæ maiorem partem rebº, spiritales autem verbis plurimùm cõstant.

HOMO

Externi hominis triplex consideratio.

HOMO quatenus corpore constat, vitáque & sensu pollet, ne in aliquod vitæ discrimen veniat, eget cibo & potu: tum tecto rursum & indumento. His quidem tanquam externis animalis vitę præsidiis; illis verò tanquam internis eiusdem vitę fomentis. Aegrè autem habens, aut propter vincula externa libertate carens, cùm his ipsis, tum cura quoque, & ex vinculis liberatione. Vi tandem, aut morbo extinctus, sepulturam funerisque honorem deposcit. Iam qui his corporis incommodis ex charitate obuiam eunt, corporalia misericordię opera, aut corporales eleemosynas exhibere dicuntur.

Triplex itidem interni hominis status.

VT verò homini interno, hoc est, hominis animo bene, vel certè minùs malè sit, ante omnia, ne in grauius aliquod peccatum prolabatur, curatum oportet. Mox ne huc prolapsus, diu multumque hîc hæreat. Postremò ne patrato sceleri obstinatiùs adhęrescens, sensim immedicabilis euadat, adeóque in contracto peccato vitam tandem malè finiat. Prolapsionem in peccatum prępediunt, cùm sanum in dubiis consilium, tum fida rursum & diligens in rebus, quarum notitia ad salutem vel statum est necessaria, instructio. Tum blanda denique in aduersis fortunæ fluctibus, vehementioríque animi ęgritudine, consolatio. Neque enim pauci perperam ob id agunt, vel etiam credunt, quòd quid facto, vel credito opus est, non satis intelligunt, vel quòd in rebus aduersis neminem, cuius opera in meliorem spem erigantur, præstò habeant.

Prolapsionẽ in peccatũ tria impediunt.

Pertinacem in peccato moram tria itidem impediunt.

AT pertinacem verò in peccato moram præpedire licebit, si iniuriam nobis irrogatam patienter dissimulabimus, veniamque poscentes amanter complectemur. DEO porrò, vel proximo illatam impunè abire non sinemus; verùm pro peccantis qualitate, modò leni, modò acri obiurgatione excipiemus, alióue commodo modo sanare studebimus. Multi namq; ob id deteriores euadunt, quòd veniam ab iis, quos fortè lęserant, impetrare non possunt, vel quòd eiusmodi æquo duriores experiatur, vel certè quòd à nemine commodè admoneantur, aut pro meritorum ratione castigentur.

Quomodo sanandi obstinati improbi.

OBSTINATE tandem improbi, hoc est, ad eum mentis statum iam adducti, vt nullã amplius admonitionem ferant, aut nullum consilium admittant, DEO, qui ex lapidibus filios Abrahæ

Ad omnes animi morbos sanandos plurimùm valet oratio.

exuscitare potest, feruida oratione commendandi sunt. Imò verò ad omnes omnino animi morbos sanandos, plurimùm valet ardens ad DEVM deprecatio. Per orationem namque & stantes, ne in noxam ruant, fulciuntur; & lapsi, ne vsque in peccati sordibus hæreant, eriguntur; & obstinatè scelerati, ne inobstinati animi prauitate aliquando extinguantur, persæpe emolliuntur.

Qui corporales, qui item spirituales eleemosynas impendunt.

PAVCIS, qui esurientem pascunt; sitienti potum offerunt; nudum vestiunt; hospitio destitutum tecto recipiunt; in vincula coniectum redimunt; morbo pressum inuisunt; vitæ huius munere perfunctum, sepeliunt, omnium rectè sentientium iudicio, corporalem eleemosynam impendunt. Spiritalem verò, qui sui muneris ignarum docet, perplexo, quidue agere debeat dubio, consulunt; mœstum solantur; peccantem corrigunt; iniuriam acceptam condonant; prauis moribus onerosum patientia vincunt, nec non ad sanæ mentis consilium adducunt; pro peccatoribus tandem, præcipuè verò contumacibus preces fundunt.

De morib. Manich.

DE his Christianæ charitatis officiis, Augustinus alicubi scribit in hunc modum: Vt homo homini appareat, anima rationalis est, mortali atq; terreno corpore vtens. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit, qui hominem diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominatur; ad animam autem disciplina. Sed medicinam nunc voco, quicquid omnino corporis, vel tuetur, vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantùm, quæ ars eorum exhibet, qui propriè medici nominantur; sed etiam cibus & potus, tegmen & tectum, defensio denique omnis & munitio, qua nostrum corpus aduersùs externos ictus actusque seruatur. Nam & fames, & sitis, & frigus, & æstus, & quicquid extrinsecùs grauiter infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt; & paucis interiectis subdit: Quis non concedat, ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cùm subuenit inopi, cùm esurienti cibum præbet, potumque sitienti? cùm vestit nudum, cùm peregrinum tecto suscipit, cùm oppressum liberat, denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? hæc ille de corporalibus misericordiæ operibus, de corporalibus porrò & spiritalibus mixtim in Enchiridio ad Laurentium hæc exponit.

Qui hominem diligit, non animo tantùm, sed corpori quoque benignè facit.

Medicinæ vocabulum latè patet auctore Aug.

NON

NON solùm, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuentionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti, eleemosynam dat; verumetiam & qui veniam dat peccanti, & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coërcet aliquem disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab eo læsus est aut offensus, dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non solùm in eo, quod dimittit vel orat, verumetiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Similia multa comperies apud Gregorium, Ambrosium, Prosperum, Basilium, & alios veteres scriptores. Cap 72. Ench. Eleemosynã dat, qui quocunque modo misericordiam præstat.

QVIN sacræ quoq; literæ præclaram horum omnium mentionem faciunt; etsi istud non vno modo, nec ea quoque, quam hîc assignauimus, serie. Siquidem nonnunquam suadent; quandoque mandant; interdum quid sancti homines fecerint, simpliciter narrant; quemadmodum istuc ex illo Tobiæ cognoscere licet. *Tobias autem quotidie pergebat, per omnem cognationem suam, & consolabatur eo; diuidebatque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Et ex illo rursum Gen. *Cumque Abraham eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram, & dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. sed adferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore; ponamque buccellam panis, vt confortetur cor vestrum, postea transibitis.* Et infrà: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis; qui cùm vidisset eos, surrexit & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, diuertite in domum pueri vestri, & manete ibi; lauate pedes vestros, & manè proficiscimini viam vestram. Qui dixerunt minimè; sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum; ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* & ex illo tandem Iob: Scripturæ opera misericordiæ nõ solùm laudãt, & prædicant, sed etiam mandant, & iubent. Cap. 2. Cap 18. Cap. 19.

Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Si despexi præterCap. 31.

euntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem, humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus confringatur. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit: oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum, & mœrentium consolator. Hæc omnia simplici rei gestæ narratione constant.

ABSOLVTI porrò præcepti speciem, præ se fert illud Deuteronomij: *Nõ deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, quitecum versatur in terra.* Consilij tandẽ, vel communis præcepti illud Tobiæ: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuã ab vllo paupere. Quo modo potueris, ita esto misericors.* & illa rursum CHRISTI: *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Item: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et illud Apostoli: *Beneficentiæ nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur* DEVS. & alio rursum loco: *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* & illud tandem Salomonis: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Hæc omnia de corporali eleemosyna concionantur: Ad spiritalem autem spectat istud CHRISTI:

EGO dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis. rursum: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* & infrà: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eũ inter te et ipsum solum.* & hæc rursum Pauli: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeãt. Prædica verbum opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* item: *Rogamus vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes: debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere.* & in alia Epistola: *Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* & hæc tandem Apostoli Iacobi: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicẽ, vt saluemini: multùm enim valet deprecatio iusti assidua.*

Matth. 5. Matth. 6. Matth. 18. 1. Timot. 5. 1. Timot. 4. 1. Thess. 5. Cap. 5.

& in-

& infrà: *Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Mittimus reliqua, ne in re non prorsus obscura, nimij simus: Solùm monuerim, non deesse graues theologos, qui isthæc maiorem partem præcepti vi pollere asserant. Eod. cap.

VTRAE autem eleemosynæ alteris præstent, hoc est, spiritalésne corporalibus, an è diuerso corporales spiritalibus, id prolixa disputatione nulla indiget: Nam qui ratione vtuntur, eam ferè proportionem inter has & illas intercedere intelligunt, quæ inter corpus & spiritum: At spiritum corpori præstare, apud homines non omnino indoctos compertissimum est. Verùm licet spiritales secundùm se absolutè corporalibus habeantur potiores, (nam & spiritali actu constant, & res secundùm se spiritales sunt, & ad finem spiritalem referuntur, & pestibus spiritalibus medentur) vsu tamen venire potest, & sæpe quoque venire solet, vt corporales sint magis necessariæ, adeóque DEO Opt. Max. magis gratæ, vt si ad has consilium tantùm prouocet, ad illos autem præceptum, vel necessitas vrgeat. Quamuis spiritales eleemosynæ corporalibus sint potiores, nõ tamen semper id esse.

De eleemosynarum vi, cùm in mali depulsione, tum in boni quoque procuratione.

CAPVT TERTIVM.

QVID sit eleemosyna, quod illius munus, quod obiectum, quæ tandem eiusdem partes, vel species, breuiter explicatum est hactenus, proximum est, vt de illius viribus nonnulla quoque in medium adferamus: siquidem cuiusq; rei naturã consequitur sua vis, & operatio. Et quamuis ex iis, quæ paulò antè disputata sunt, vtcunque id colligi queat, euadet nihilosciùs aliquantò planiùs, si pauca quædam seorsum, & quasi ex instituto ea de re disseruerimus.

VT autem ordine procedamus, ex antè disputatis vt certum hîc ponimus, eleemosynam opus, vel fructum, vel effectum misericordiæ esse; hanc verò germanam charitatis sobolem; charitatem autem inter omnes virtutes absolutè principatum obtinere. Iam si charitas arbor est vsque adeò nobilis, habitus vsque adeò efficax, Eleemosyna est actus misericordiæ.

Qualis arbor, talis fructus.

efficax, qualitas vsq; adeò illustris, non poterunt profectò omnes illius fructus & effectus, cùm interni, tum externi; cùm propinqui, tum remoti quoque non nobilissimi & efficacissimi esse.

Inter internos charitatis effectus misericordia primatum obtinet.

INTER internos autem charitatis effectus præcipui habentur pax, gaudium, & misericordia, quæ gaudio & paci hactenus præstat, quatenus duo hæc eius, cui adsunt, limites non excedunt: Qui enim in Domino gaudet, solus gaudet; sic quoque, qui interna conscientię pace fruitur, solus fruitur. Misericordia autem priuato bono non contenta, ad omnes sese defundit, deque omnibus benè mereri contendit; & id quidem eò largiùs & ardentiùs, quò ipsa secundùm se maior extiterit. Quamobrem cùm DEI benignitas nullis largitionibus exhauriatur, ciusdemque clementia, & misericordia nullis cancellis contineatur, fit, vt misereri & parcere illius proprium esse dicatur, paterque misericordiarum, ac DEVS totius consolationis in scripturis appelletur.

Cur misereri & parcere Deo proprium dicatur.

Aliter in DEO, aliter in homine est misericordia.

EST nihilominus alio modo & ratione misericordia in DEO, alia in nobis: In nobis enim est, non modò secundùm externum effectum vel vsum, cùm proximo benignè facimus, verumetiam secundùm internum animi affectum: Quandoquidem inspecta proximi miseria, nisi duri admodum simus, statim propter naturæ cognationem eidem compatimur, vicemque illius quasi propriam indolemus. Quare etiam misericordia per tristitiam definiri solet. In DEO autem ita est secundùm se, & externum quoque effectum, vt nullam tamen tristitiam ipsi adferat; adeóque virtutis tantùm, non etiam passionis rationem in DEO sortitur, in nobis autem vtriusque.

Misericordia in Deo nõ sortitur rationem passionis vt in nobis, sed tantùm virtutis.

Misericordia & eleemosyna se habent vt causa & proprius eius effectus.

Eleemosyna nomine misericordiæ & charitatis sæpe exprimit.

INTER externos autem charitatis effectus potiores censentur beneficentia, & eleemosyna, quæ vtique aliud nihil est, quàm vsus, vel actus, vel opus misericordiæ: habent se namque duo hæc eo ferè modo, quo causa & proprius eius effectus. Et quia causæ frequenter sui effectus appellatione designantur, & vice versa, fit vt eleemosyna non rarò misericordiæ, & interdum quoque charitatis, quæ misericordiæ parens est, nomine exprimatur. Imò verò antiqui distributiones, quę in egenos fiebant; tum epulas quoque, quæ publicè pietatis studio viduis, aliisque pauperibus exhibebantur, familiariùs ἀγάπας, hoc est, charitates, quam ἐλεημοσύνας appellabant. Sed neque dubium est quoq; Apostolum Iudam

ad

ad hanc ipsam etiam notionem spectasse,dū de improbis quibusdam ministris, inter cætera ita scribit: οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, hoc est, hi sunt in epulis vestris, quas nimirum recreandis refocillandisque inopibus de more exhibetis, maculæ, inter se conuiuantes. Quid? quòd vox hæc adeò iam olim in eo sensu recepta fuerit, vt etiamnum multis in locis stipem emendicantes, dicere soleant: Fac charitatem,hoc est, da eleemosynam.

Sectarū ministri in publicis cōuiuiis maculæ.

CVM itaque charitas inter omnes virtutes, quæ ordinem ad proximum dicunt,imò verò inter omnes simpliciter, primas obtineat; neque vllam in vniuersa sua sobole misericordia præstantiorem,aut diuinıorem,aut fœcundiorem habeat, eaque, dum in opus prodit,eadem omnino sit cum eleemosyna, consequens fit, omnes illas prærogatiuas omnesq; efficiendi vires, quæ charitati attribui solent, suo quoque modo misericordiæ & eleemosynæ ascribi posse. Cùm illę itaque sint minimè paucę, miniméq; vulgares,planū fit,ingentes esse spiritales opes, quas benigna & alacris eleemosyna parit. Et hęc quidem ad persuadendum misericordię vsum eruditis sat esse poterant. Verùm quòd pręsens doctrina magis in simplicium commodum, quàm in eruditorum vsum tradatur;quodq; generatim asserta cordis aures minùs ferire,audientiumq; animos lentiùs irritare consueuerint,quàm quę speciatim, vel sigillatim explicantur, placet ad quosdam peculiares eleemosynę effectus orationem accommodare, pręsidio ad hoc, partim ex scripturis, partim quoq; ex veterum monumentis petito mutuatóque.

Quicquid charitati, hoc suo etiā modo eleemosynæ & misericordiæ tribui potest.

EX Euangelio itaque manifestum est, totum id amplissima mercede pensari,semperq; pensatum esse, quod pio animi studio in CHRISTVM confertur:Nam cùm vnus hic sit benignissimus, ditissimus,& potentissimus,fieri omnino non potest,vt cumulatissimè illud non reponat,quod ingenuè & liberaliter ipsi impensum fuerat: siue id cibus erat, siue potus, siue pecunia, siue aliud quodcunq; corporis præsidiū: (Siquidem de corporalibus eleemosynis ex instituto hîc differimus, & in posterum differemus; spiritales enim alium locū deposcunt.)Atqui quicquid in CHRISTI membra confertur, hoc totum, ipsomet iudice & teste, in ipsum confertur; sicut vice quoq; versa, quicquid egentibus eiusdem membris iniustè denegatur,vel per vim aut fraudem subtra-

Amplissima mercede pensāt, quod in Christū confertur.

Quod Christi membris impenditur,hoc Christo impenditur.

C hitur

hitur hoc totum ipsi denegatur & subtrahitur; quid enim ait?
Matth.25. *Amen amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* rursum: *Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Hæc CHRISTVS, ex cuius verbis aliud in eleemosynarum commendationem argumentum inferri potest.

ETENIM quo nostra infirmitas sanatur, nuditas tegitur, libertas vindicatur, inopia subleuatur, omnisque, vt paucis dicam, miseria nostra propulsatur, illud inter præcipua commoda nostra iure meritóque censeri valet; ast quicquid egenti proximo, siue à nobis, siue ab aliis quibuscunque impenditur, hoc totum certa quadam ratione nobis ipsis impenditur: Quandoquidem non minor est coniunctio membrorum inter se, quàm membrorum cum capite. Cùm ergo, quicquid vni membro impenditur, hoc capiti, vt testis, qui mentiri nequit, authoritate iam probatum est, impendatur: consequens fit, totum illud, quod vni corporis membro impenditur, cæteris eiusdem corporis membris hactenus impendi, quatenus vnius corporis membra sunt. Cùm igitur vnius corporis membra, vnius ciuitatis ciues, vnius principis subditi, vnius patris filij, vnius Domini & patrisfamiliàs serui simus omnes, efficitur, vt id totum certo modo nobis impendatur, quod proximo nostro impenditur.

Quicquid proximo egẽti impenditur, certa quadam ratione nobis impenditur.

ET vt cæteri omnes nihil quicquam ad nos pertinerent, adhuc quiddam diuinum, planéque honorificum foret, alteri benignè facere, déque omnibus bene mereri. Si gloriam ex diuitiis quæris, scribit Ambrosius, cognosce, quia melius est mille filiorum, quos per misericordiam acquiris, patrem vocari, quàm mille aureorum Dominum dici. Quamuis ergo eleemosynæ nobis nihil prodessent, vt nihil prodesse statuunt, qui omnem meriti, omnemque satisfactionis rationem è medio tollunt: adhuc lucrum minimè vulgare haberi deberet, quòd nostris συναώμοις, hoc est, concorporalibus prosunt. Verùm tantum abest, vt erogantibus nihil prosint, vt illis vel maximè vtiles & salutares sint; siue malum spectes, quod propulsare natę sunt; siue bonum, quod conciliare solitæ sunt; siue aliud quodcunque istiusmodi.

Honorificum est de altero bene mereri.

Serm.81.

DE MALIS, QVAE PER OPERA misericordiæ profligantur.

QVAE

QVAE de malorum profligatione, & bonorum conciliatione dixi, exponam clariùs. Certum est, inter mala, quæ in hominem cadunt, aut quouis quoque casu cadere possunt, principem locum tenere peccatum, mortem, & infernum: At ab his omnibus liberat eleemosyna; scriptum est namque: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras.* rursum: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Ad hunc scripturæ locum Diuus Cyprianus alicubi ita scribit:

Inter mala arcẽ tenẽt peccatum, mors, infernus.

Tob. 4.
Eccles. 3.
Serm. de ope. & ele.

OSTENDITVR hîc, quia sicut lauacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo peccatorum remissio datur assidua: & iugis eleemosynæ operatio, Baptismum imitata, Dei rursum indulgentiam largitur. Eodem sensu exponit hunc Ecclesiastici locum B. Maximus quoque.

Eleemosyna salutaris lauacri æmula.

SI ita, ait ille, eleemosyna extinguit peccatum; sicut aqua Baptismi gehennæ extinguit incendium: ergo eleemosyna est quodam modo aliud animarum lauacrum, nisi, quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Et sermone proximè sequente: Mundiùs eleemosyna, quàm puteus detergit maculas; quia putei aqua corporis tantùm cutem abluit, misericordiæ autem bonitas interna animæ purificat.

Ser. de Elee.

Eleemosyna indulgentior quodam modo Baptismo.

PERTINET huc quoque illud Augustini: Facilè curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit pauperum; & misericordiam accipiet, qui proximo pietatis officia nõ denegat. Et illud eiusdem: In horreis nostris habeamus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguat. Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicunque misertus fuerit, miserebitur ei, da panem cùm potes, quia nemo esurit in inferno; nec habebis post mortem frumentum; nec inuenies illic aliquando mendicum, quia non erit tempus miserendi. & illud item: Fratres mei charissimi, nunquam recordor, me legisse, mala morte periisse illum, qui libenter opera pietatis & charitatis voluit exercere.

Ser. 76. de temp.
Li. 50. hom. 39.
Misericordia obstruit infernum.
Ser. 46. ad fr. in ere.
Misericordiæ operibus dediti mala morte nũquam pereunt.

Lib. de promiſ. p.2. cap.7.

ET illud rurſum B. Proſperi. Scribis & Phariſæis ſingulare ſacrificium oſtendit, dicens: *Veruntamen, quod ſupereſt, date eleemoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis.* O quàm breue compendioſumq; ſacrificium, quod intrinſecùs atque extrinſecùs totum hominem mundat. *Eleemoſyna enim à morte liberat, & ipſa peccata purgat. Eleemoſyna munus bonum eſt omnibus facientibus eam coram Domino.* Et illud itidem Iſidori: In tantum eleemoſynarum opera extinguunt peccata, atq; in tantum ad regnum futuri ſæculi proficiunt, vt etiam Iudex cœleſtis in futuro iudicio veniens, in dextera conſiſtentibus dicat: *Venite benedicti patris mei percipite præparatum vobis regnum &c.* & illud tandem Chryſoſtomi:

Luc. 11. Eleemoſyna totum hominem mundat. Tob. 4.

Lib. 3. ca. 64. de ſum. bon.

Matth. 25.

EIA chariſsimi oſtendamus, qualiter eleemoſyna eſt ars omnium artium quæſtuoſiſsima. Si enim artis eſt proprium, ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemoſyna verò nihil eſt vtilius, clarum eſt profectò, quòd & ars ſit, & omnium artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neq; veſtimenta contexit, neq; has luteas domos ædificat; verùm æternam adminiſtrat vitam, & ex mortis manibus eripit, & in vtraq; vita charos exhibet, & manſiones ædificat in cœlis, & æterna parat tabernacula. Hæc lampades noſtras non ſinit extingui, nec ſordidis indutos veſtibus in ipſis videri; ſed lauat, & niue mundiores reddit. Si namq; fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Non ſinit eô decidere, vbi diues ille, nec audire verba tremenda; ſed in Abrahæ ſinus deducit. Hæc omnia claris, diſertis, & illuſtribus verbis probant, eleemoſynam liberare à peccato, morte, & inferno, quæ malorum omnium ſunt maxima.

Homil. 33. ad Ant. hom. 53. in Matth.

Eleemoſyna ars artiũ omnium quæſtuoſiſsima.

Luc. 16.

IAM ſi eleemoſyna liberat ab inferno, quacunque tandem ratione, aut modo iſtud faciat, multò magis liberabit à purgatorij ignis incendio: conſtat enim hoc illo multis partibus minus eſſe. Rurſum ſi eadem liberat à peccato; (ſiue id faciat eleemoſynarij erogantis animum ad fidem & iuſtificationem præparando; quod ex Apoſtolorum actis in Cornelio Centurione locum habuiſſe didicimus: ſiue eundem iuſtificationis gratia iam ornatum, à lapſu præſeruando, iuxta illud Salomonis: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula; non te pigeat viſitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.* Firmatur autem hactenus charitas, quatenus per bonorum operum vſum aucta vegetatáque, vitiis,

Eleemoſyna liberat à purgatorio. Act. 10.

Eccleſ. 7.

Quo ſenſu Eleemoſyna liberare dicat à peccato.

vitiis, quibus oppugnatur, faciliùs obsistit: Siue eundem illum tempestiuè post lapsum, ne magis subinde sordescat, erigendo: consentaneum est enim, qui lapso manum clementer porrigit, eum, si fortè ceciderit, porrecta manu vicissim subleuari: siue alio quocunque modo) multò magis liberabit à quibuscunque peccatorum reliquiis. Atque hoc neutiquam obscurè indicat illud CHRISTI: *Quod superest*, ait, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11.

DENIQVE si eleemosyna liberat à spiritali morte, hoc est, à peccato & inferno, & interdum quoque ab impendente corporali nece; quemadmodum multis illud exemplis, si opus foret, ostendi facilè posset, liberabit ab iis nonnunquam quoque, quæ viam ad illam muniunt; vt sunt morbi, pericula, insidiæ, aliáque id genus complura: neque hoc quoque sacræ literæ dissimulant; scriptum est enim:

Eleemosynæ liberat ab iis, quæ viam ad mortẽ muniunt.

BEATVS vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruabit eum, & viuificabit eum; & nõ tradet eum in animam inimicorum eius. Dominus opem feret illi super lectum doloris eius: ita enim efferũtur hæc in Hebræo & Chaldæo cõtextu. Psal. 40.

Rursum: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa liberabit te ab omni afflictione.* Eccles. 29.

Demum: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; duc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum: & erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur*, hoc est, ab omni calamitate & peste liber euades. Esai. 58.

Liquet hinc ergo, nullum ferè extare malum, à quo eleemosyna non liberet, vel liberare nõ queat. Quare etiam apud pios omnes receptum videmus, vt in omni propemodum periculo & calamitate, ab eleemosyna præsidium petant, etsi nõ ab hac sola.

DE BONIS, QVAE PER ELEEMOsynam conciliantur.

IAM licèt ex malorum multitudine & magnitudine, quæ per eleemosynam præpediuntur, & è medio submouentur, haud difficulter colligi queat, quantum roboris in cuiusuis generis bonis conciliandis & procurandis habeat misericordia; attamẽ euadet res hęc aliquantò illustrior, si de hisce bonis & commodis seperatim nonnulla proposuerimus.

Bonum generatim acceptũ est bipertitum.

Est autem bonum generatim acceptum bipertitum: vnum transnaturale, alterum naturale; & hoc rursum vel internum, vel externum. Ad primum bonorum genus pertinet gratia, & gloria, & cætera, quæ ad illa referuntur. Ad secundum omnia interna animæ & corporis bona. Ad tertium omnia fortunæ commoda. Ad horum autem omnium adeptionem, conseruationem, & augmentationem conferunt eleemosynæ pio candidóq; animo erogatæ.

Eleemosynæ cõferunt ad cuiusuis generis boni adeptionẽ, conseruationem & augmentationẽ.

Eleemosyna gratiam cõciliat & auget.

Quod autem eleemosyna gratiam præstet, diuinumq; fauorem, & amicitiam conciliet, id validè probant, quæ de peccatorum expiatione paulò antè allata sunt: siquidem omne illud, quod peccatum tollit, hoc gratiam asciscit, & vice versa. Quòd eadem rursum præsentem gratiam augeat & confirmet, id nulla probatione indiget. Quandoquidem omne omnino opus bonum, propter Deum susceptum, æternæ vitę est meritorium, adeóque gratiæ augendę idoneum; eleemosyna autem ex pia iustáque voluntate orta, est opus bonum, Deóque apprimè gratum.

Tobiæ 4.
Prouer. 19.
Eccles. 4.
Eccles. 7.
2. Cor. 9.

Ad hunc cœlestem eleemosynę effectum pertinet illud Tobię: *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et illud Salomonis: *Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino: Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Et illud Ecclesiastici: *Animam esurientem ne despexeris. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius.* Et illud eiusdẽ: *Exorare et facere eleemosynã ne despicias; pauperi porrige manum tuã, vt perficiatur propitiatio, et benedictio tua.* Et illud tandem Apostoli: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Certum est enim, quod de fiducia, spiritali fœnore, benedictione, filiatione, & propitiatione hîc dicitur, hoc totum ad gratiam, vel certè ad aliquid, quod viam ad gratiam aperit, pertinere.

Lib. 1. offic.
Qui nudum vestit, seipsum induit.
Luc. 11.

Spectat huc illud Ambrosij quoque: Nihil ita commendat Christianum animum, quàm misericordia. Si nudum vestis, te ipsum induis; si suscipis egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris est ista gratia; corporalia seminas, & recipis spiritalia; miraris iudicia Domini de sancto Iob, mirare virtutes eius, qui poterat dicere:

Oculus

Oculus eram cæcorum, & pes claudorum, & infirmorum pater. Velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus; ostium meum omni venienti patebat. Beatus planè, de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exibat: neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem. & illud rursum Gregorij Nazianzeni: Iob 31. Psal. 40.

NVLLA res est, quæ DEI beneuolentiam perinde conciliet ac misericordia. Nec vlli alteri rei potiùs, quàm humanitati & commiserationi, commiseratio & humanitas ab eo rependi solet, qui summa æquitate vnumquemque remuneratur; atque in lance & mensura misericordiam constituit. Et illud tandem Magni Leonis: Nulla deuotione fidelium magis delectatur Dominus, quàm ista, quę pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Orat. de pau. amo. Nihil æquè Deũ conciliat, atque misericordia. Ser. 10. de ieiun. quadrag.

IAM cùm totum illud, quod confert ad gratiam, vitamque spiritalem, conferat quoque ad cœlestem gloriam (nec enim aliud est gratia, quàm quoddam gloriæ semen, virtute & energia illam in se continens:) conficitur, vt ea omnia, quæ de gratia, eiusdemque præsidiis dicta sunt, ad cœlestem gloriam transferre liceat. Verùm quò ad sanctum hoc, hominéque Christiano dignissimum opus, magis incendantur, qui isthæc fortè lecturi sunt, pauca quædam, quæ proximè de gloria concionantur, ex Scripturis & Patribus in hunc locum adferre lubet. Apud Matthæum igitur ita legimus: *Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; Esuriui enim; & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me, &c.* Quicquid confert ad gratiam, simul quoq; cõfert ad gloriam. Cap. 25.

AD hunc locum, qui sanè nobilissimus, & ad permouendos animos bene affectos efficacissimus est, Beatus CYPRIANVS sermone de Opere & eleemosyna ita scribit: Quæ erit illa, fratres charissimi, operantium gloria? quàm grandis & summa lætitia, cùm populum suum DOMINVS cœperit recensere, & meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna; pro modicis DEVS pro terrenis cœlestia, p modicis magna, pro temporalibus sempiterna reddit.

modicis magna prẽstare,& offerre nos patri &c. Huic planè consonum est illud Ambrosij:

Serm. 31. CONSIDERA, quanta tibi tunc erit gloria, cùm te omnis ille populus, qui ex promptuariis tuis pastus est, pro tribunali magni illius iudicis caterua constipante circumdabit, pastorem se suum, ac tutorem pium, & misericordem patrem omni gratiarum voce testabitur. Mete ergo vberes pecunię tuę fructus, orationes dico pauperum, intercessionesque Sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores, apud iustum iudicem DEVM dignis operum tuorum allegationibus postulent.

AD cœlestis gloriæ præmium per eleemosynas comparandum, facit hoc CHRISTI Seruatoris quoque: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hic Gregorius Nazianzenus: Si quid mihi auscultandum putabitis serui, & cohęredes CHRISTI, CHRISTVM, quàm diu licet, inuisamus, CHRISTVM colligamus, CHRISTVM honoremus, non solùm mensa, vt quidam; nec vnguentis, vt MARIA; nec sepulchro duntaxat, vt Ioseph ab Arimathia; nec deniq; auro, thure, & myrrha, vt Magi: Sed quoniam omnium Dominus misericordiam mauult, quàm sacrificium, ac pinguium agnorum myriades commiseratio superat, hanc per pauperes, humiq; prostratos ipsi conferamus, vt cùm hinc excesserimus, in æterna tabernacula nos recipiant. Et illud rursum Greg. Magni: Regnum DEI tantum valet, quantum habes: valuit Zachæo dimidium substantiæ, valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaque DEI tantum valet, quantum habes. Et illud tandem Ezechielis Prophetæ: *Vir si iustus fuerit, & fecerit iudicium, & iustitiam: Panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, vita viuet*, non vtique misera & fluxa hac, quæ diu consistere nequit, verùm beata illa & fortunata, quę finem nescit.

Luc. 16. Orat. de amor. paup. Luc. 7. Ioan. 12. Marc. 15. Matth. 2. Matth. 10. Homil. 5. in Euangel. Luc. 19. Marc. 12. Cap. 18.

Eleemosynę augent fortunæ bona.

TANDEM quòd eleemosynarum studium non tantùm cœlestia, internáque animæ & corporis bona promoueat, verumetiam externa, fortunæque casibus obiecta, illud non modò Scripturę disertis verbis affirmant, & Sancti passim prędicant; sed innumera quoque exempla confirmant. Notum est enim illud Salomonis: *Qui dat pauperi, non indigebit: Qui despicit deprecantem, sustinbite iniuriam.* Et illud eiusdem: *Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt;*

Prouer. 28. Prouer. 11.

sunt; alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. Et ante hunc locum: DEVM *honora de tua substantia; & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et illud Pauli: *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Et illud CHRISTI: *Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et illud Leonis primi: Non timeatur in iis expensis defectio facultatum; quoniam ipsa benignitas magna substãtia est. Nec potest largitatis deesse materies, vbi CHRISTVS, & pascit, & pascitur. Et illud Petri Chrysologi: Quod tu in misericordia fuderis, hoc tibi in horreo redundat. Ne ergo seruando perdas, collige erogando. Da tibi, quod tu alteri reliqueris, non habebis. Et illud denique Magni Basilij: Quemadmodum frumentum in terra lapsum, lucrum fit illi, qui proiicit: sic panis esurienti obiectus, multiplicem vtilitatem reddit. Quid igitur anxius es? quid affligis teipsum? luto & lateribus diuitias cõcludere contendens? HAEC Scripturæ & Patres illi de incremento, quod eleemosynæ externis bonis adferunt. QVOD si quis isthæc exemplis illustrare instituat, finẽ haud facilè inueniet: extant enim præter quotidiana, penè innumera vetusta, omni cauillatione euidentiora, è quibus vnum duntaxat hoc loco in medium adferre placet. Leontius igitur in historia, quam de Ioan. eleemosynarij vita edidit, inter alia refert, sanctissimum virum ex iis, qui præ cæteris in pauperes benigni videbantur, percunctari solitum, quanam ratione, vel occasione, ad illam commiserationis gratiam peruenissent; inter alios autem vnum oblatum, qui ita responderit:

ERAM, crede mihi Domine, priùs valdè immisericors, & crudelis: semel autem iacturam feci, & in paupertatem deueni. Cœpit autem cogitatio mea dicere mihi: Verè si esses misericors, non relinqueret te DEVS. Statui ergo apud me per singulos dies dare quinque æreos nummos pauperibus. Et cùm cœpissem dare, statim Satanas prohibebat me dicẽs: Verè quinq; nummi sufficiunt domui tuæ ad olera, vel ad balneum percipiendum; & statim quasi id ex natorum meorum faucibus eriperem, nihil dabam. Cùm verò animaduertissem, quòd à vitio superarer, dico puero meo: per singulos dies furâre, me nescient, quinque nummos, & da eleemosynam. (sum enim ego Trapezita Domine) Ille: D verò

Prouer. 3.

2. Cor. 9. Matth 10.

Sermo. 10. de Quadr.

Serm. 43.

Homil. 2. ad diui.

In vit. Ioan. eleemosyn.

DEVS non deserit misericordes.

verò benefaciens cœpit furari denarios: Erat autem aliquando & siliqua. Cùm ergo vidisset, quia benedicebamur, & diuitiis abũdabamus, cœpit & tremisses furari, & dare. Semel itaq; admirans benedictiones Dei, dixi ei: Verè multùm profuerunt quinque isti nummi; volo ergo, vt des decem. Tunc mihi dixit puer subridendo: Vade, gratias age furtis meis: Nam verè hodie non haberemus, quod manducaremus; sed si est fur iustus, ego sum: Tunc ergo dixit, quo modo tremisses dabat & siliquas. Et iam ex fide illius assueui, Domine, ex animo dare. Aedificatus ergo Sanctus valdè, dixit ad eum: Crede mihi, multas conuersationes Patrum legi, tale aliquid non audiui.

Id solum ex bonis fluxis nos comitatur, quod erogamꝰ in pauperes.

Ser. 81.

Et vt maximè totum illud, quod in pauperes erogatur, simpliciter, citra vllam spem reditus, à sorte decederet, adhuc insigne lucrum est, vnum hoc solùm ex iis omnibus, quæ in bonis externis habemus, hinc nos abeuntes comitari, quod in pauperes, aliosq; pios vsus expendimus: reliqua omnia, vel nos deserunt, vel nos illa, velimus nolimus, deserimus. De hoc eleemosynarũ fructu ita scribit Ambrosius: Facultates relinquẽtur hîc, etiamsi nolumus; bonorum autem operum conscientia, nobiscum pariter pergit ad Devm. Hæc Ambrosius, à cuius sententia non multùm recedit illud Augustini: Felix operarius cultor eleemosynarum, eò quòd ære suo comparauerit cœlum; & dans panem esurientibus, delictorum suorum presit incendia. In tali causa operarius felix viuit, & securus moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum; in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando.

Lib. 50. Hom. 39.

Lib. 3. cap. 64. resum.

Facit ad idem quoq; illud Isidori: Grauiter in Devm delinquunt, qui diuitiis à Deo concessis nõ in rebus salutaribus; sed in vsibus prauis vtuntur. Nesciunt impertiri pauperibus, oppressis subuenire despiciunt; & inde magis augent delicta, vnde redimere debuerunt. Hoc tantùm habet boni possessio præsentium rerum, si vitam reficiat miserorum. Præter hoc tentatio est mundi lucrum, tantóq; maiora supplicia in futurum dabunt, quantò hęc ipsa maiora sunt. *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Terrena omnia seruando amittimus, largiendo seruamus. Et illud rursum Basilij Magni: Habes horrea, si voles, domus pauperum; reconde tibi ipsi thesaurum in cœlo: Quæ illic reponuntur, non depascun-

Sap. 6.

Terrena seruando amittimus, largiẽdo seruamus.

tur

tur tineæ, non corrodit caries, non prædantur fures. & illud tandem B. Chryſoſtomi: Quæ ſtultitiaeſt, illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quô iturus es. Illic ergo ſubſtantiam tuã colloces, vbi patriam habes. Patet ex his ergo, admirabiles eſſe eleemoſynarum vires, tam in bonis comparandis & ſtabiliendis, quàm in malis propulſandis, & auertendis.

DICIS: quomodo res merè corporea edere poteſt fructus vſque adeò diuinos & admirabiles? Reſpondetur, eleemoſynam non parere eiuſmodi fructus, vt res quædam naturalis eſt, famem vel ſitim ſedare idonea, aut aëris cœlíue iniuriam arcere nata; ſed vt eſt quiddam ſpiritale, è ſpiritali fonte ortum. Quò hæc reſponſio planior habeatur, aduerte quod in eleemoſynam erogatur, trifariam conſiderari poſſe: Vno modo ſecundùm ſe, ſuumque proximum effectum; prout nimirum natura quædam eſt, humanæ infirmitati opem ferre apta: Alio modo ex cauſa, vel principio: vnde remotè, aut propinquè profluit; quod vtique, ſi legi conſentaneum eſt, virtus eſt; ſin autem diſſentaneum, vitium. Poſtremò ex effectu remoto, ſeu ex beneficio, quod is reponit, vel reponere certè debuit, qui eleemoſyna potitus eſt. Primo modo corporalem tantùm effectum ſortitur. Secundo pro ratione principij, ex quo dimanat, quandoque bonum, quandoque malum, quandoque nullum, vel omnino exiguum. Tertio modo ſpiritalem effectum plerunque fundit: nam qui piorum eleemoſyna paſcuntur, morali æquitate ad ſpiritalem aliquam compenſationem obligantur. Quòd ſi ingrati, eius rei cauſa nihil præſtant, ipſemet eleemoſynæ illorum negligentiam certo quodam modo ſarciunt; ſcriptum eſt enim: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa exorabit pro te.*

Quod in eleemoſynã erogatur, trifariam conſiderari poteſt.

Eccleſ. 29.

EX tribus hiſce capitibus, puta ex rei, quæ donatur, quantitate, vel qualitate; ex cauſæ rurſum, quæ impellit, conditione; & ex eius tandem, qui accipit, gratitudine, eleemoſynæ magnitudo ſpectari habet. Ex primo; maior cenſenda eſt eleemoſyna centum aureorum, quàm centum denariorum, vel duorum minutorum; cuiuſmodi fuit eleemoſyna viduæ illius Euangelicæ. Ex ſecundo; magna dici poteſt, quæ ex magna pietate, magnoq; animi ardore prodit: Quomodo eiuſdẽ illius viduæ, cuius proximè

Eleemoſyne magnitudo ex tribus capitibus ſpectatur.

meminimus, eleemosyna magna erat: Neq; enim omnem, quem habebat, victum in gazophylacium coniecisset, nisi ingenti charitate & deuotione flagrasset. Ex tertio demum magna dici valet, etsi istuc non admodum propriè, quæ gratos feruentesque sortitur precatores, vel quæ in hac, vel in altera vita liberaliter remuneratur.

In ratione meriti maior est eleemosyna, quæ pdit ex maiori charitate, in ratione autem satisfactionis, quæ secùdùm se maior est.

Caeterum magísne spectanda sit eleemosynę quantitas ex animo, quàm ex dono; an verò è diuerso, magis ex dono, quàm ex animo, id regula, quæ nusquam fallat, tradi vix potest: Nam & dona plerunque sunt diuersa, & eorum, qui donant, animi & scopi plurimùm sunt varij: Generatim tamen dici queat, si voluntatis propositum fuerit sanctum, & quod in eleemosynam exponitur, proprium, iustóq; titulo obtentũ, in ratione meriti, eam maiorem censendam, quæ nascitur ex maiori fide & charitate: In ratione autem satisfactionis, quæ secundùm se maior est: siquidem meriti quãtitas, præcipuè spectatur ex operis bonitate; satisfactio autem ex operis difficultate, vel ex molestiæ, quæ operæ adiuncta est, magnitudine. Certum est autem eò vnumquodque opus sanctius haberi, quò maiori charitate fuerit ornatum, eò autem difficilius, quò suapte natura fuerit maius. Patet itaque, vnde eleemosynæ habeant, vt spiritalem effectum ex se producere valeant.

De eleemosynæ necessitate, siue de eo, quòd eleemosyna generatim accepta interdum cadat in præceptum.

CAPVT QVARTVM.

De rei eleemosynariæ vtilitate actum est paulò antè, consequens nunc est, vt nonnulla quoque de eiusdem necessitate in medium adferamus. Quòd igitur pauperibus benignè facere, res sit non semper libera; ita vt quouis tempore & loco, & cũ merito exerceri, & citra noxam rursum omitti queat, id ex iis, quæ suprà, dũ de misericordię & eleemosynæ ortu & natura disputabatur, perspicuũ est. Siquidẽ inter externos charitatis actus, eleemosynam principatum tenere ostensum est. Cùm ergo proximi dilectio inter Euangelicę legis pręcepta potissimum locum sibi vendicet, fit, vt ea omnia præce-

præcepti vim obtineant, citra quę ea dilectio sălua consistere non valet. At ea locum suum tueri nequaquam potest, nisi ita comparati simus, vt & bene illi velimus, & benignè rursum, si necessitas id postulet, & adminiculandi facultas suppetat, eidem faciamus. *Qui habuerit substantiam huius mundi*, scribit Ioannes, *& viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas* DEI *manet in eo?* quasi dicat: nullo modo.

Ea omnia cadũt in præceptum, citra quorum obseruationem proximi dilectio sălua consistere nõ potest. 1. Ioan. 3.

AD hæc certum est, nulli prorsus mortalium sempiterni ignis supplicium irrogari, nisi propter violatum aliquod præceptum: atqui supremo illo mundi die, plurimi ob neglectum eleemosynę studium æterni ignis cruciatibus addicentur; planum est enim illud CHRISTI: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me &c.*

Nemo damnaẽ, nisi propter violatum aliquod præceptum. Matth. 25.

HVIC loco cognatum est, quod de diuite epulone apud Lucam legitur. Nam etsi luxus, quotidiana comessatio, cæteráque, quæ his adiungi plerunque solent, causam illius vehementer grauauerint, præcipua tamen damnationis illius causa extitit, summa eius in summè miseros duritia, & inclementia.

Cap. 16. Diuitem epulonem non tam luxus, quàm immisericordia dãnauit.

SED neque multùm quoque ab hoc exemplo dissidet, quod de altero diuite apud eundem Euangelistam extat: *Quid faciam*, aiebat ille, *quia non habeo, quò congregam fructus meos. Et dixit, hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæc diues ille prorsus insanè & stolidè. Vnde Basilius cognomento magnus: Non fuit memor communis naturæ; non putabat, superfluum in egenos distribuendum esse, nullam præcepti habuit rationem: *Ne abstineas benefacere inopi, & eleemosynæ & fides ne deserant te. Et frange esurienti panem tuum.* Et omnes Prophetæ, & omnes Doctores vociferantes non audiebantur; sed horrea quidem propter repositorum multitudinem angusta disrumpebantur, parcum verò cor non replebatur.

Luc. 12. Orat. 1. ad diui. Eccles 4. 7. Etai. 58.

DENIQVE lex noua non minorem perfectionem & charitatem exigit ab homine Christiano, quàm lex vetus quondam exigebat ab homine Iudæo, sed hactenus maiorẽ, quatenus noua veteri multis partibus præstat: Atque Iudæis non solùm primitię,

Lex noua nõ minorẽ exigit perfectionẽ, quàm lex vetus; sed certa quadã ratione maiorem.

communesque decimæ, & alia eiusmodi indicebantur; sed certæ quoque eleemosynæ; compertum est enim illud Deuteronomij: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ; idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manũ tuam fratri tuo egeno, qui tecum versatur in terra.* En grauissimum de egenorum sustentatione præceptũ, quod æquè strictè, vel strictiùs quoq; hac ætate obligat CHRISTI Sacramentis initiatos, atq; olim obligabat Iudæos. Constat namque, quod de pauperum cura hîc decernitur, non pertinere ad iudicia, vel cæremonias; sed ad legem morum, & placita naturæ. Quæ autem eiusmodi sunt, ea ad sui obseruationem obstringũt omnes; & eos certa quadam ratione ampliùs, qui maiorem fidei diuinæq; gratiæ lucẽ hauserunt.

TRIBVS his argumentis planè inuictis addo, non eos solùm violati præcepti reos fieri, qui insontem, vel sontem quoq; priuata authoritate occidunt; sed eos etiam, qui, quos poterant, & debebant, à morte nõ defendunt: Tales autem, communi sanctorum patrum sententia sunt, qui fame morientes, cùm possent, non pascunt. Ambrosius: Pasce fame morientem; si non paueris, fame occidisti. Gregorius: Qui commune DEI munus sibi vendicant, tot quotidie perimũt, quot morientium pauperum subsidia, apud se abscondunt.

Cædis rei sunt, qui cædẽ, quam possunt, nõ impediunt.

Pasce. d 86.

P. 3. cur. past. adm. 22.

ADDO denuo, permultos passim tantis opibus affluere, vt in domesticum & necessarium vsum omnes absumere nequaquam valeant; at verò quod ad familiam alendã, statumq; honestè tuendũ absolutè est superuacaneum; alteri autẽ, vt viuat, vel statui suo conuenienter viuat, simpliciter necessariũ: hoc totum, si summis Theologis fides est, vt sanè magna est, nõ est occupantis, sed eius, cui ad naturæ, vel personę sustentationem simpliciter est necessarium, adeóque certa quadam ratione violenter detentum est. Ambrosius: Quod plus est, quàm sufficeret sumptui, violenter detentum est. Hieronymus: Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Verùm de duobus his argumentis paulò pòst ex instituto: Vt quæ rei eleemosynariæ summam quodammodo contineant.

Sicut hi. d. 47.

Hospitalem d. 42.

ADDO tertiò & postremò graue præceptum (quippe quod legum, & præceptorum omnium basis & fundamentum existat) editum extare, quo id aliis præstare iubemur, quod nobis in pari periculo, casu, vel difficultate constitutis, ab aliis præstari meritò optare-

Matth. 7.

optaremus, vel iusto sanè titulo optare possemus. Cùm itaque accidere queat, vt in tale aliquod vitæ discrimen adducamur, vnde, nisi alterius ope erigamur, eluctari nullo modo valeamus, efficitur, vt nos quoq; (ni in naturæ legem committere fortè velimus) in simili vitæ, famę, aut fortunæ discrimine vel difficultate hærentibus, pro viribus opem ferre obligemur.

Id aliis præstare obligamur, qđ iure nobis ab aliis præstari vellemus.

His rationibus maioris lucis roborisq; causa aliquot Patrum & Scripturarum sententias adiicere placet. Cyprianus igitur in oratione de opere & eleemosyna, inter cętera, ita scribit: Nunquã, fratres, admonitio diuina cessauit, quò min⁹ in Scripturis sanctis, tam veterib⁹, quàm nouis semper & vbiq; ad misericordiæ opera, Dei populus prouocaretur. Et canente & exhortante Spiritu sancto; quisquis ad regni cœlestis spẽ instruitur, facere eleemosynam *iubetur.* & infrà: In Euangelio Dominus doctor vitæ nostrę, & magister salutis ętern ę, viuificans credentium populum, & viuificatis consulens, *inter cætera sua mandata diuina & præcepta cœlestia nihil crebriùs mandat & præcipit*, quàm vt insistamus eleemosynis dandis. Facit huc quoque illud Hieronymi:

Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ, & lachrymarum, quamuis spiritale sit, *nõ implet legem* Christi. & illud Pelagij Pontificis Maximi: Qui negat, misericordiam faciendam necessitatem patientibus, ipsum Christvm negat, qui est misericordia & veritas, *& omnibus necessitatem patientibus subuenire iubet.* & illud Ambrosij: Hęc & alia officiorũ pręcepta propria sunt singulorum, *misericordiæ communis est vsus; ideo commune præceptum est.* Omnibus ętatibus, omnibus officiis necessaria est, & ab omnibus deferenda. & illud Augustini:

Qui clement. d. 86.

Epist. 2.

In singulis d. 86.

Caetervm dispendium est magnum, si Devm de Dei dono promereri nolueris, aut cùm tibi Dominus ad hoc dederit, vt dispenses, eiusdem delegata non serues. Semper enim suã Dominus sibi dispensanda interim commendauit. *De re sua pauperibus dare præcipit, cur dantis iussum contemnis? cur Dominum iubentem dare non audis?* Facilè enim pecuniam acceptam poterit amittere, qui, quod accepit, in lucrum noluerit erogare. & illud Gregorij Magni:

Ser. 76. de temp.

Dicvnt quidam: concessis vtimur, aliena non rapimus; etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen peruersa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, *quia videlicet aurẽ cordis à cœ-*

P. 3. cur. past. admi. 22.

Luc.16. *à cœlestibus verbis claudunt.* Neque enim diues ille, qui induebatur purpura & byssõ, & epulabatur quotidie splendidè, aliena rapuisse; sed propriis infructuosè vsus perhibetur, eumque post hanc vitam vltrix flamma suscepit. & illud Gregorij Nazianzeni:

Ser. de pan. am. CAETERVM multò magis *mandato diuino moueri debemus.* Quodnam porrò hoc mandatum est? at videte, quæso, quàm constans sit, miniméque fucatum. Neque enim hominibus Spiritu sancto afflatis satis fuit, semel atque iterum de pauperibus sermonem habuisse; neque quidam duntaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minimè, aut alij copiosiùs, alij parciùs, veluti de re non ita magna, nec admodum necessaria; verùm & omnes in vniuersum, & sedulò quisque, & primùm vel inprimis ad eam rem nos exhortãtur; nunc admonentes, aut comminantes; nunc exprobrantes; nonnunquam etiam eos, qui hanc virtutem assequuntur, laudibus efferentes, nimirum vt assidua commonitione, *nos ad præcepti huius expletionem inflamment.* & illud tandem Chrysostomi:

Hom. 34 ad Antio. VIDEAMVS *& huius mandati vim,* & quantam potentię superabundantiam habeat liberalis eleemosyna, vt lucrum ex ea conflatum aguoscentes, eam promptè transigamus. Nam fortè tanta est eius facultas, vt non solùm peccatum detergat, verùm ipsam quoque mortem effuget. EN omnes isti, pluresq; ex veteribus alij misericordiam diuinitùs præceptam asserunt.

PORRÒ autem Scripturæ, quæ præcepti speciem præ se ferunt, etsi non omnes absolutè præcipiant, sunt quàm plurimæ. Ex vtroque Testamento attingam nonnullas; scriptum est ergo: *Si vnus de fratribus tuis, qui moratur inter portas ciuitatis tuæ, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, neque contrahes manum tuam; sed aperies eam pauperi.* item: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitiuerit, da illi aquam bibere.* item: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum.* item: *Quod superest, date eleemosynam. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, date & dabitur vobis. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* item: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* item: *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere: neque sperare in incerto diuitiarum, sed in* DEO *viuo. Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesau-*

Deut. 15. Teb. 4. Prou. 25. Esai. 58. Luc. 11. Luc. 16. Luc. 12. Luc. 6. Luc. 3. 1. Timo. 6.

thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Mitto reliqua, ne in re non prorsus ignota, iusto operosior videar.

CVM ergo Scripturæ & Patres eleemosynam dandam esse clament, pluresque graues rationes validè id confirment, nulla est causa, cur quispiam, eleemosynáne generatim accepta, sub præceptum cadat, in quæstionem vocet, aut quicquam omnino ea de re dubitet. Verùm quòd non eadem omnium præceptorum sit ratio, neque eadem rursum omnium obligatio, res monere videtur, vt paucis hoc loco explicemus, quando, & quos, & quatenus præceptum illud obliget.

De extremæ egestatis casu, hoc enim occurrente, præceptum eleemosynarium obligare communiter dicitur. Discutitur hîc quoq;, num hic casus absolutam donationem semper exigat, an verò locationem, aut mutuationem interdum quoque admittat.

CAPVT QVINTVM.

VERVMENIMVERO licèt lex eleemosynam generatim indicet; attamen quòd hoc legis decretum, vnum ex eorum numero sit, quæ fieri aliquid iubet, adeóque non semper obligant; sed pro loci, temporis, & reliquarum circumstantiarum ratione tantùm: ob id doctrinæ methodus postulare videtur, vt hinc ordine exponamus, quando, & quos obliget. Pendet autem nodi huius solutio maiorem partem ex diuitum, & pauperum qualitate, eorundemque inter se discrimine. Constat namque, non omnes, qui diuitum nomine veniunt, æquè opulentos esse; neque omnes rursum, qui pauperum appellatione censentur, æquè miseros esse.

Præcepta, quæ iubent, obligant pro circumstantiarũ qualitate.

Nec omnes diuites æquè diuites, nec omnes pauperes æquè pauperes.

ASSIGNANT autem, qui hac de re disputant, tres diuitum ordines, & totidem pauperum classes. Sunt enim diuites (quos pauperes rectiùs dixeris) qui id vnum possident, quod naturæ sustentandæ absolutè est necessarium: Siue qui vnum hoc solùm in bonis habent, quo se suosque tenuiter alant. Sunt alij, quibus hæc ipsa, & ea præterea, quibus statum suum honestè tueantur, suppe-

Triplex diuitũ ordo & status.

tunt: Nam & hic quoq; citra cauſam negligi nõ debet; quippe qui inter externa bona principatum facilè obtineat. Sunt alij tãdem, qui plurima, neq; vitæ, neq; perſonæ quoq; neceſſaria occupant: è quorum grege erat Euãgelicus ille, qui anxius, vbi ſua reponeret, ita aiebat: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Luc. 12.

Triplex pauperum ſtatus & ordo.

Ad pauperes quod ſpectat, ſunt qui extremè egent: Sunt rurſum, qui communi quadam paupertate tenentur, qui eiuſdẽ propemodum ſunt notæ, cum primi ordinis diuitibus. Sunt denique, qui inter hoſce quaſi extremos, medium quodammodo tenẽt, de quibus ſuo poſtea loco pleniùs: Siquidem hoc pauperum regnum patet latiſsimè. His paupertatis & opulentiæ gradibus diligenter notatis & obſeruatis, non erit admodum operoſum, diiudicare quando, & quos præceptum, de quo hîc ſermo eſt, obliget.

Nemo tenetur ea in pauperes etiam extremè miſeros erogare, quæ naturę ſunt neceſſaria.

Primo namq; extra omnem controuerſiam eſt, neminem vel in extremè egentes ea erogare vlla omnino lege obligari, quæ ad priuatum ſuæ ſuorumq; vitę vſum abſolutè cenſentur neceſſaria. Iubemur ſanè proximum diligere, totóq;, quod aiunt, affectu in ipſum ire; at non ſupra nos, ſed æquè ac nos ipſos. Imò verò in ordinem charitatis committunt, qui plùs proximũ, quàm ſeipſos diligunt. Secludimus hinc caſum, quo vita extremè egentis Eccleſiæ, vel Reipub. magis vſui videretur futura, quàm noſtra priuata: Nam cùm bonum eò cenſeri ſoleat diuinius, quò in alios ſeſe diffundit vberiùs, licebit tum priuatam minùs vtilem, reíque publicæ minùs neceſſariam, pro aliena magis vtili, magisque neceſſaria impendere, aut certè morti exponere.

Quo caſu proximi vitam ꝓpriæ liceat anteferre.

Statui neceſſaria nemo in vulgares pauperes inſumere obligatur.

Æque certum eſt, nullum omnino mortalium (niſi quis forſan, abdicatis omnibus, vitæ ſtatum mutare decreuiſſet) ea in vulgares, ſecundíue ordinis pauperes exponere, lege aliqua obſtringi, quæ loco, vel perſonæ, quam in Repub. vel Eccleſia ſuſtinet, tuendę, ſimpliciter ſunt neceſſaria. Eſt profectò proximi commoditas magnifacienda ſemper, (nam & hoc ratio ſuadet, & charitatis lex ſuo quodam modo iure efflagitat) at non tanti, vt eius rei cauſa virum honeſtum famę, vel ſtatus iacturam facere oporteat: quippe cùm ingenuè nati & educati vitæ turpitudinem non minùs ſoleant deteſtari, quàm mortem ipſam. Quòd ſi perſonæ abſolutè neceſſaria, communi paupertate obſtrictis iure nõ debentur, multò minùs debebuntur ea commentitiis pauperibus, de quibus poſtea.

Certvm

CERTVM est tandem,& apud omnes rectè sentientes indubitatum, quod ad nostram, nostrorumq; vitam non est necessarium, id in extremè egentes eatenus erogandum esse, quatenus extrema illorum miseria,vel inopia id postulat. Nam si eleemosynarium præceptum vsquam vim,aut locum habet,vt sępenumero habet, hìc citra vllam controuersiam, iustissimam habet. Si enim certo peccato sese obstringit, qui inimici iumentum sub onere prostratum,vel in foueam,vnde emergere per se non potest,prolapsum,non erigit,quid nobis de eo cogitandum est, qui fratrem fame morientem,cùm possit,non reficit?

Naturæ nostræ nō necessarium, extremè egentibus debetur.

IMO verò extrema illa egestate vrgente,non ea solū promptè & liberaliter communicanda sunt,quæ priuatæ vitæ vsibus, absolutè superuacanea sunt;verùm ea etiam,quę ad eum vsum non ita multùm necessaria sunt. Nam cùm dilectio & dilectionis ordo ex ęquo ferè sint in præcepto;neq; secùs ex charitate,diligēda sit vita proximi, quàm propria: fit, vt maioris nos eam facere oporteat, quàm externa corporis commoda, eidem corpori nō admodum necessaria:Quemadmodum pluris quoque ducere iubemur eiusdem proximi animam, spiritalémue eiusdem salutē, quàm vitam propriam;& pluris itidem illius honorem & famā,quàm nostram pompam. Est enim proximi fama res,vulgaribus fortunæ commodis multis partibus præstantior.

Priuatæ vitæ nō admodū necessaria extremè egētibus impertienda sunt.

Vita proximi ex charitate diligēda.

Anima & salus proximi propriæ vitæ anteponenda.

QVID? quòd non ij solùm in charitatis legē committunt,qui extremè egentibus pro viribus nō opitulantur; sed illi quoq;, qui benignā dexterā illis non porrigunt, qui ad extremam illam miseriam& egestatem, nisi adsint,qui sustent,præcipites ruunt:Nam si rem recta ratione expendimus, non ille propriè extremè egere dicendus est,qui præ miseria,vel inedia animā iam agit,(eleemosyna enim datur,vt prosit,vrgentemq; miseriā soletur;qui autē in mortis vestibulo iam hæret,propter prostratas naturæ vires eleemosynæ p̄sidio ampliùs subleuari non valet)sed ille,qui in ea egestate,rerumq; difficultate versatur,vt probabile sit,breui omnino periturum,nisi alicunde subleuetur;neq; tamen offert se quispiā, à quo p̄sidium sperare queat,si ego,qui p̄sens sum,eiusdemq; miserię cōscius sum,deserā: Eiusmodi namq; iā in causa sua extremè eget.Quare pinde de eo iudicādū est,ac si iā actu extremè egeret. Imò verò ad idē charitatis officiū diuino naturalíq; iure obligari

Quis propriè extremè egere dicatur.

videmur, si certò compertum habemus, proximum nostrum in tanta miseria & egestate versari, vt ægrè admodum vitam ducturus sit, si opem ipsi non feramus. vno aut altero exemplo id declaro.

Non tantùm extremæ egestatis casus eleemosynam exigit, sed etiam quasi extremæ.

TITIVS vicinus meus, vir quondam honestus, incidit in grauem inopiam; siue casu id illi incommodum acciderit, siue culpa (hoc enim ad eleemosynam impertinens est; tametsi illis lubentiùs opem ferre consueuerimus, qui citra culpam in aliquam calamitatem inciderunt) mendicare erubescit, ne publica mendicitate notam aliquam contrahat. Video hominem pallescere, magis magisque subinde extenuari, internóque mœrore confici. Iudico eum pallorem, eam maciem, eam tristitiam ex miseria & inedia proficisci: Iudico nihilominus, etsi miserum spiritum trahat, ægrè tamen trahere, vel diu quoque trahere non posse. Animaduerto adhæc neminem, præter me, istud aduertere, vel quòd illi sim vicinior, vel quòd domesticum illius statum meliùs exploratum habeam, vel certè alios animaduertentes non curare, vel quia pauperes, vel quia duri & auari sunt, adeóque desertum iri, si ego nõ succurro. Video tandem, me aliqua possidere, quæ, vt vitã ducã, nõ admodum videntur necessaria: quæstio est, an, omnibus illis iudiciis stantibus & impellentibus, citra Christianę charitatis offensionem, Titium in ea egestate constitutum, deserere mihi liceat? Respondet Ioannes, imò verò CHRISTVS ipse, id nequaquã licere. Quid ille? *Esuriui, et non dedistis mihi manducare: ite in ignem æternum.* Quid verò Ioannes? *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas* DEI *manet in eo?*

Matth. 25.

1. Ioan. 3.

ADIVNGO aliud huic cognatum: Est magna in patrio solo annonæ caritas, ita vt multi passim pauperes inedia pereant. Socrates vicinus meus vehemẽter eget; petit à vicinis, sed nemo dat, vel quòd vitæ superflua nulla possideant, vel quòd præ innata duritia pauperes nihil curent. Venit ad me, cui suppetunt, quibus me meosque vsq; ad proximam messem alam, & aliquid eò ampliùs, quod citra magnum incommodum illi impertiri queam, & hoc me posse iudico; Sed simul quoq; iudico Socratem, etiamsi nihil à me subsidij consequatur, dum noua frumenta colligantur, vitam producere posse; sed id interim cum summa miseria & difficultate, magnáq; virium & valetudinis labefactione, eò quòd iã manifesta cala-

calamitatis & inediæ signa in ore illius conspiciam: quæritur iam, opem ne illi ferre lege aliqua astringar? Respondeo, quod ex dilecti discipuli sententia respõsum est paulò antè: nempe eam me opem citra violatæ charitatis legem Socrati negare non posse.

ADDO ex naturæ superuacaneo, non iis tantùm succurrendum, qui ob præsentem & vehementem egestatem periclitantur de vita; verùm iis quoque, qui eadem de causa periclitantur de salute. Quamobrẽ si sciam, Mæuium vicinum meum, virum alioqui honestum & studiosum, mera egestate compulsum aliquid, quod cum virtute, & honestate pugnat, admissurum; & vnà cum hoc persuasum habeo, si ex illis, quæ meę, meorumque vitę necessaria nõ sunt, illi subuenero, constanter in officio perstiturum, illi subuenire omnino debeo: nam etsi nemo peccet inuitus; attamen quia difficultas, qua Mæuius tenetur, est summa, & penè inexpugnabilis, obligor homini in tanta tentatione, lapsusq; discrimine constituto, manum porrigere, ne cadat & pereat. Extrema proinde, vel quasi extrema necessitate vrgente, eleemosyna simpliciter cadit in præceptum.

Ex nostro superfluo non iis solùm succurrendum, qui periclitãtur de vita, sed iis quoque, qui de salute.

Nemo peccat inuitus.

QVOD EXTREMA NECESSITAS DEPOSCIT, *interdum vendere, locare, mutuo vel commodato dare licere; interdum verò id non licere.*

VERVM enimuerò licèt cum extremè egentibus res ita habeat; attamen nonnullam adhuc quęstionem adfert, iis ne, qui extremè, vel quasi extremè egent, id simpliciter, quo indigent, donandum sit, an verò tantisper, dum præsens periculum euaserint, aut ad meliorem fortunam deuenerint, mutuandum, vel locandum. Ad hoc quæsitum, propter varios casus, simplici verbo responderi commodè non potest: neque enim omnes, qui in extremam necessitatem deuenerunt, eiusdem sunt conditionis; neque res, quæ impenduntur, eiusdem quantitatis; neque qui impendunt, earundem facultatum; neque earundem quoq; voluntatum. Vnum nihilominus in hac quæstione satis compertum est: nempe totum illud, quod in ea necessitate per modum eleemosynæ erogatum est, id restitutioni obnoxium non esse. Nam, vt antè explicatum est, eleemosyna est munus, vel donum, quod indigenti

Quod per modum eleemosynæ erogatũ est, id restitutioni obnoxium non est.

digenti gratis impenditur: Quod autem venditur, vel locatur, id non datur gratis.

Cum extremè egẽtibus, de solutione vel restitutione nõ semper paciſci licet.

ÆQVE certum est, cum extremè egentibus, de solutione vel restitutione, non semper pacisci licere. Nam, vt antè prolixè probatum est, & apud omnes non prorsus rudes in aperto est, danda est aliquando eleemosyna; hæc autem obligatio, si vsquam stringit, extrema vrgente necessitate stringit. Ad hæc si extrema penuria laboranti ea, quibus opus habet, semper vendere, locare, vel commodare fas foret, non satis commodè asserentur, extrema necessitate premente, omnia communia esse; vel extremè egentem, ad propulsandam extremæ necessitatis iniuriam, vndecunq; vitę prę sidia venari posse; multáq; alia eiusmodi, quæ longũ esset hìc referre. Deniq; si eleemosynæ præceptũ extra extremæ egestatis casum sæpenumero obligat, vt citra vllũ dubium obligat, quantò magis illo casu vrgente, & occurrente obstringet?

Licet interdum ea vendere, vel locare, vel mutuare, quę extrema necessitas efflagitat.

PORRO aũt quòd ea interdum extremè egenti vendere, locare, vel mutuare liceat, quibus pro necessitatis ratione indiget, illud meo iudicio cõtrouersiam nullam habet: Etenim si cui vestẽ, qua à frigore repente oborto sese defendat, aut equũ, vel currũ, cuius præsidio irruẽtium hostium impetum euadat, submini strem, dubium nullum est, quin eiusmodi vestem, equum, vel currum, vel aliud quodcunq; vitę præsidium, vbi primùm periculum euaserit, repetere mihi liceat. Pari modo, si cui centum, vel mille aureos nummos suppeditem, quibus ab eorum vi, qui præsentem illi necem intentant, se captũ redimat, non est necessarium, vt eam pecunię summam capto, si aliâs soluendo est, absolutè donem, nunquam ampliùs repetiturus; sed abunde sat est, si per viam mutui à præsenti vitæ discrimine illum eximam.

Qui dicunt extremè necessarium nũquam vẽdere licere, in multas & magnas difficultates se cõiiciunt.

DENIQVE si sola necessitas eam vim haberet, vt id totum veluti proprium in alium trãsferretur, quo is pro tempore extremè indiget, consequens fieret, si dira fame grassante, apud vnum solùm panis, vel frumentum cõperiretur, nefas fore eiusmodi panem, vel frumentũ iusto pretio diuitibus vendere. Sed neq; medico quoq; ab ęgro in mortis periculo constituto, industriæ mercedem; neq; pharmacopæo pharmacorũ precium; neq; diuitibus ab egenis laborẽ ferre valentibus laborem, aut vllã operam pro victu exigere liceret: At hęc omnia sunt absurda, & à cõmuni mortaliũ

omnium

omnium praxi omnino aliena. Quamobrē non est necesse, vt quis ea gratis semper donet, quibus extremè indigentis necessitatem subleuet; etsi aliquando necessarium id existat.

An cum extremè egente de solutione, vel restitutione pacisci liceat, id ex tribus capitibus spectari debet.

At verò quando hoc vel illud conuentus genus vsurpare cōueniat, hoc partim ex illorū conditione spectari debet, qui necessaria vitę præsidia petunt; partim rursum ex eorum statu, qui eadē præsidia impertiunt; partim tandem ex rerum natura & qualitate, quæ in extrema necessitate impēduntur. Etenim si illi, qui extremè necessaria ab aliis capiunt, adeò sunt miseri, adeóq; omnibus naturæ fortunæq; præsidiis destituti, vt nec habeant quicquā, nec habere queāt, vnde acceptum compensent; vel quòd artē nullam calleant; vel quòd viribus ad laborandū necessariis nullis polleāt; vel quòd modum nullū, industriam nullam rem faciendi teneāt, vt sunt cæci, claudi, senes, infirmi, & plurimi eius ordinis alij, absq; vlla cōpensationis spe, aut restitutionis pactione impēdi debent, quæcunq; extrema, vel quasi extrema illorū necessitas postulat.

Absolutè miseri, citra vllam restitutionis pactionem subleuandi sunt.

Contra verò si illi, qui in extremam necessitatem inciderunt, vndecunque tandem huc deciderint; ita sunt inopes, vt certa tamen spe, vel alibi quoq; reipsa sint diuites; vel quòd sano robustóq; & ad laborandum idoneo corpore sint præditi; vel quòd artem teneant eiusmodi, vnde percommodè, si velint, alere se queant; vel quòd alibi necessaria vitæ adminicula reposita habeant, tametsi vbi nunc degunt, aliorum ope maximè indigeant, non erit necessarium gratis absque vlla prorsus solutionis pactione ea illis impendere, quæ status nostri honestas deposcit. Siquidem eiusmodi homines non sunt absolutè pauperes; sed tantùm secundùm quid, & ex parte, hoc est, secundùm præsentem illorum statum.

Extremè necessaria iis vēdere, aut mutuare licet, qui secūdùm quid tantū sunt inopes.

Sed neque huius quoque generis inopes ad absolutum solutionis, vel restitutionis pactum deberent adigi; sed tantùm ad conditionatum, nempe vt reddant quantum commodè queant. Nam si integrè id semper persoluendum foret, quod in extrema egestate consumptum erat, nonnulli citra vllam suam noxam à sanctioris vitæ instituto, voluntariæque paupertatis professione arcerentur, hoc autem Christianæ charitatis legi non satis consentaneum videtur. Mitto hîc, sæpe contingere posse, vt in necessitate insumptum sit magnum, domi autem, vel in indu-

Non est consultum, absolutum pactum de restitutione cum extremè egētibus inire.

induſtria repoſitum exiguum. Neque enim eadem omnium lucrandi eſt facultas, neque eadem rurſum lucrandi occaſio omnibus offertur ſemper. Et hæc de illis ſint dicta, qui aliorum præſidio ab vrgente neceſsitate eximuntur.

Quæ ad ſtatus vſum, vel ornamẽtum ſunt neceſſaria, ea cum reſtitutionis pacto non abſolutè miſeris impẽdere licet.

De iis porrò, qui extremè, vel quaſi extremè egentibus adminiculantur, ita ſtatuimus: aut enim, qui eiuſmodi vitæ adminicula ſuppeditant, neceſſaria tantùm poſsident, aut ſuperuacua; Si ſuperuacua, aut ea aſſeruant in pios vſus, aut tantùm in pompam, & vitæ luxum. Iam qui ea extremè egentibus, validis tamen & ad laborem natis, vel alibi quoque neceſſariis abundantibus impertiuntur, quę ad ſtatum honeſtè tuendum ſunt neceſſaria, illi iure ſuo vtẽtes, ſolutionem, vel reſtitutionem ab eiuſmodi egentibus licitè exigunt. Nemo enim ea alteri gratis impertiri obligatur, quibus ipſe indiget, niſi vltima neceſsitas aliud quandoque poſtulet; hęc autem non vrget hic abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid. Eiuſmodi tamen ſubſidium eleemoſynæ nomen propriè nõ meretur, niſi forſan ſecundùm gratuitum vſum; nam etſi ſubminiſtretur indigenti, non tamen gratis.

Quiuis, quo ad eius fieri poteſt, rempub. indemnem ſeruare obligatur.

Idem de illis quoque ſtatuere licet, qui ea id genus miſeris impertiuntur, quę in religioſos, vel reipub. neceſſarios vſus recondita ſeruabantur, præſertim ſi eiuſmodi impenſæ precij ſunt minimè contemnendi. Neque obſcura aſſertionis huius eſt ratio: nam qui earum rerum pręſidio ex vitę periculo eruuntur, quæ ad tuendam alterius dignitatem, vel ad promouendum Eccleſiæ, vel Reipub. commodum repoſita fuerant, illi ſanè, quatenus per vires & facultates licet, naturali quadam æquitate ad illorum compenſationem obligantur. Quòd ſi naturalis æquitas debitam cõpenſationem efflagitat, cur eam iurata cautione, vel ſimplici promiſsione, vel certè conditionali ſponſione, puta ſi compenſare queant, exigere non liceat?

Qui ex ſuperuacuis modica egẽtibus impendũt, citra reſtitutionis pactum impendere debẽrent.

E diuerſo verò ſi qui ſunt, qui extremè miſeris modica quædam impendunt, & ex iis impendunt, quæ neque vitę, neque perſonę neceſſaria ſunt; neque ad vllum pium opus aſſeruata ſunt, illi, niſi contra decorum agere fortè velint, totum, quod neceſsitas exigit, abſq; vllo prorſus abſoluta, vel conditionata pactione impendent. Nil tamen turpe iſtiuſmodi deſignarent, ſi grandia abſq; aliquo compenſationis pacto non abſolutè inopibus, tametſi extremè

tremè egentibus, præstare nollent. Nam etsi personæ non necessaria possidentes, eleemosynã erogare teneantur, nõ tamen tantùm huic prȩcisè; sed huic, vel illi, vel alteri cuicunq;.

Ex prędictis regulis colligi vtcunq; potest, quid de iis rebus statui debeat, quę extrema vrgente necessitate insçio Domino ablatę fuerant: Nam si illæ erant minimè paruæ, & per illos subductę, qui non absolutè inopes erant; sed tantùm secũdùm quid; & iis tandem ademptę, quibus ad statum honestè tuendum nihil supererat, dubium nullũ est, quin restitutioni sint obnoxię. Quòd si verò, quæ sublata fuerant, modica erant, & ex iis, quæ statui necessaria erant, subducta non erant, & per verè absolutéq; miseros subducta erant, nulla opus erit restitutione. Idem de iis nonnulli sentiunt, quæ simul rapiuntur & absumuntur; siue priuato siue alieno nomine rapiantur; dummodò tamen propria, quibus alienæ miseriæ succurratur, nulla adsint. Qui enim rebus priuatę vitę non necessariis parceret, & alienas inuaderet, ab hoc vinculo immunis non esset.

Quid de earum rerũ restitutione statuendum, quæ extrema vrgẽte necessitate, insçio Dómino ablatæ fuerant.

Constat hinc quoq;, qui ea in extremè egẽtes erogant, quę ante eiusmodi extremam egestatem, per vim, vel fraudem occupauerãt, à restitutionis lege simpliciter non absolui, sed tantisper solùm, dum contracto debito soluendo pares euadant. Nam etsi restitutionis debitum, ex iniusta acceptione ortũ, propter extremam egestatem consopiatur, non tamen simpliciter extinguitur: reuiuiscit enim, vbi primùm soluendi facultas nata fuerit. Quòd si eleemosyna in extremè miseros erogata, ab illorum restitutione non liberat, quę dolo, vel fraude antè intercepta fuerant, multò minùs liberabit à mutui, vel depositi restitutione.

Qui per vim vel fraudẽ occupata in extremè miseros insumunt, non liberantur à restitutione; multò minùs, q mutuũ, vel depositum.

Denique si raptores, depositarij, vel mutuatarij ab eorum restitutione non absoluuntur, quæ ex rapina, depósito, vel mutuo extremè indigentibus impertiti fuerant; neque ab eorum quoque solutione absoluentur, quæ ipsi in simili egestate constituti, ex eiusmodi rebus absumpserant. Neque enim vlla apparet ratio, cur ab aliis in extremę egestatis periculo constitutis insumpta, restitui debeant, à se autem in simili casu absumpta, restitui non debeant. Horum omnium vna hęc est ratio, quòd extremè laborantem ex alienis subleuare non licet, si adsint propria. Et hæc breuiter de eleemosyna, quam extrema necessitas vt debi-

Ex alienis extrema inopia pressum subleuare non licet, si adsint propria.

tam efflagitat. Proximum est, vt de illa nonnulla modò in medium afferamus, quæ extra extremæ necessitatis casum frequenter obligat.

De periculoso illorum statu, qui personæ superflua in egenos, etiam infra extremam egestatem constitutos, vel in alias pias causas non erogant.

CAPVT SEXTVM.

EXTREMA vrgente miseria omnes, qui opem ferre commodè possunt, eleemosynaria lege teneri ostensum est hucusq;: Verùm quòd hic extremæ egestatis casus, non ita frequenter vsu venire soleat; neq; tamen desint vnquam, qui secundùm status sui rationem superflua possideant; nunquam rursum, qui hoc vel illo modo non indigeant, segmento hoc sexto inuestigare lubet, illi ne tantùm in eleemosynarium præceptum committant, qui extremè laborantes non adiuuant, an illi quoque, qui quæ à statu redundant, inter egenos vel alia pia opera non dispensant.

Vt nũquam desunt opibus affluentes, ita nũquã quoq; pauperes desunt.

HOSCE vel non peccare, vel leuiter tantùm peccare defendunt nonnulli. Præcipua illorum ratio, est vsitata pœnitentium & confessariorũ praxis: Constat enim, plerosq; omnes, nulla opum, quas quis possidet, habita ratione, quotuis promiscuè, hoc est, diuites æquè ac pauperes absoluere; cùm multi tamen inter eos comperiantur viri probi, & eruditi, & multi rursum pœnitentes, qui vitam mallét amittere, quàm obulum vnum cum DEI offensione retinere.

Praxis confessariorum in absoluendis diuitib⁹.

VERVM vt hæc ratio, à communi confessariorum praxi sumpta, est parum firma; ita eorum sentẽtia, qui solam extremam necessitatem ad eleemosynam obligare contendunt, est admodum periculosa: vtpotè non solùm à recepta doctorum hominum doctrina aliena; verùm sacræ quoq; Scripturæ parum consentanea. Scripturæ vox est; *Quod superest, date eleemosynam.* Item: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Item: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.* Item: *Ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno.* Iam quòd hæc, aliáq; similia complura, quæ in diuinis literis passim occurrunt, ad eos præcisè referenda non sint, qui extremè egent, patet ex communi legum

Periculosa eorũ sentẽtia, qui extra extremã necessitatem eleemosynam liberà definiunt.

Luc. 11.
Luc. 3.
Prou. 25.
Deut. 15.

&

& præceptorum omnium ratione: nunquam enim, quæ ſimpliciter, & generaliter præcipiuntur, vel proponuntur, reſtringi debent ad certum aliquod membrum, niſi generalis & ſimplex acceptio aliquod incommodum contineat, aut aliquod abſurdum ſecum trahat, quod hîc locum non habet.

Que generaliter proponſitur, aut præcipiũtur, nõ debent ad certũ aliquod membrum trahi.

AD hęc præcepta, & leges de illis ferri ſolent, quæ vel frequẽter, vel communiter accidunt; caſus aũt extremæ inopiæ tam inſolens eſt, vt paucos cõperias, qui vnquam in aliquem inciderũt, qui extremè laboraret. Deniq; in ſacris literis extant nõ pauca de egenorum cura tradita, quę ad extremam illam neceſsitatem cõmodè referri non poſſunt. eius generis eſt illud Tobiæ: *Noli faciem tuã auertere ab vllo paupere.* Et illud rurſum Ioannis: *Qui viderit fratrẽ ſuum neceſſe habere, et clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas* DEI *manet in eo?* Neq; enim is tantùm neceſſe habere dicendus eſt, qui præ frigore, vel fame animã agit; aut velis remisq; ad eum neceſsitatis articulum tendit; ſed is quoq;, qui neceſſariis vitæ præſidiis deſtitutus viuit. Et illud tandẽ CHRISTI: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: Sitiui & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram, et nõ collegiſtis me: Nudus, et non operuiſtis me: Infirmus, & in carcere, et non viſitaſtis me.*

Leges de iis ferũtur, quæ frequẽter accidunt.

Cap. 4.

1. Ioan 3.

Matth. 25.

Illud Chriſti, eſurium &c. multis de cauſis non poſſe referri ad ſolos extremè agentes.

HAEC profectò ad extremam egeſtatem vniuerſè detorqueri nullo iuſto colore, aut titulo poſſunt. Primò enim nulla prorſus extremę inopię fit hîc mentio; id autem, citra vrgentem rationem, ad vnum aut alterum reſtringere, quod pertinet ad omnes, temeritatis videtur non paruæ. Deinde quædam hîc recenſentur, quæ vltimum vitæ periculum communiter nõ adducunt. Poſtremò incredibile fit, tot extremè egentibus opera ſua defuiſſe, quot extrema illa iudicis ſententia percelluntur: nam extrema illa paupertas rariſsimè eſt obuia, & pauci præterea cõperiuntur, qui illis opem ſuam denegãt, quos fame, vel frigore, vel alio eiuſmodi incommodo pereuntes vident. Secundùm Scripturas igitur multò plures contra eleemoſynarium præceptum peccant, quàm qui extremè laborantibus operam ſuam denegant.

SCRIPTVRARVM ſententiæ magno conſenſu, & numero accedunt veteres Patres; & plurimi quoque recentiores diuinarum literarum interpretes. Inter alios D. Cyprianus ita ſcribit: Vitę noſtrę dux CHRISTVS, *nihil crebriùs mandat & præcipit*, quàm

Luc.12.18. vt dandis eleemosynis insistamus. *Vendite*, ait, *quæ possidetis, & date eleemosynam.* Sanè qui solis extremè laborantibus opem ferunt, illi eleemosynis dandis non insistunt: Siquidem verbum, insisto, quandam operis assiduitatem denotat; extremè autè egentes vix vnquam occurrunt.

Serm.81. AMBROSIVS: Ait aliquis, Quid iniustum est, si, cùm aliena non inuadam, propria diligentibus seruem? O impudens dictum, quid propria dicis, quæ, ex quibus recondis, in hunc modum intulisti? Proprium nemo dicat, quod est commune: Quod plus est, quàm sufficeret sumptui, violenter obtentum est. Et infrà: Non minus est criminis, habenti tollere, quàm cùm possis & abundas, indigentibus denegare. His nihil dici, aut scribi potest clarius.

Quod à sumptu redundat, violẽter detentum est.

Quid dicam 14. q 4. Ad Macedon. AVGVSTINVS: Nónne omnes, qui videntur sibi gaudere de conquisitis, eisq; vti nesciũt, aliena possidere conuincuntur? Hoc certè alienum non est, quod iure possidetur; hoc aũt iure possidetur, quod iustè; & hoc iustè, quod bene. Omne igitur, quod malè possidetur, alienum est. Malè autem possidet, qui malè vtitur: malè vtitur, qui, vt debet, non dispensat. Alienum apertè hîc vocat, quod in pauperes, cùm redundaret, non erogatur.

Malè possidetur, quod legitimè non dispensatur.

Hospitalẽ d. 42. Ad illud Luc. 3. Qui habet duas tunicas. HIERONYMVS: Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Et alio rursum loco: Si plus habes, quàm tibi ad victum, vestitumq; necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noueris.

P. 3. adm. 22. past. GREGORIVS: Cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: Iustitiæ potiùs debitum exoluimus, quàm misericordiæ opus implemus. Eadem repetit admonitione hanc proximè antecedente.

Sicut d. 47. BASILIVS MAGNVS: Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio & absolutio est pecunia, quam tu in terra defodis. Tantorum ergo te inuadere scias bona, quantis possis præstare, quod velis. Idem exponens illud Lucæ: *Qui habet duas tunicas, &c.* Hîc docemur, quòd ex omni eo, quod affluit supra proprij victus necessitatem, tenemur erogare illi, qui nõ habet, propter DEVM; qui quæcunq; possidemus, largitus est.

Quod ad quotidianum victum necessarium nõ est, id illi impertiendum est, qui necessariis vitæ præsidiis destitutus est.

CHRYSO-

CHRYSOSTOMVS: Tuarum es ô homo pecuniarum dispensator non minùs, quàm qui Ecclesiæ bona dispensant. Non enim ad hoc accepisti, vt in deliciis absumeres; sed vt in eleemosynam erogares. Nunquid tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ; siue ex laborib. iustis, siue ex hæreditate paterna possideas. & paucis interiectis: Nunquid graue quippiam, aut onerosum à nobis requirit? Necessitatẽ excedentia, vult nos facere necessaria; & quę nequicquam, & inutiliter reposita sunt, hæc vult bene distribui, vt hinc occasione sumpta nos coronet.

Necessitatem excedẽtia in necessariũ pauperũ vsum vertenda.

LEO Magnus: Non solùm spiritales opes, & dona cœlestia DEO donante capiuntur; sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipsius largitate proueniunt: vt meritò eorum rationem quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Ser. 5. de coll.

Quæ redũdant, dispensare, non possidere iubemur.

ISIDORVS: Hoc tantùm bonum habet præsentium possessio, si reficiat vitam miserorum: præter hoc tentatio est mundi lucrum; tantóque maiora supplicia in futurum dabunt, quantò & ipsa maiora sunt. *Potentes enim potenter tormenta patientur*; & exemplo, quod dixerat, probans, subdit: Qui hîc misericordiam non impertit, illic pietatis fructum non inueniet; exemplo ardentis diuitis, qui in inferno ad tenuissima petenda compulsus est, qui hîc tenuissima negare studuit; guttas ardens petiit, qui micas negauit. Lib. 3. cap. 64. de sum. 69. Sap. 6. Luc. 16.

THEOPHYLACTVS: Aliud est diues, aliud œconomus: nam diues est, qui sibi diuitias reseruat; œconomus verò, qui ad opus aliorum illas tenet. Porrò autem attende quòd diuitem quidem impossibile dicit saluari, possidentem verò difficile; quasi dicat: diues, qui captus est diuitiis, & famulatur eis, non saluabitur. At quis capitur diuitiis, quis eisdem famulatur, nisi is, qui in necessarium aliorum vsum eas non erogat; sed veluti seruus quispiam illarum custodiæ & curæ vacat, totumque cor & animum eisdem consecrat?

Diues is propriè dicitur, qui diuitiis famulatur, adeoque summa cum difficultate eiusmodi seruat.

BEDA ad illud Lucæ: *Quod superest &c.* Non ita eleemosynam facere iuberis, vt te ipsum consumas, sed vt, tui corporis cura expleta, inopem, quantũ vales, sustentes. Duo obseruatione digna hîc dicit: Alterum horum est, in CHRISTI verbis præceptum latere; ait enim, eleemosynam facere iuberis: Alterum est præ- Luc. 11.

ceptũ illud non cadere in totũ illud, ꝙ homo poſsidet; ſed in illud tantũ, quod vitę redũdat. ſubdit namq;: Iuberis nõ te ipſum cõſumere; ſed corporis tui cura expleta, inopẽ, quantũ vales, ſuſtẽtare.

MITTO hîc Canonũ & Scripturarũ interpretes, vetuſtioresq; Scholæ Theologos, inter quos etiã iure meritóq; D. Thomã cenſeo; vtcunq; ſint, qui mentem illius nõ ſatis aſſecuti, aliud ipſi imponant, qui oẽs vnanimi ſenſu atq; conſenſu tradunt, id totum in egenos erogandum eſſe, quod à ſtatu redũdat. Verba Thomæ de eleemoſynæ obligatione diſputãtis, ita ſonant: Dare eleemoſynã de ſuperfluo, eſt in ꝑcepto; & dare eleemoſynã ei, qui eſt in extrema neceſsitate; aliâs autem eleemoſynã dare, eſt in cõſilio. Eôdẽ tendit hęc eiuſdẽ oratio: Cõmuniter dicitur, quòd dare eleemoſynã de ſuperfluo, cadit in ꝑceptum; & ſimiliter dare eleemoſynã ei, qui eſt in extrema neceſsitate; & hęc rurſum: Res, quas aliqui abũdanter habẽt, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi. & infrà: Tertię decimę, quas cũ pauperibus comedere debebãt, in noua lege augentur per hoc, quòd Dñs non ſolùm decimã partẽ; ſed omnia ſuperflua pauperibus iubet exhiberi, iuxta illud Lucæ: *Quod ſupereſt, date eleemoſynã, & omnia munda ſunt vobis.* Plura in eandẽ ſentẽtiam ex eodẽ auctore liceret allegare; verùm quia hæc clara ſunt, à plurium allegatione ſuperſedeo. Ex ſcripturis proinde, cõmuníq; cùm veterũ, tùm recentiorum quoq; theologorum ſententia habemus, totũ id, quod victui ſupereſt, eſſe in verè egentes erogandũ, ſi adſint, etiamſi extremè non egeant. Poſſet autẽ eadẽ hæc veritas multis magnisq; rationibus firmari, verùm ꝙ in patrũ allegatione prolixiores fuerimus, vnã tantũ, aut alteram adducã.

22.q.32.5.

4.d.15.q.2.1.9.4.

22.q 66.7.

22.q.78.1.ad 4.

Luc. 11.

Omnis virtus inter extrema medium obtinet,

PORRO hîc autem quaſi certũ, omnem omnino veri nominis virtutẽ inter extrema mediũ obtinere: & quamuis exceſſus charitatem, virtutũ omnino principẽ, ſecũdùm ſe vel affectũ corrumpere facilè nõ ſoleat: (neq; enim pius in DEVM, vel proximũ affectus poteſt eſſe nimius) poteſt tamen eã deprauare ſecundũ vſum, vel externum effectũ. Quamobrem niſi ea hîc adhibeatur cautio, quam in cuiuſuis virtutis opere adhibitam oportet, æquè illam in alterutrum extremorũ exorbitare continget, ac quamlibet aliam moralem virtutem. Exceſſu charitatis harmonia diſſoluitur, cùm quis inordinato ſui alteriúsue amore flagrãs, de externis vitæ huius commodis plus ſibi vel alteri adiungit, quàm neceſsitas poſtulat,

Charitas ſecundùm externum effectũ & vſum poteſt eſſe nimia,

lat, vel æquitatis ratio suadet. Defectu verò, cùm ex iisdem illis externis commodis, sciens volensq; minus sibi, vel alteri tribuit, quàm necessitas, vel vsus exigit.

CVM hi ergo, qui magnis opibus affluunt, totum illud, quod post omnẽ domesticam necessitatem modis omnibus expletam, reliquũ est, & tanta interdum quantitate reliquum est, vt locũ, vbi recondant, vix inueniant, mordicùs apud se asseruant, pertinacíq; studio occupant, plus de externis humanę vitæ præsidiis sibi vẽdicẽt, quàm vsus depoſcat, aut æquitatis ratio permittat, (nam aliâs nõ essent superflua, sed necessaria) planum fit, ordinatæ charitatis limites transilire, adeóq; cœleste numen per excessum offendere. Sicut illi quoq;, qui amicum vel hospitem sumptuosiùs, quàm par est, excipiunt, plus alteri, quàm boni mores ferant, deferunt.

RVRSVM cùm iidem illi, de quibus hîc sermo est, nullum ex iis rebus, quę suę suorumúe personę prorsus superuacaneæ sunt, vitæ præsidiũ illis impertiunt, qui cũ graui admodum, licet non extrema egestate conflictantur, minùs ex communibus miseræ huius vitæ adminiculis distribuant alteri, q̃ Christianæ charitatis lex ferat, aut humanę quoq; societatis necessitudo sinat; (Quandoquidẽ iuxta naturalis æquitatis prędscriptũ, externa fortunę bona seruire debent primò quidẽ vitę naturęq; ꝓprię; mox verò cõiunctę; postremò autẽ cùm suę, tũ proximi quoq; personę, rebusq; piis, & Reip. vel Ecclesiæ vtilibus vel necessariis) fit vt per defectum in alterũ extremum impingant: Sicut illi quoque, qui vitæ personæue propriæ necessaria, quæ poterant & debebant, non administrant; adeóq; vtrobiq; à charitatis & æquitatis εὐταξίᾳ exorbitant.

ADHAEC cùm omnia illa, quę in familiarem vitę mortalium vsum quouis modo veniunt, iure naturali sint communia, aliáq;, quo ad œconomiam & vsum, ius gentium adiudicarit aliis; nihilq; ex illo gẽtium iure oriatur iniquũ, aut ἄτακτον: (Siquidẽ ius illud non vndicunque, sed ab æterna lege, naturáq; mente & ratione prædita originem ducit) fieri non potest, quæ huic vel illi homini solutè superãt, vt ea quò ad dominium & vsum ipsis sint verè propria. Vsus namque absolutè redundantium, & præposterus est, & naturali & Gentium quoque iuri planè dissentaneus est. Dicimus propria esse desinere possidentis quo ad vsum & dominium: nam quo ad curam, & dispensationem, donec reipsa in pauperes, vel

Iure naturali omnia sunt communia, iure Gẽtium nõ omnia sed superuacua tantùm.

vel alias pias causas exponantur, citra noxam penes occupantem manent. Iam si absolutè superuacaneum iure gentium penes possidentem non manet, secundùm dominium vel legitimum vsum; sed tantùm secundùm œconomiam & dispensationem, consequens fit, vt iure naturali, quo omnia sunt cõmunia, indigentium efficiatur proprium, distribuendum tamen pro eius, qui occupat, iudicio & voluntate: Nam procuratio & dispensatio ex eodem illo Gentium iure competit occupanti. Quo fit, vt apertè contra naturalem iuris æquitatem committant, quicunque ea, quæ personæ proprię nullo modo necessaria sunt, commoda oblata occasione, inter egenos non distribuunt.

Personę propriũ alterius fieri potest quoad vsũ.

Sed neque personę quoq; ita vnquam aliquid est proprium, vt alterius, quo ad vsum, proprium effici interdum non queat. Etenim quod nunc non modò, quo ad œconomiam & administrationem; verumetiam quo ad vsum & dominium huius vel illius personæ omnino est proprium, hoc ipsum, vbi primùm extrema inedia alterum inuaserit, quo ad vsum desinit esse proprium, & secundùm eundem vsum eius incipit esse proprium, qui extrema egestate laborat. Quare etiam infirmorum offensione secluſa, si propria deessent, nec aliunde, quod opus est, haberi posset, liceret in dicta causa possidenti illud adimere; & in extremè egentem transferre. Hoc autem nullo modo fas foret, si in summa illa rerum egestate dominium integrè penes occupantem maneret. Causa explicata est iam antè: dictũ est enim, vitam proximi, æquè ex charitate diligendam esse, ac propriam, maiorisque hanc faciendam externis fortunæ commodis, inter quæ status præsidia & ornamenta censeri solent.

Plurima absurda ex illorũ doctrina sequũtur, qui præceptum eleemosynarium in extrema tantùm necessitate obligare contendunt.

Denique si extrema tantùm egestate sæuiente, eleemosynarium præceptum locum obtineret, sequeretur, qui opulentissimos census possident, multáque auri talenta, quibus non vtuntur, defossa habent, & omnibus mundi huius commodis abundant, nullum peccatum admissuros, etiamsi tota vita ne vnum quidem obulum in egenos exponerent: quippe cùm extrema illa inopia rarissimè vsu venire soleat. Sequeretur rursum, qui facultates ad statum non necessarias in mimos, vel hystriones, aut venatores, aut alias eiusmodi mortalium fæces profunderent, nullum inde noxæ partem cõtracturos: Siquidé quod nulli omnino, neque

neque iustitiæ, neque charitatis lege est debitum, id vtcunq; insumatur, modò in peccati materiam non vertatur, crimine vacat.

SEQVERETVR nihilosecius charitatis & iustitiæ legem æquè latè patere: Quandoquidem extremè egentibus lege iustitiæ opem ferre obligamur: Sequeretur tandem DEVM non æquam de omnibus prouidentiam habere; vt qui innumeros pauperes necessariis vitæ præsidiis destitutos reliquerit: Sunt enim plurimi, qui citra eleemosynaria auxilia vitam tueri nequaquam possunt: Diuites verò tantis opibus donauerit, vt splendidè quoque viuendo omnes absumere non queant. Atqui omnia hæc sunt planè absurda; firmissimè proinde credendū est, eleemosynam nō tum solùm obligatoriam esse, cùm quis obtinet superflua naturæ, & occurrit quispiam extremè egens, eleemosynamque petens; verumetiā cùm quis habet superflua personæ, & offert se quispiam, cui ea non suppetunt; quæ suæ personæ, vel vitæ omnino sunt necessaria; vel ægrè admodum, quæ ad vtrumque sunt necessaria, parare potest.

DILVVNTVR HIC EORVM RATIONES ET argumenta, qui præceptum eleemosynarium extrema tantùm egestate premente, obligare contendunt.

SED obiiciebas: Durum videtur, tot diuites cōdemnare, quot statui superuacua possident: Tot rursum confessarios, quot eiusmodi diuites in foro pœnitentiæ absoluunt. Negari sanè non potest, plerosque ętatis huius confessarios, nulla ferè, quid quisq; in bonis habeat, habita ratione, omnibus promiscuè absolutionis beneficium impendere: Verùm hinc non sequitur, rectè semper impendere, hoc est, inter absoluendum nihil quicquam vnquam erroris admittere: Formidandum est enim, plures passim comperiri, qui absoluendi potestatem exercent, quàm qui veram absoluendi rationem probè teneant.

Non omnes, qui in foro pœnitentiæ absoluūt, rectè semper absoluunt.

ADHAEC magno opus est iudicio, magnóque rerum politicarum & œconomicarū vsu, vt hunc vel illum plura, quàm opus sit, possidere certò ac liquidò concludas. Nam qui certam hîc sententiam prolaturus est, multa cōsideret oportet: Puta statum, familiam, eius denique qualitatem, seruos, ancillas, alumnos,

Non est facile de personæ superuacuo sententiam ferre.

hoſpites, donationes, extraordinarios ſumptus, futuros caſus, licet non omnes, ſed communes tantùm, & alia id genus complura; quibus omnibus diligenter conſideratis, & ad æquitatis bilancem reductis, fortè non tam multi exuperantia poſsidere inuenientur, quàm multi tenacitatis nomine paſsim inſimulantur. Præterea pœnitentes, quorum dictis, niſi de oppoſito apertè conſtet, fides habenda eſt, (Ponitur enim vnumquemque ſuæ ſalutis curam habere) de facultatum ſuarum ratione interrogati, rariſsimè plura ſe poſsidere profitentur, quàm quæ ſtatui ſuo conſeruando ſint neceſſaria.

Pœnitenti in propria cauſa fides habenda, niſi cõſtet de oppoſito.

Accedit huc quoque, perſonæ ſtatuíque tuendo neceſſarium, non conſiſtere in puncto; ſed in quadam ciuili latitudine. Etenim quibuſdam ad tuendam ſtatus dignitatem centum aurei nummi ſat ſunt; aliis quingenti parum ſunt. Quidam multis millibus locum ſuum vix defendunt. Sed & illi ipſi quoque, qui centum aureorum cenſu vtcunq; honeſtè & commodè alere ſe poſſunt, ſi 120. aut aliquid eo amplius fortè poſsideant, non ſtatim vt ſuperuacanea iniuſtè occupantes, condemnandi ſunt. Nam præter quàm quòd rerum precia & tempora inter ſe ſint admodum diuerſa, poſſet etiam caſus quiſpiam accidere, qui magnam aliquam eleemoſynam, aut domeſticam impenſam exigeret. Denique licet ſententia, quam hîc defendimus, ſit tutiſsima, communiſsima, magnisque rationibus & fundamentis nixa, oppoſita tamen vt erronea ab Eccleſia nondum eſt præſcripta. Et hoc quidem ad id dici poſſe videtur, quod de communi confeſſariorum conſuetudine obiiciebatur.

Statui neceſſariũ non conſiſtit in puncto, ſed in quadam ciuili latitudine.

Ad alterum argumentationis membrum, quod de periculoſa diuitum conditione proponebatur, reſponſionis loco illud Christi Seruatoris allegari poteſt: *Amen amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum.* & illud rurſum eiuſdem: *Filioli quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt? Facilius eſt camelum per foramen acus introire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Cognatum eſt huic illud Pauli: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Sed neque multùm quoque ab his Christi & Apoſtoli oraculis diſsidet illud Iacobi: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ adue-*

Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. 1. Timo. 6. Iacob. 5.

aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt; & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt; aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis. Æquè grauia diuitibus, & ſæculi huius dynaſtis ominantur alij diuinorum oraculorum interpretes.

Periculoſus diuitum ſtatus, ſed non omnium.

AT certum interim eſt, terribiles illas Scripturarum comminationes, de omnibus diuitibus indiſcriminatim accipi non poſſe: (Nam & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Iob, & Dauid, & Zachæus, & Ioſeph ab Arimathia, & alij complures magnis opibus valuerunt, qui omnes tamen proſpero vento ad ſalutis portum appulerunt) ſed de iis præcipuè, qui diuitiis in ſuam, aut aliorum perniciem, aut in CHRISTI iniuriam abutuntur, aut per impoſturam, fraudem, vel rapinam illas colligũt; aut certè contra charitatem, quæ proximo debetur, eaſdem detinent. Contra quos ex inſtituto agere videntur, quæ paulò antè ex Apoſtolo Iacobo allata ſunt.

Multi diuites ſalutem conſecuti ſunt.

ETENIM dum ita ſcribit: *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt; veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt; aurum & argentum veſtrum æruginauit*, perinde eſt, ac ſi ſcribat, vel dicat: Vina, frumenta, cæteráque humanæ vitæ præſidia, quæ, quòd vobis ad vſum redundarent, in egenos erogare debueratis, & non erogaſtis, in horreis veſtris, in arcis veſtris, in cellis veſtris, præ multitudine computruerunt. Veſtimenta, quibus frigore rigentes tegere, & ab æris iniuria munire vos oportebat, in aceruum congeſta, tineis & blattis eſcam feciſtis. Aurum & argentum, quo captiuos redimere, nudos veſtire, eſurientes reficere iuſsi eratis, in terra defoſſum ærugine ſitúque obduci paſsi eſtis: propterea *plorate vlulantes*, quia grauiſsima ſupplicia vobis imminent. Hęc autem comminatio & obiurgatio in illis locum non habuit, quorum iam meminimus: Erant enim illi hoſpitalitati, cæterisque pietatis & miſericordiæ operibus deditiſsimi. Quamobrem non eſt quòd auari, inhumaníque diuites horum exemplo impunitatem ſibi promittant; vtcunque ſit, periculoſus eſt diuitum ſtatus, hoc præſertim tempore, quo tantum auaritia inualuit, Chriſtianáque charitas, & operum miſericordiæ ſtudium tantopere refrixit.

Iacob. 5.

Locꝰ Iacobi auaros diuites grauiter perſtringẽs.

Panormitanus D Thomæ sententiam non assecutus.

Quo sensu eleemosyna extra extremæ necessitatis casum libera dicatur.

OBIICIS denuo: Panormitanus, & alij quidam haud contemnendæ auctoritatis & eruditionis viri eleemosynarum largitionem, extra extremæ necessitatis articulum, liberam pronunciant. Pronunciant sanè, verùm id non ex sua, sed ex D. Thomæ, quam malè assecuti erant, sententia; hanc enim illi allegant. Quare non est mirum, si à communi sententia degenerarint. Sed hactenus quoque libera est, quatenus eiusmodi diuites, quod superest, non obligantur certæ alicui personæ tribuere, sed huic, vel illi, vel alteri, cuicunque visum fuerit. Neque hoc die rursum, mense, vel anno; Possunt enim ea, quæ personæ reliqua sunt, apud se asseruare, dum vel maior iuuandorum pauperum opportunitas, vel euidentior Ecclesiæ vel Reipub. vtilitas, vel vrgentior quoque erogandi necessitas occurrerit. Nam etsi in laude poni soleat, ea statim in pauperes erogare, quæ statui necessaria non sunt, non est hoc tamen semper consultum, nedum absolutè præceptum, aut simpliciter necessarium: Expedit enim interdum, expectare commodam erogandi occasionem. Denique vt ex illorum scriptis colligi potest, non accipiunt extremæ necessitatis articulum presse; sed ea latitudine, vt grauem quoq; inopiam comprehendat; quo sensu tolerabilius est, quod opinantur.

OBIICIS tertio: Si id totum, quod præsens vitæ status non deposcit, in pauperes infra extremæ egestatis metam constitutos dispertiri necessum est: Ergo nulli opulẽto fas erit, splendidè ædificare, aut dignitatem aliquam coëmere, aut monasterium vel studiosorum hominum collegium extruere, aut ab alio extructum dotare; Nam quibus hæc afficerentur, quo ad vsum non sua, sed pauperum essent propria. Sed neque iis quoque, qui magnis opibus affluerent, mercaturam exercere, aut oblatam hæreditatem adire ius esset: Quandoquidem æquè vitio obnoxium videtur, superuacanea, siue per mercaturam, siue per aliam quamcunque artem, viam, vel professionem conquirere, atque iam antè conquisita, aut quouis iure vel titulo obtenta retinere. Rursum quicquid cũ virtute, laude, & honestate licet quærere, hoc ipsum etiam cum virtute, laude, & honestate quæsitum licet possidere. Atque hæc omnia à communi mortalium sensu, diuitumq; huius sæculi vsu sunt admodum aliena.

NIMIS

Eleemosynæ ratio & status decentia latè patent.

NIMIS angustè propriam eleemosynarum rationem, statusq; decentiam vsurpas argutator: Nam, vt alibi dictum est non semel, & prudentibus per se notum est satis, Ecclesias dotare vel exædificare, Bibliothecas publicas, vel studiosorum hominum collegia instituere, ὀρφανοτροφεῖα, γεροντοκομεῖα, νοσοκομεῖα, παρθενοσεμνεῖα, aliáque id genus pia & publica opera erigere, perpetuisque censibus locupletare, adeò cum verarum eleemosynarum, piarumq; causarum ratione non pugnat, vt principem quoq; locum inter illas obtineant: Pari modo vxorem, liberos, reliquosq; domesticos honestè decenterq; habere; & vnde honestè decenterque in posterum habeantur, per mercaturam vel aliam quamcunq; licitam viam vel artem conquirere; Filiæ dotem, vt honestiùs elocetur, augere; In filium vel nepotem studiorum causa maiusculos sumptus facere, hoc non est, statum, quem obtines, aut personæ, quam sustines, limites transcendere, aut statui nõ necessaria possidere; sed spartam, quam nactus es, pro viribus ornare: Siquidem in his rebus status dignitas potissimùm versatur.

Per media licita, ad sublimiorem statum contendere, per se non est illicitum.

DE status mutatione idem fortasis dici queat: Nam si dignitatem, vel magistratum non vulgarem vltrò oblatum (dummodo tamen ea suppetant præsidia, quibus cum dignitate, & publica vtilitate administrare valeas) inculpatè licet admittere, quo tamen admisso status qualitas plerunq; mutatur: (Aliud est enim priuatam vitam ducere, aliud in publico magistratu versari) cur non etiam per media honesta, & licita, ad eiusmodi magistratus eniti? Certè non videtur maius periculum in obeundis ciuilibus muneribus, vel maius peccatum in iisdem expetendis, quàm in Ecclesiasticis: Si adhæc ergo per vias honestas contendere licet, cur non etiam ad illa? Ea propter si quis ea possideat, quæ ad præsentem statum honestè tuendum abunde sat sint, ad supremum autem magistratum in ciuitate obtinendum sat non sint, nullam video causam cur istiuscemodi homini rei augendæ studio tantisper vacare non liceat, dum per opes capessendo magistratui idoneus euadat. Modò tamen propter eiusmodi animi institutum pauperum etiam vulgarium, ne dum extremè vel quasi extremè egentium causam non negligat; aut indiligentiùs quàm par est tractet; neq; quicquam omnino, quod cum iustitia vel honestate pugnet, ea de causa committat.

Sed neq; iis quoq;, qui & sorte & statu suo cõtenti viuunt, & omnibus vitæ personæq; necessariis abundant, negotiari aut oblatam hæreditatẽ adire vlla omnino lege, aut iure inhibitum est: Nam etsi negotiari non debeant, quò plura in nullum vsum recondãt (ponimus enim omnibus necessariis affluere,) possunt tamen negotiari, quò ad benignè faciendũ egenis potentiores subinde euadant: Vt si antè decem tantùm pauperes ex vitæ residuis alebant, postea auctiores iam facti, alant 12. aut 15. aut 20. Lex itaq; eleemosynaria nulli negotiandi, aut rem faciendi viã præcludit, sed occasionem potiùs offert impigrè laborãdi, sobrieq; & parcè viuendi; per vtrumq; enim augetur facultas bene de proximo egente merendi. Luxus enim & otium non muniunt viam ad eleemosynam; sed ad rapinam, & fraudem, & alias malas artes.

Quo fine opibus magnis affluentibus liceat negotiari, aut mercaturam exercere.

Obiicis quartò & postremò: Nulla apparet ratio, cur id alteri impertiri obligemur, quod ipse vel vltrò oblatum, vel antea tutò possessum liberè, si voluerit, repudiare potest: Atqui potest quispiam, vel sponte, vel voto iuramentóue obstrictus, in tanta paupertate, rerumq; omnium inopia ętatem agere, quantam humana imbecillitas ferre vix queat: Quemadmodum multos eximiæ sanctimoniæ viros in eiusmodi egestate olim vixisse, & etiãnum quosdam viuere certum est: Si ergo proximo adest, vnde viuat, sicut semper adest, nisi extrema inopia laboret, (Nam qui extremè non indiget, non indiget absolutè, sed tantùm secundùm quid, quò nimirum commodiùs viuat) nihil se offert, quod personæ residuum, in eiusmodi pauperes transferre necessariò compellat.

Hoc argumentum plus coloris, quàm roboris habet: Nam vt illi, qui quodcunq; damnum alterius dolo, fraude, vel impostura accepit, nihil omnino præ eiusmodi damno repetere integrũ est; imò verò compensationem vltrò oblatam liberè, si voluerit, repudiare potest; & tamen omne id, quod iniusto titulo, aut nomine possidetur, dum condonetur, vel persoluatur restitutioni obnoxium est; ita quamuis is, qui nõ extremè inops est, inops tamen est, ob pietatis studium, aut aliam honestam causam, nullam eleemosynam petere, aut sponte oblatam recusare queat; ille tamen, qui absolutè superuacanea possidet, pro loci & tẽporis opportunitate, tenetur ea, si non in illos, qui recusant, vel non effla-

Quicquid iniusto titulo possidetur, dum cõdonetur, vel persoluatur, restitutioni obnoxium est.

gitant,

gitant,certè in alios,qui indigent,& nõ recusant,erogare. Quanquam,vt antè dictum est,nõ tenetur huic vel illic præcisè; sed isti, vel illi,vel alteri,cui ipse voluerit,impertiri. Aliud proinde est,iuri suo sponte renunciare ; aliud, quod iustè non potes, iniustè retinere. PATET ergo,præceptum eleemosynariũ non eos solùm obligare,qui incidunt in extremè,vel quasi extremè egentes; verùm eos etiam,qui absolutè superflua possident:siue eiusmodi possessores manuum labore,ingeniíue industria vitam tolerent; siue ex ciuilibus aut Ecclesiasticis censibus victitent; Hoc enim ad rem, de qua hîc agitur, impertinens est.

De iis,qui eleemosynam donare possunt,vel non possunt.

CAPVT SEPTIMVM.

VNVMQVEMQVE ex iis rebus, quarum legitimum dominium, plenamque ac liberam administrationem habet, (nisi forsan peculiari aliqua lege patrieue statuto,aut consuetudine inhibeatur)munus vel eleemosynam donare posse,extra controuersiam est. Quòd si verò alterutrum horum defuerit,neutrũ iure poterit.Perspicuum est enim,pueris sub tutoribus adhuc agentibus, mentéue captis, vel aliâs rationis vsura destitutis grandes eleemosynas, aut alias non leuis momenti abalienationes facere, potestatem non esse: Non quòd veri propriiq; eorum, quæ donant,vel alia ratione abalienant,Domini non sint;sed quòd ob rationis infirmitatem,legitimam eorum,quę in pauperes exponunt,vel alio modo distrahunt, administrationem non habeant.

Quiuis ex eo,cuius dominiũ & administrationem habet, munus vel eleemosynam donare potest.

Pueri cæterique ratiõis vsura destituti abalienare non possunt.

ÆQVE certum est maiestatis reos, cæterosque, quorum bona propter delictum fisco addicta sunt,abalienandi ius non habere;non quòd eorum, quæ abalienant, vsq; ad iudicis sententiam, factiue declarationem, curam & administrationem nõ habeant; habent enim ; sed quòd propter admissum crimen, legitimo eorum,quæ donant vel administrant, dominio careant. Quare lata iam condemnationis sententia, quæcunque iam inde à conflato crimine abalienauerant, ad fiscum reuocantur. Fateor tamen, eam reuocationem legum externarũ sæueritate magis niti,quàm diuino aut naturali iure.

Cur maiestatis rei donare vel abalienare iure non queant.

PORRO

Qui ex propriis non potest, ex alienis extremè miseris opē ferre potest.

PORRO autem, vt vnusquilibet ex absolutè propriis, hoc est, ex iis, quorum veram proprietatem, legitimamq; administrationem habet, eleemosynam vel munus quodcunq; erogare potest; ita quilibet quoque, si propriis destituatur, ex alienis iis opē ferre potest, quos extrema egestas exercet: siue ea iam tum primùm accipiat, siue antè iam accepta apud se retineat. Causæ, cur iurè id fieri queat, expositæ sunt iam antè; Verùm qui tantum in bonis habet, quantum ad submouendam extremè egentis miseriam citra propriæ vitę incommodum sat est, is rem alienam, inscio Domino, contrectare nullo modo debet; sed neque citra peccatum quoque contrectare potest. Imò qui id faceret, bis quodammodo peccaret; semel alienum inuito Domino inuadendo; iterum inuasum et iam per vim vel fraudem occupatum, quasi proprium in alios distribuendo.

AT esto, inquis, non deceat, nec liceat quoque totum id alteri adimere, quo extremè egenti succurratur, si propria, quibus præsens necessitas depellatur, ad manum sint; licitum tamen videri queat, postea quā quotam, quæ me contingebat, ex proprio exolui, reliquum aliis adimere, qui æquè, vel magis quoque beneficium illud præstare tenebantur, ac ego. Casum hîc propositum tali exemplo illustro. Sit aliquis è fidelium cœtu à Paganis vel Mahometanis captus, qui, nisi redimatur, omnino sit perimendus, vel certè grauissima vexatione ad fidei desertionem tandem deducendus. Liberationis nomine à piratis exiguntur 80. ducati, quos captus ille, quòd nihil in re, parum aūt in spe habeat, numerare nequaquam potest. Adsunt quatuor opulenti mercatores, qui citra vllam status sui imminutionem, aut rei familiaris incommoditatem, infelicem illum à vitę salutisq; periculo liberare poterant, & meritò quoq; liberare debebant: Verùm quia tres ex illis magis amant nummum, quàm proximum, nolunt quicquam, neq; per modum doni, neq; per viam mutui ad illius liberationem conferre. Ego verò, qui vnus ex quatuor reliquus sum, ne extrema illa calamitas fratrem opprimat, totum precium solus soluo, cùm tamen pro mea portione 20. tantùm numerare debuissem: Siquidem tres reliqui æquè obligabantur, atq; ego, & fortè magis; quia magis abundabant. Cur ergo clanculum, vel alio modo id illis adimere, mihi non liceat, quod illorum nomine?

mine persolui? Ademi enim illud tantùm, quod illi iure tenebantur donare; cuiusq; proinde acceptionem, si non elicito, debito sanè actu probare debebant.

Non licet alienũ inuadere, si proprium adsit, quo extremam inopiam subleues.

Non est istud licitum, neque rationi quoque satis consentaneum. Nam vt aliena rapere non licet, quò priuatam necessitatem expleas, modò propria in promptu sint, vndè id facias; ita si ex proprio peculio hunc vel illum extremè laborantem subleuare potes, aliena, quò eundem subleues, inuadere nequaquam debes. Quòd autem iure istud fieri non queat, aliud nihil in causa est quàm lex, quę, ne aliena Domino non absq; ratione inuito cõtrectes, seueriſsimè prohibet. Cùm is ergo, qui hìc aliena inuadit, habeat propria, quibus, si vellet, pauperi subuenire posset, meritò rei ablatæ Dominus censetur inuitus. Quarè falsò asserebatur, Dominum in eiusmodi ablationem consensisse actu debito, etsi non elicito. Haberet id locum, si is, qui abstulerat, non habuisset propria, quibus extremè miserum subleuaret: Verùm quia propria habuisse ponitur, sicut illi non licuit singulis adimere totum, sic nec partem quoque; par enim, quantum ad eam rem attinet, totius & partis est ratio. Paucis, si priuata autoritate id extorquere liceret, quod alius iure debebat; vel eam pœnam irrogare, quam iudex reo secundùm leges inferre debebat: liceret furem suspendere, quem prætor vel iudex pecunia corruptus, liberum dimisisset. Sic quoque liceret Socrati pecuniam subducere, subductamq; Platoni, cui Socrates debebat, neque facere tamen satis volebat, assignare, & alia multa eiusmodi tentare; quod nemo sapiens facilè concesserit. Orirentur hinc enim ingentes in Repub. & Ecclesia turbæ, plurimæque hominum cædes & iniustæ expoliationes.

Non licet priuata autoritate extorquere, quod alius iure debet, aut pœnam inferre, quam alius iustè promeritus est.

Quid si dum vnus alterius officium præstolatur, nullus ex illis quatuor misero illi capto, vel alteri cuicunque in simili miseria cõstituto, opem ferat, & ille interim in ea calamitate mortem oppetat, vel fidei iacturam faciat? Sanè si nullus ex illis succurrit, singuli fraternæ salutis apud Deum tenebũtur rei: Quandoquidem singuli citra vllum propriæ vitæ, aut personæ incommodum infelici illi subsidium adferre poterant, & iure adferre debebant; cùm istud autem non fecerint, conqueri non possunt, si fratris mortem Deus illis imputauerit. Commendauit is enim vnicui-

que proximi sui causam, seuereque exigit, vt id aliis præstemus, quod nobis iure præstari vellemus. Quamobrem si decem plurésue inedia, vel nuditate, vel alia miseria de vita periclitari animaduerto; neq; vlli tamen ex omnibus opem fero, cùm aliquibus tamen queam, tot iuris interpretatione occido, quot pecunia, vel opera mea in vita conseruare poteram, & non conseruo: Habetque id locum non solùm in siti, aut fame, aut nuditate; sed in alio quouis vitæ discrimine. Vnde si quos in hostium vel latronum manus incidisse video, ex quibus prece vel precio, vel ferro quoque aliquos eruere quiuero, etsi non omnes, si hîc cessauero, tot indirectè trucido, quot liberare poteram, & non libero.

Tot iuris interpretatione occido, quot in vita conseruare queo, & non conseruo.

QVAMVIS ergo, vt rem hanc paucis absoluam, omnes & singulos fame, vel frigore, vel alio incommodo pereuntibus, aut grauiter alioqui de vita periclitantibus, necessaria vitæ præsidia administrare oporteat; Qui quidem ex propriis possunt, ex propriis; qui verò hinc non possunt, vndecunque aliunde, pace semper, & publica ædificatione seruata; (præstat enim, pauperis sortem diuinæ prouidentiæ committere, quàm magnas illius causa turbas excitare; maximè cùm DEVS per eiusmodi cruces, electos suos quandoque soleat exercere,) attamen extra illum extremæ egestatis articulum, nulli fas est, pauperum causa, aliena contrectare. Nam, vt Apostolus rectè monet: *Non... sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Res autem iniusta & mala, magnisque periculis plena est, alterius bona per vim vel fraudem inuadere. Quomodo ea apertè inuadunt, qui citra extremam necessitatem inuadunt. Imò nec tunc quoque iustè inuaderent, si propria adessent, quibus eiusmodi necessitati obuiam ire possent.

Satius est pauperis causam DEO committere, q̄ illius causa turbas ciere.

Roman 3.

QVAPROPTER nisi tacitus, vel expressus consensus adsit, non licet seruis, de dominorum; neque liberis, de parentum; neque vxoribus de maritorum; neque subditis de Principum suorum facultatibus eleemosynam facere. Sed neque monasticen quoque professo, Abbate inscio, stipem in pauperes erogare licet. Liceret id tamen, si negotiorum, aut studiorum causa, aut religionis ergò apud exteros ageret; neque enim verisimile sit, per monasticas functiones id ea in re interdictum esse monacho, vel alteri cuicunque religiosorum hominum familiæ adscripto,

Monacho peregrè agenti in re eleemosynaria

pto, quod aliis honestis viris, quibus cum vnà viuunt, cum virtute, & merito exercere licet. Præsertim cùm ex piorum hominum beneficio vitam tolerantes, peculiari quadam ratione ad eleemosynarum largitionem obligari videantur.

aliisque similibus licet, quod cæteris honestis viris.

CAETERVM quæ de famulis, ancillis, liberis, matribusfamiliâs, aliisque hisce cognatis hoc loco proponuntur, ea non ea religione accipienda sunt, quasi nihil ipsis ex heri, parentis, mariti, vel alterius coniuncti rebus eleemosynarum gratia attingere liceat: Semper enim licuit & licebit, nisi expressè inhibeatur, quod tamen fieri non deberet, micas, quæ de Dominorum mensa cadunt, hoc est, minuta quædam hinc inde corradere, collectáque pro ipsorum qualitate, vel quantitate, inter plures pauciorésue distribuere. Quòd si qui sunt, qui Dominorum consensum ad tantillam rem necessarium ducunt, cogitent hi, consensum necessarium hîc non deesse: nam etsi desit fortè expressus, adest tamen tacitus, vel certè debitus, qui sat est ad factum eiusmodi ab omni iniquitate excusandum. Quis enim, nisi summè morosus, omnemque humanitatem exutus, ægrè ferat, id inter ostiatim vitæ præsidia mendicantes distribui, quod & nihil ferè erat, & fortè periturum erat? Si qui tamen animaduertunt, eiusmodi charitatis officium patri vel matrifamiliâs vehementiùs displicere, abstineant: plus enim DEO placet pax domestica, quàm eleemosyna ab inuitis extorta.

Ancillæ & famuli minuta quædam inconsultis dominis in eleemosynã erogare non prohibentur.

Magis placet DEO pax domestica, quàm eleemosyna ab inuitis extorta.

CONIVNXIMVS aût hoc loco famulos, vxores, liberos, & alios quosdam, non quòd eadem, aut par omnium sit ratio; Certum est enim, permulta in hoc genere concedi vxoribus, quæ non liberis; & his rursum quædam, quæ non famulis, aut ancillis, cæterisque inferioris ordinis domesticis; sed quò generatim iudicaremus, nisi euidens necessitas aliud suadeat, aliena inuadere, & in pauperes distribuere nulli fas esse. Et quidem ad vxores quod attinet, certum est, illas ex iis rebus, quarum plenum dominium, legitimamq; administrationem obtinent, æquè eleemosynam donare posse, ac maritos ipsos.

Non eadem dandæ eleemosynæ facultas est vxoribus, liberis, & famulis.

VT autem constet, quænam illę sint, adeóque quando, maritis inconsultis, pauperibus benignè facere inculpatè possint, & quando rursum legitimè id non possint, aduertendum est, bona

Bona vxoria quadripartita.

vxoria, hoc est, qualia vxores habere contingit, quadripartita esse. Habent enim, aut certè habere possunt dotalia; habent paraphernalia, seu doti accessoria; habent propria industria acquisita; habèt tandem quædam cum maritis communia, cuiusmodi sunt ea, quæ constante matrimonio communi labore & studio cõquisiuerunt. Iam ex his spectandũ & definiendum est, quid in re eleemosynaria queat vxor, marito nõ consulto; quid item eodem inconsulto, non queat, quamuis ex his non præcisè.

Vxor nulla habet bona, quæ eleemosynæ materia esse non queant.

Secluſa extrema necesitate, vxor nec dotem, nec dotis partẽ, nec dotis fructus in eleemosynã conuertere potest.

Et primò quidem certum est, nullum esse bonorum vxoriorum genus, quod in eleemosynarum materiam verti non valeat; quippe cùm contingere queat, vt extrema necessitas occurrat, neque vllum tamen ex iis omnibus vitæ naturæúe propriæ sustentandæ necessarium existat. Extrema autem necessitate secluſa vxor neque dotem, neque aliquam dotis partem, neq; dotis fructus, absque mariti consensu in eleemosynam erogare potest. Non dotem aut dotis partem; quia etsi vtriusque ius maneat penes vxorem, cura tamen & administratio transit ad maritum. Neque fructus rursum, quia hi propter onera matrimonij proprij sunt mariti & quò ad dominium, & quò ad administrationem. Quod rursum confirmat, vxorem, inconsulto marito, dotem, aut dotis partem abalienare non posse. Quandoquidem vt integri fructus pendẽt ex integra dote; ita pars fructuum dependet ex dotis parte. Fructus autem pleno iure pertinent ad maritum.

Ex bonis paraphernalibus, vxor in eleemosynas erogare potest, quantum et quando velit.

Contra verò quòd paraphernalia, hoc est, doti accessoria, & quò ad vsum, & quò ad dominium, & quò ad reliqua omnia vxoris sint propria, potest illa, marito nõ consulto, ex illis quantum velit, & quando velit, & quoties velit, in pauperes, vel alias quascunque pias causas erogare; nisi forsan domestica paupertas aliud suadeat, vel aliud quoq; postulet. Nam si maritus, vel liberi, vel alij domestici egerent, contra charitatis ordinem cõmitteret, si in exteros illa erogaret. Notum est enim illud Apostoli: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et quod de paraphernalibus hoc loco assertum est, hoc ipsum de iis quoque, quæ propria industria conquisiuit, accipi potest: Nam horum quoque plenum dominatum, liberamque dispensationem obtinet.

1. Timo. 5.

Quæ propria industria acquisiuit vxor, in pauperes insumere nõ prohibetur.

Ex

Ex communibus autem, quòd neque integrum illorum dominium, quod ad liberam dispensationem est necessarium, neque legitimam quoque eorundem administrationem habeat, pro suo arbitrio erogare non potest: Attamen quòd materfamiliâs existat, & ea ipsa bona suo quoque modo ad se pertineant, (siquidem matrimonio soluto sua etiam quota ex iis ad se redit.) potest viri consensu non quæsito, modicas & quasi communes eleemosynas, (quales sunt quotidianæ illæ, quæ ostiatim mendicantibus donari solent) ex bonis vtrisque communibus elargiri. Et quamuis sordidus maritus iubeat, ne id faciat, debet nihilominus apud se statuere, non simpliciter inhibere; sed tantùm, ne modum excedat, præscribere: Tum rursum id sibi in ea re licere, quod cæteris honestorum coniugum consortibus communiter hîc licet: Tum demum virum ita caput rerumque domesticarum administrum esse, vt ipsa tamen non sit illius serua aut ancilla; sed socia non solùm ad sobolis procreationem, verùm etiam ad rei familiaris curam & administrationem.

Vxor ex bonis communibus cõmunes eleemosynas donare potest.

Vxor viri socia, non solùm ad sobolis procreationem, verùm etiã ad rei domesticæ curam & administrationem.

Imo verò si vxor animaduerteret, maritum suum, vsque adeò inhumanum, tenacem, & sordidum, adeóque salutis suæ oblitum, vt nullam miserorum rationem, nullam de æterna vita cogitationem habere videretur, quò cladem in hoc vel in altero sæculo illi impendentem arceat, exemplo Abigaelis vxoris Nabal, largiores quandoque eleemosynas ex bonis communibus erogare poterit. Nec enim aliud hîc agit, quàm quòd arte quadam mariti salutem procuret, pestemque, quę ceruici illius impendebat, eleemosynarum vi, pauperumque intercessione aliò transferat, aut nonnihil saltem mitiget. Patet hinc ergo, vxores nemine consulto, eleemosynam interdũ dare posse. Possunt hoc enim extrema vrgente necessitate, si mariti absunt, vel præsentes non succurrunt: Possunt rursum ex doti accessoriis, propriáque industria acquisitis; possunt tandem ex bonis communibus, si communem modum & consuetudinem non excedant.

Vxores maritorum tenacitatẽ, liberalitate in pauperes cõpensare possunt. 1. Reg. 25.

Possvnt ne in his casibus tantùm? nequaquam. possunt idem quoque, si maritos habeant fatuos, vel ea mente præditos, vt neque sua, neq; aliena administrare queant. Nam furente marito, nisi per legitimum magistratum alius curator datus fuerit, totius domus cura & administratio deuoluitur ad vxorem. Potest

Vxores, quibus bonorum administratio quacũque de causa cõmissa est, possũt liberè eleemosynas donare.

idem rursus mente & ratione valens vxor, si maritus agit peregrè, vel exulat, vel alia quacunque de causa abest; neque domus suæ curam alteri, quàm vxori, dum excederet, commisit. Potest idem postremò, si maritus aliquô se conferens, certam pecuniæ summam, vnde in illius absentia se alat, ipsi assignauit, si quid parcè frugaliterque viuens, geniumque suum defraudans, inde forsan comparserit. Sunt aliæ causæ & casus, quæ eandem facultatem vxori faciunt, sed hi sunt præcipui. Denique potentum ac diuitum vxoribus (ad has enim spectat, quicquid de vxoribus, earundemque in re eleemosynaria facultate hîc disputatum est, pauperculæ enim nihil, aut parum habent, quod donent) non desunt multæ honestæ, & iustæ commiserationis causę; sed, quod dolendum est, plerisque magis deest voluntas & animus, quàm potestas. Comperias enim multas, suis maritis multis partibus tenaciores & sordidiores.

Filiifamiliâs ex iis omnib⁹, quæ iusto titulo ad se pertinent, pauperibus benignè facere possunt.

QVAE de vxoribus hoc loco asserta sunt, ea certa quadam analogia ad liberos quoque trahi possunt: Nam ipsi quoque à parentum suorum bonis & facultatibus non sunt prorsus alieni; tametsi dum parentes supersunt, illorum non sunt Domini; alioqui enim refragantibus liberis, qui genuerunt, abalienare nõ possent; hoc autem falsum, & à recepta consuetudine alienum est. Adhæc vt vxores, præter dotem, habent paraphernalia, manuum opera & industria parta; ex dimenso suo comparsa, aliáque eiusmodi, ex quibus egenis benignè facere possunt; ita filij vel habent, vel habere possunt castrensia; cuiusmodi sunt, quæ hasta iustóq; Marte compararunt. Quasi castrensia, cuius generis sunt ea, quæ lingua vel calamo, hoc est, docendo, aduocando, scribẽdo, aliáq; similia tractando adepti sunt. Honoraria, qualia sunt, quæ ex parentũ, vel aliorum liberalitate obuenerunt. Studiis deniq; vel alimentis, vel peregrinationib⁹ &c. deputata, ex quibus omnibus, si quid reliquũ fuerit, in pauperes CHRISTI misericordiam exercere possunt.

Filij parentibus superstitib⁹, bonorum illorum non sunt Domini.

TANDEM vt vxores habent bona cum maritis communia, vnde communes eleemosynas elargiri possunt, & magnas quoq;, si maritorum voluntas accesserit; ita illi habent sua aduentitia & prouectitia, quæ ipsa quoque, si parentum studium non defuerit, in eleemosynarum materiã vertere possunt. Quòd si nihil horum omnium ad manum fuerit, & tamen quibusdam vehementer egenti-

egentibus benefacere cupiunt, caueant, ne ex paternis bonis plus in pauperes erogent, quàm præsens necessitas deposcit, & rei familiaris ratio commodè permittit, ne vel turbas domi excitent, vel pauperum causa modicum subducere assueti, propria causa furandi occasionem inde accipiant.

Periculosum est vel modicũ pauperum causã, parentibus, vel Dominis subducere.

QVOD ancillæ & famuli, cæteráq; seruitia ex herilibus bonis in pauperes erogare queãt, dictum est antè. Quid verò ex proprio peculio impensæúe operę mercede in eo genere valeant, disputationem nõ habet. Certũ est enim, de propriis insumere hîc posse, quantum libuerit. Nam quicunq; potest libere donare vel abalienare, is eleemosynã quoq; donare non prohibetur. Refert autem non parum, ex propriisne donẽt, an ex herilibus: Etenim dum ex herilibus, heri voluntate accedente vel non reclamante, erogant, totius operis fructus manet penes herum: Attamẽ meritũ, quod suæ bonæ voluntati debebatur, in alterũ non transmigrat. At verò dum ex propriis donant, soli ipsi donati muneris fructu gaudent.

Multum interest, ꝑprium ne dones tanquam Dominus, an alterius tanquam minister.

QVOD si famulæ vel famuli, insciis vel reclamãtibus Dominis, egenis ostiatim mendicantibus nihil dare possunt, nisi admodum parum, vt paulò antè expositũ est, multò minùs iisdem Dominis insciis, aliis qui non egent, vel eo modo nõ egent aliquid donare poterunt. Quare & suę & aliorum quoque conscientiæ malè consulunt, qui ancillas vel alios familię ministros inducunt, vt hoc vel illud clanculum è penu, vel alio loco subductum, sibi vel alteri impertiantur, etiamsi subducta precij sint non admodum magni. Committitur hîc enim quędã iniustitia, & sternitur via ad maiora furta, vt ꝓbat experiẽtia. Quòd si alicui è famulis domus cura demãdata fuerit, vt Eleazaro, Damasco, Abrahamo, & Iosepho Phutipharis Ægyptij, poterit is cæteris liberiùs eleemosynas dare. Nã etsi eiusmodi curatores magis instituantur, vt rem augeant, q̃ vt multa erogent; poterunt ea tamen in pauperes erogare, quæ Dominus iure meritóq; debuisset, si adfuisset, aut rebus suis ꝓfuisset.

Graue peccatũ est, ministros inducere vt quacunque de causa Dominis furent.

Genes. 15.
Genes. 39.

QVID de Monachis? nunquid illis etiam ex monasterij bonis pauperibus benefacere ius est? Quid illis ea in re liceat, dum studiorum causa in Academiis versantur, vel aliâs peregrè agunt, indicatum est paulò antè. At verò dum intra Monasterij septa degunt, nulliusque rei curam sortiti sunt, nihil citra præfectorum facultatem in pauperes erogare deberent, nisi magna admodum neces-

Quæ oneribus monasteriorum sustentandis, necessaria nō sunt, per superiores in egenos exponi possunt.

necessitas vrgeret, cui Prælatus non succurreret. Verùm si Abbates, aut Monasteriorū præpositi sunt, aut vniuersalem totius Cœnobij moderationem & administrationem susceperunt, liberè ea, quæ oneribus monasterij sustentandis necessaria non sunt, in egenos & pauperes exponere possunt. Nam præterquam quòd communi lege ad hoc teneantur, primi quoque fundatores peculiari quadam ratione illos ad hoc obstrictos voluerunt; alioqui enim tam illustribus & opulentis censibus cœnobia non ditassent; Attamen quòd communitati difficiliùs, quàm priuatæ personæ prospiciatur: Nam & diutius viuit, & pluribus indiget, sicut multa quoque membra continet, & plura onera sustinet, & negligentiùs plerunque curari solet, prout quisq; in propriis, quàm in communibus curandis consueuit esse vigilantior, non est ita facile iudicare, quid cuique monasterio redundet. Hoc ipsum tamen, quod absolutè redundat, in pauperes erogatum oportet.

Opulenta monasteria peculiari ratione obligantur ad opera misericordiæ.

QVAE de Abbatibus religiosorumque hominum præpositis hîc dicta sunt, ea ad Episcopos, Pastores, cęterosque clero adscriptos, suo etiam modo trahi possunt; siue illi cēsuum, quos ex suis sacerdotiis colligunt, statuantur Domini; siue secùs. Certum est enim; quod suę personæ, suísue necessariis sumptibus absolutè reliquum est, illud si non lege iustitiæ, lege sanè misericordiæ in pauperes, vel alias pias causas insumere debere. Nam si populares ad illud obligantur, vt suprà expositum est fusè, multò magis Ecclesiæ Pastores & Prælati, vt quos ratione personæ, quam in Ecclesia sustinent, omnium miserorum patres esse oporteat. Cùm enim à cura illa, quam matrimonij iugo presi, vxoribus, liberis, cæterisque familiæ membris impendere solent, sint absoluti, pietatisque studiis ex destinato consecrati, status illorum postulat, vt orphanorum, viduarum, aliorumque desertorum ac miserorum hominum singulares patronos sese exhibeant, adeóque vt censuum suorum reliquias, non in equos, aut canes, aut histriones, &c. cum non parua fidelium offensione, suæque salutis pernicie profundant; sed piè religioséq; inter pauperes dispertiant.

Episcopi, cæteriq; Ecclesię prælati miserorum omnium patres esse debent.

DE iure porrò, quod Clericis in fructus, quos ex beneficiis percipiunt, competit, non est hic disputandi locus. Est enim res hæc perplexa, & non modò inter Canonum interpretes, sed inter Scholę quoq; Theologos non parū controuersa: Solùm dixerim quic-

quicquid sit de absolutè residuo, hoc est, de eo, quod clerico pro status sui ratione nullo modo est necessarium, si parcè sobriéque viuendo aliquid ex iis reliquum fecerit, quæ secundùm bonorum & sapientum virorum iudicium, personæ suæ honestè sustentandæ omnino censebantur necessaria, perinde de illo residuo statuere posse, ac de eo, quod hæreditario iure, aut alio iusto titulo illi obuenerat. Quod hîc assero, vno aut altero exemplo explano.

Sit Episcopus, cui ex Ecclesia, cui legitimè præest, in singulos annos proueniant decem ducatorum millia; ad honestam autem sui status sustentationem, bonorũ virorum æstimatione, sat sint septem millia, & illa quoque, eorundem iudicio, omnino sint necessaria, iam hîc redundãt tria millia: hæc, vt tutior & communior habet opinio, tametsi opposita ab Ecclesia nec dum sit condemnata, erogare debet in pauperes, vel alias pias causas. Verùm si Præsul ille non quidem auarè & sordidè viuẽdo, (hoc enim vitij esset potiùs, quàm virtutis: decet namque communes fidelium patres liberales esse;) sed sumptus non necessarios minuendo & moderando, parcéque & sobriè, vt pium prudentemque patremfamiliâs decet, victitando, ex septem illis millibus mensæ suæ deputatis, reliquum fecerit aureos mille, hos in pauperes erogare non obligatur; sed vel in illos, vel in alios insumere potest, perinde ac si in deserto loco inuenisset, aut ex hæreditate accepisset; siquidem absolutus huius residui Dominus est.

Clerici illius partis beneficij, quæ ad honestam sustentationem omnino est necessaria, sunt Domini.

Eadem analogia Decanus vel Præpositus, Archidiaconus, vel alia nobilis aut erudita persona singulis annis ex sacerdotio, quod administrat, percipiat mille, abũde autem sat sint illi octingenti; ducentis itaque in vsum pauperum à tota summa resectis, ita rem familiarem instituit, vt ex illis octingentis, quos sapientum iudicium mensæ vel statui illius tribuerat, anno euoluto 50. aut centum, aut plures quoque residuos faciat, hos citra vllum peccatum, non solùm pauperibus cognatis donare potest, per modum eleemosynæ; verumetiam diuitibus, per modum liberalis cuiusdam donationis. Imò verò non modò secularibus Prælatis licitum hoc videtur; sed religiosorum quoque præfectis, si quid certi ad suum statum, vel mensam deputatum habent. Ex hoc quoque inferri potest, Sacerdotes, qui obtinent beneficia

Sacerdotes qui obtinent bene-

ficia vsque adeò tenuia, vt inde se alere vix queant, de vitæ residuo testari possunt.

vsque adeò tenuia, vt miserè victitando vix inde se alere queant, quæ hinc comparcunt, & in vita, & in morte quoque, cuicunque voluerint, donare vel legare posse, perinde ac si essent mera patrimonialia: verùm de his non est hîc disputandi locus.

Quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet.

SOLVM hîc explicandum restat, an Capitulorum Præpositi, accedente quorundam, etsi non omnium, consensu, ex communibus Capituli bonis eleemosynam largiri iure possint. Ad quod breuiter respondemus, de bonis, quæ inter singulos, ex æquo, vel pro meritorum ratione diuidi debent, nisi singuli, quorum interest, approbent, legitimè id facere non posse. Nam quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet. Secludimus hinc semper oppositas consuetudines, sicubi obtinuerunt: Tum extremam rursum, vel quasi extremam pauperum egestatem; Tum non vulgarem denique Ecclesiæ vel Reipub. necessitatem. Nam vbi aliquid istiusmodi interuenerit, ibi Collegio, vel maiori illius parti, liberiùs de communi censu disponere potestas erit; præsertim si, qui, ne id fiat, obnituntur, nullius necessariæ rei indigent. Quandoquidem si ipsi æquè egerent, atque illi, quibus ex communibus bonis prospicitur, potiùs illorum quàm horum rationem habere oportebit.

Quid collegij, vel maior illius pars possit in bonis collegio communibus.

PORRO autem post factam inter singulos Canonicos, vel collegas diuisionem; si qua adhuc sunt reliqua, quæ non asseruantur in priuatam singulorum; sed ad aliquam communem vel publicam vtilitatem, ea Collegium vel maior illius pars in eleemosynam, vel aliud religiosum opus iure conuertere potest, etiamsi singuli collegæ vel socij non assentiantur; Siquidem in eiusmodi sat est, si maior Collegij portio sua voluntate accesserit. Quod hîc dictum est de Collegio Clericorum vel Canonicorũ, hoc ipsum de mercatorum vel aliorum quoque ex æquo aliqua in re participantium societate, vel communitate accipi potest: æqua enim in iis omnibus apparet ratio. ET hęc de iis breuiter, qui eleemosynam dare possunt; proximum est, vt de rebus vel bonis, quæ ordinariè vel extraordinariè in eleemosynarum materiam verti queant, paucis quoque differamus.

De rebus, quas in eleemosynam erogare licet, vel non licet.

CAPVT OCTAVVM.

ET si

ETSI ex iis, quæ hactenus expoſita ſunt, colligi vtcunque queat, quid in eleemoſynæ materiam verti poſsit, quid item non poſsit; attamen res hæc non parum certior illuſtriorque euadet, ſi ſeorſum nonnulla de eleemoſynaria materia diſſeretur. Primò itaque certum hîc pono, neminem id in pauperes impendere debere, quod ſuæ ſuorumque vitæ abſolutè eſt neceſſarium; etiamſi qui obuij ſunt, quos extrema vel quaſi extrema miſeria tẽtet. Nam etſi proximo grauiter laboranti ſubueniendum ſit, ordinaria tamen lege nullus cum propriæ vitę periculo illi ſubuenire obligatur: Niſi forſan quiſpiam eiuſmodi caſus ſeſe offerret, qui proximi vitam vitæ ꝓpriæ anteferre ſuaderet.

Nemo ordinaria lege vitam ꝓ alterius vita impendere obligatur.

ÆQVE certum exiſtimo, illa in vulgares pauperes erogare communiter non licere, citra quæ ſtatus honeſtas ſalua conſiſtere non valet: Videtur namq; abſurdum, & à recta ratione prorſus alienum, citra vllam cauſam, aut vrgẽtem neceſsitatem, ſe ſuosq; dedecori exponere. Liceret id autem & quidem cum laude, ſi inſignis Eccleſiæ vel Reipub. vtilitas, vel magni cuiuſpiam viri neceſsitas id poſtularet; vel ſi quiſpiã per monaſtices profeſsionem ſtatum mutare decreuiſſet. Certum eſt tandẽ, ſi bene parta nulla ad manum ſunt, iis qui extrema inopia premuntur, ex malè partis opem ferre nefas nõ eſſe. Horum omnium ratio iamdudum antè reddita eſt; neque ſunt iſthæc nunc fuſiùs pertractanda.

Quæ ſtatus honeſtas depoſcit, in vulgares pauperes exponi nõ deberent.

VERVMENIMVERO licet extrema egeſtate laborantes ex quibuſlibet malè partis, ſi bene parta nulla adſint, ſubleuare liceat, in communes tamen pauperes, quales inter cæteros ſunt pannoſi illi, qui ſtipem viritim corradunt, aut panem oſtiatim quærunt, & alij præterea quàm plurimi, qui pro conditionis ſuæ ratione, maioribus præſidiis indigent, non quælibet malè parta exponere fas fuerit.

Non quæuis malè parta in quoſuis egenos erogare licet.

DICIMVS, non quæuis malè parta in communes pauperes exponere fas eſſe. Siquidem malè partorum non vna & ſimplex eſt ratio, ſed multiplex admodum & varia. Etenim ſunt quædam inter illa, quæ certos dominos agnoſcunt; vt ea omnia, quæ per furtum, rapinam, fraudem, vim, vſuram, aliáque eiuſmodi via exorta ſunt. Sunt alia rurſum tantæ iniquitatis, vt nec illi, qui expo-

Malè partorum, non vna & ſimplex eſt ratio, ſed multiplex.

fuerat, reddi debeant; neque ab illo rursum, qui acceperat, iure retineri queant. Eius generis sunt, quæ ex sacrorum aut sacerdotiorum nundinatione, ex deprauato iudicio, ex falso testimonio, ex coëmpto innocentis sanguine vel cæde proueniunt; & ea præterea omnia, quæ in manifestam alterius iniuriam exponuntur. Sunt demum, quæ licet per fraudem, aut vim extorta non sunt, neque in tertij quoque præiudicium exposita sunt, data tamen vicissimque accepta sunt ob rem in se turpem, diuináque vel humana lege vetitam. Talia sunt ea ferè, quæ obueniunt ex ludo iure inhibito, ex contractibus ratione loci, temporis, aut personæ interdictis, (neque enim cum quibuslibet, nec quouis loco, neque quouis quoque tempore negotiari licet) ex proprij corporis vulgatione, aliisque similibus turpibus commerciis.

Triplex malè partorũ genus.

Per eleemosynã transfertur rei dominium.

RES primi generis, quòd simpliciter sint alienæ, citra extremam egestatem in eleemosynam verti non possunt: Siquidem per eleemosynam transferetur dominium, vt quæ in gratuita & libera rei cuiuspiam ad vitam vel personam necessariæ donatione posita sit; hoc autem in alterum is iure transferre non valet, qui illo caret. Secundi, quòd neque retineri, neq; illis, qui dederant, restitui debeant, in egenos, vel in eos sanè, in quorum iniuriam, vel perniciem expositæ fuerant, conferri debent. Tertij & retinere, & in eleemosynam, vel aliam honestam causam erogare licet; nisi forsan ob scandalum, aut publicum probrum peculiari aliqua lege aliud cautum extaret: Constat enim Mosaicam legem prostitutæ donum ad Corbonam non admisisse.

ET hæc de rebus, ex quibus eleemosynam donare licet, vel non licet, generatim exposita sat esse poterant; maximè quòd accurata huiusce rei tractatio alium locum deposcat. Verum quòd partim à rudibus, partim quoque à sæculi huius prudentibus grauiter persæpe hic erretur: (Sunt enim, qui officio abunde satis se fecisse existimant, si decimam, vel minorem etiam illorum partem, quæ nullo iure iustóue titulo possident, inter pauperes distribuant: Alij, qui sat esse persuasum habent, si nulla facta restitutione, ab iniquis contractibus & artibus in posterum abstineant: Nonnulli, qui rem magnam se præstitisse arbitrantur, si id totum, quod fœnore vel fraude extorserant, in eleemosynas, vel alias pias causas dispensent: Alij demum, qui alia via & ratione, à

Grauiter passim erratur in materia restitutionis & eleemosynarum.

veritate

veritate & æquitate aberrant)profuturum iudicaui,si pauca quædam seorsum de prædictis malè partorum generibus hoc loco attingerem.

IGITVR quòd nihil ex iis omnibus,quę per rapinam vel furtum ablata sunt,in pauperes intra extremæ egestatis terminos constitutos,vel alias pias causas exponere liceat,id apud eruditos non minùs certum est,quàm certum ést,furtum peccatum esse, diuina,humana,naturaliq; lege seueriſsimè inhibitum; hoc autẽ apud omnes est certiſsimum. Neq; est,quòd iniustæ acceptionis noxam per hoc apud æquiſsimum iudicem purgaturos se sperent, quòd totum,vel partem accepti in egenos se erogasse allegant. Nam iniustè semel rapta abalienare,non est rapinæ flagitiũ eluere aut eleuare;sed certa quadam ratione aggrauare. Cõstat enim, qui rapta abalienant,rei ablatæ dominum gemina quodammodo iniuria afficere: Vna,quia rem illius per vim vel fraudem inuadunt:Altera,quia eandem per vim iam occupatam,quasi propriam in alios distrahunt; adeóq; qui læso quandoq; satisfaciant, si non omnino impotentes,planè difficiles atq; inhabiles se reddunt. Quandoquidem si ea,quæ per vim vel furtum abstulerant, non reddebant,cùm citra suum detrimentum reddere poterant; (quod vtique poterant,cùm rem adhuc integram apud se detinebant)multò minùs reddẽt,cùm iam citra suum damnum reddere non valent.

Per furtũ, vim, vel fraudem ablata in eleemosynam cõuerti nõ possunt.

ACCEDIT huc quoque,quæ abalienantur,eiusmodi aliquãdo esse,vt vix vllo precio instaurari valeant; Non quòd res ablatæ secundùm se maximi sint valoris,sed quòd Domino fuerant charissimæ. Nullo itaque modo diuinæ,aut humanæ,aut naturali legi faciunt satis, qui quod olim in proprium vsum cum proximi iniuria rapuerant,postea falsa quadam pœnitudine ducti,in pauperes erogant. Nisi ij forsan,quibus abstulerant,vel legitimi eorum hæredes ampliùs in rerum natura non existant,aut ita certè remotè positi sint,vt nullus ferè ad eos aditus pateat. Nam vbi hæc vsu venirent,aliud consilium inire liceret.

Accidit nonnũquã, vt per furtum ablata in pauperes exponere liceat.

SED nec illi quoque à furti crimine alieni censendi sunt, qui non eo animo diuitibus fraudem se facere asserunt, quò ipsi inde ditiores euadant,sed quò pauperum miseriam,quam diuites flocci facere causantur, hac ratione subleuent. Nam etsi tales iniusti-

Nullo modo ab iniustitia, excusari possunt, qui diuites quouis

modo expilant, aut defraudant, vt pauperes subleuent.

tiam suam apud rudes rerum æstimatores excusare vtcunq; fortassis queant, apud prudentes tamen, maximè verò apud iudicẽ illum, quem nemo fallere potest, æquè in raptorum aut furtũ numero habebuntur ac illi, qui proprij compendij causa furtum, vel rapinam exercẽt. Et quidem eò iustiùs istud haberi poterunt, quò clariùs constiterit, ipsis propria non defuisse, vel non deesse, quibus pauperum inopiam subleuare potuissent, & possent; si voluissent aut vellent; quóq; maiorem, hoc pietatis prætextu improbis ad furta & rapinas fenestram patefaciunt.

Forte 14.q.5.

DE hac ficta misericordia (neq; enim vera dici potest, quæ cũ summa proximi iniuria cõiuncta est) Diuus Augustinus alicubi in hunc modũ scribit: Fortè aliquis cogitat, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habeo peccatum si suum illis abstulero, & pauperibus dedero: Vnde eñ illi nihil boni agunt, mercedem habere potero. Sed eiusmodi cogitatio ei, diaboli calliditate suggeritur: Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potiùs peccatum, quàm minuit. Cognatũ huic est illud

Non est 1.q.1.

Gregorij: Qui hac intẽtione malè accipit, vt bene dispenset, graLi. 3.c.9. offici. uatur potiùs, quàm iuuetur. Et illud Ambrosij: Non probatur largitas, si quis, quod alteri largitur, alteri extorqueat. Et illud Chry-

Homil. 36. ad Antioch.

sostomi: Si propterea rapis, vt miserearis, nihil hac eleemosyna peius. Cùm enim ex rapina nascatur, eleemosyna nõ est; sed quædam sæuitia & crudelitas, & in DEVM contumelia. Et illud tandem Isidori: De rapinis eleemosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum magni sceleris. Similia plurima comperias apud alios veteres Theologos.

Petrũ sententiæ aduersùs eos, qui furãtur vel fraudem faciunt, vt eleemosynã donent.

QVI itaque salubriter vult misereri, Spiritus sancti consilium sequutus, de suis misereatur. Quid enim ait ille? *Frange esurienti panem tuum*, nõ alienum. Item: *Egenos vagosq; induc in domum tuam*; non in alienam, vel per vim occupatam. Item: *Ex substantia tua fac eleemosynam*; non ex aliena. Suadet sanè Dominus, vt amicos nobis paremus de mammona iniquitatis; verùm illud cõsilium ad quiduis potiùs nos inuitat quàm ad rapinam, aut furtum, aut ad quamuis aliam fraudem; tametsi quidam, vt Author est Augustinus, in eo sensu acceperint. Tendit autem ad id, quod antè iam præmiserat, nempe ad pauperum curam, salutaremq; eorum, quæ vsibus nostris necessaria non sunt, in egenorum vsum distributionẽ. Vocat

Esai. 58.

Tob. 4.

Luc. 16.

De ver. Domi. ser. 35.

autem

autem diuitias mammona iniquitatis, quia, vt placet Ambrosio, variis illecebris nostros tentant affectus; vel quia ex prædecessoribus, quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur, qui iniustè vsurpauit aliena, quamuis tu nescis: vel mammona iniquitatis dicitur, quia inæqualiter prouenit; vnus enim abundat, alius eget; & idem modò eget, modò abundat. Lib. 7. in Luc. Cur diuitiæ appellentur mammona iniquitatis.

PER furtum vel rapinam occupatis cognata sunt ea, quæ per fraudem comparantur: Siue ea fraus contigerit in rei substantia, siue in eiusdem qualitate, vel quantitate: vt si vendatur stannum pro argento; aut aurichalcum pro auro; aut corruptum pro integro; vel mixtum pro puro. Tum ea rursum, quæ extorquentur per iustum metum; cuiusmodi is esse definitur, qui constantem virum concutere natus est. Tum ea tandem, quæ capiuntur ex vsura vel Simonia.

INTERCEDIT tamen inter duo hæc postrema nonnullum discrimen. Nam cùm fœnora in vsurarij dominium non transeant, vel certè cum restitutionis onere transeant; neque in pauperes, neque in vllas alias pias causas conuertere illa licet; Sunt autem integrè illi renumeranda, qui numerârat, etiamsi is certò promiserat, se ea nunquam, neque per se, neque per alterum repetiturum. At verò, quæ ex Simonia aut quorumlibet sacrorum nundinatione proueniunt, si nundinatio consummata erat, ea non ipsi, qui exposuerat, restitui debent; sed Ecclesiæ, in qua, vel contra quam sacrilegium illud admissum fuerat. Possent hæc ipsa tamen, præsertim si loci ordinario, vel prudenti confessario ita videretur, in eleemosynam, vel in aliud pium & religiosum opus exponi. Non eadem eorũ ratio, quæ p Simoniã & vsuram sunt acceptа.

QVOD de Simoniaca pecunia hîc afferitur, hoc ipsum de ea quoq; assertum intelligatur, quã sica vel maleficium parit. Quarè quicunq; mercedem accipit, vt insonté vel sontem quoq; priuata auctoritate occidat, aut vulneret, aut quouis alio dãno, dedecore, vel iniuria afficiat, si spiritu DEI tactus quãdoq; respiscat, neq; innoxij sanguinis precium retinere; neq; illi quoque, à quo acceperat, restituere debet; sed vel in pauperes erogare, vel in illos cõferre, in quorum perniciem acceperat. Quod Simonia, q sica, quod sacrilegiũ quod contumelia DEO vel diuis irrogata parit, hoc vel egenis, vel iis impertiendum est, in quorum iniuriam expositum fuerat.

IDEM non iniuria de ea mercede statuunt Theologi, quæ proximè in CHRISTI Redemptoris nostri contumeliam exponitur:

nitur: Vt si quis alterum precio inducat, vt abiurata fide Christiana in Iudęorum vel Paganorum, vel in aliquam hæreticorum Sectam transeat, vel familiaritatem cum Dæmone ineat, vel vt conuitium in DEVM, vel diuos euomat, aut venerandas illorum iconas, aut sacras eorundem reliquias prophanet. Qualia sacrilegia non pauca infelici hac nostra ætate in diuersis orbis partibus propter peccata nostra designata sunt, &, nisi DEVS ex alto nos respexerit, plura fortasis adhuc designabuntur.

Quid statuendũ de pecuniis, quas iudices supra cõstitutum salarium ab alterutra litigantium parte nonnunquam accipiunt.

AD idem caput referri solent, quæ iudicibus supra constitutam mercedem nonnunquam dependuntur. Nec iniuria: nam quicunque Iudex, munus, præter constitutum stipendium ab alterutra litigantium parte exigit; vel exigit & accipit illud, vt iudicet, vel vt iustè iudicet, vel vt iniustè iudicet, vel vt non iudicet. Si vt iudicet, quòd aliàs fortè iudicare, hoc est, causam cognoscere, vel sententiam ferre nollet; non poterit acceptum iure retinere: Siquidem ex officio iudicare tenebatur; atq; ita ab eo, qui dederat, iustè repeti potest. Sin autem precium exigit & accipit, ne iudicet, vel vt malè iudicet; neq; danti reposcere, neq; illi, qui acceperat, retinere fas est: nam æquè turpiter datum & acceptũ est. Erit autem tum, vel in pauperum, vel in eorum vsum expendendum, in quorum iniuriam erogatum fuerat. Quòd si verò donatur, vt iustè iudicet, adhuc turpiter accipitur: Siquidem iura iudicia iusta vendere non permittunt. Atque ita quicquid hac ratione acceptum fuerat, id vel illi assignandum erit, qui dederat; vel illi, in cuius prędiudicium datum fuerat, vel certè omnium Domino in suis membris, hoc est, egenis.

Vt iudex id retinere non potest, quod accepit, vt non iudicet, vel malè iudicet, ita nec testis quoque id, quod accepit, vt nullum, vel falsum testimoniũ ferat.

QVAE de iudicum supra iustum stipẽdium exactionibus hoc loco dicũtur, ea omnia, certa quadam ratione, de testibus quoq; tradita accipiantur. Nam Iudex & testis ea in re æquiparantur, hoc solo excepto, quòd grauiùs plerunque hîc peccet testis quàm Iudex: Siquidem iudicis iniquitati per accusationem, vel legitimam ad superiorem Iudicem appellationem obuiam iri potest; testis autem neutro modo commodè. Nam si is veritati testimonium perhibere, aut iustitię patrocinium prędare nolit, quid cum eo agas?

CVM extraordinariis, adeóque iniquis iudicum & testium extorsionibus, magnam affinitatem habent ea, quæ nõnulli auari medici,

medici, vel iniqui cauſarum patroni morbi grauitatem, vel cauſæ difficultatem ſupra modum exaggerantes, vltra debitum nonnũquam emungunt. Debitum autem voco, non quod cauſidici, vel medici iniquitas poſtulat; ſed quod lex, vel loci conſuetudo, vel prudẽtum iudicium pro cauſæ, vel morbi ratione æquum cenſet. Exemplo rem hanc declaro.

ACCERSITVR medicus vel chirurgus ad ęgrum, morbo nõ admodum periculoſo affectum; ille verò ex alieno incommodo quæſtum quærens, morbi malitiam & vim vſque adeò exaggerat, vt de ægri ſalute actum videri queat. Rogatur, ſi quid conſilij vel auxilij ſuperſit, ne miſero deſit; fore enim gratiſsimum, ſi ab impendenti vitæ diſcrimine, induſtria illius, eripiatur. Infert medicus, tametſi parum ſpei reliquum ſit, ſe tamen facturum & tentaturum omnia, idque omnino gratis, ſi fortè conatus minùs feliciter ſucceſſerit. Quòd ſi verò laborẽ in rem ſuſceperit, ægrumq; priſtinę ſanitati reſtituerit, tum demum id ſe expectaturum, quod iure ab eo expectari poſsit, qui alterius ope & induſtria è mortis faucibus ereptus fuerat.

Medicorũ quorundam praxis & ars.

PARI modo clientulus quiſpiam contra antagoniſtã, quem verſipellem fortè nactus eſt, fidum patronum quærit. Incidit in Titium, cui totum controuerſiæ ſtatum bona fide exponit. Ille Mæuij clientuli ſui ſimplicitate abutens, omnia iuris & æquitatis principia & firmamenta, quibus Mæuij cauſa nitebatur, impugnat, quantáque vi poteſt, clientulum ſuum, quem erigere debuit, in deſperationem adducit. Ille ne tantam iacturam faciat, animo conſternatus rogat, auxilium implorat, montes aureos, ſi victoriam obtineat, ſpondet. Titius exoratus promittit operam ſuam, ſed ea lege, vt ſi cauſam planè deſperatam euincat, tantum, puta tertiam vel quartam ſummæ, de qua lis erat, partem ferat: Sin autem cauſa cadat, id quod omnino futurum ominatur, niſi ſummam diligentiam adhibeat, pro induſtria & opera impenſa, nihil prorſus, mercedis loco accipiat. Iam quicquid eiuſmodi artibus ab ægris vel clientulis vltra iuſtum laboris precium emungitur, in eleemoſynam vel aliud pium opus impendi non debet; ſed illis, quibus fraudulenter & quaſi per vim ademptum fuerat, integrè reſtitui.

Cauſidicorum quorundam ars & praxis.

Quecunq; à medicis vel cauſidicis, vel aliis quibuſcũq; arte vel fraude ſupra debitũ extorquẽtur, ea in eleemoſynam verti non poſſunt.

Inuenta, quæ nullius certi sunt domini, sunt in proprium & in pauperum quoque vsum conuerti possunt.

INVENTA, quæ nullius certi sunt Domini, neque antè fuerunt; vt sunt gemmæ vel vniones in littore maris cõperti; aurum vel argentum è terræ viscеribus erutum, & alia eiusmodi vbilibet inuenta: Tum ea etiam, quæ olim quidem fuerant certi cuiuspiam Domini, nunc tamen pro derelictis habentur, & pro eiusmodi haberi certò dignoscuntur, quòd ipsa inuentione in inuentorum ius dominiumque concedant, cùm in eleemosynam, tum in proprium quoque vsum conuerti possunt. Nisi forsan peculiari aliqua lege aliud alicubi cautum extet; vel consuetudo aliud alicubi obtineat. Constat enim, quibusdam in locis thesauros casu repertos, vel aliquam certè illorum partem principum fisco addici.

Quæ certi alicuius Domini fuerunt, neque pro derelictis adhuc habentur, ea neque in proprium commodum, neque in pauperum alimentum transferre licet, nisi forsan omni, quã oportuit, adhibita diligentia, veri illorum Domini inueniri non queant, vel tantum distent, vt facilem accessum nõ admittant. Nam vbi horum alterutrum militaret, ibi inuenta in eleemosynarum materiam vertere citra noxam liceret. Denique, si qua sunt alia, vt sunt sanè multa, quæ non modò iniustè parantur; sed iniusto quoque titulo possidentur, illa in eleemosynam exponi non possunt; sed iis reddenda sunt, quibus iniquè erepta fuerant. Verùm quæ ita inhonestè quæruntur, vt tamen cum proximi iniuria, aut DEI offensa non detineantur, illa, vt cætera honestè quæsita, si propriis vsibus necessaria non sunt, salubriter in eleemosynas, vel alias pias causas erogantur.

Quæ certi alicuius Domini fuerunt, neque pro derelictis adhuc habẽtur, ea egenis donari iure non possunt.

Quæ iniustè nõ possidentur, etsi turpiter acquirantur, in eleemosynã insumi queunt.

QVARE licet prostibuli merces apud altare locum non habeat, (nisi forsan res fuerit occulta, & mulier antè peccatrix per veram vitæ mutationem ad DEVM iam conuersa) habet tamen locum, & quidem iustum & opportunum in eleemosynaria datione. Fallit hoc nihilominus, dum vulgatæ pudicitiæ fœmina ex eo quæstum concipit, qui abalienare non potest; siue quòd nihil proprij possideat; siue quòd sui iuris, aut mentis compos non existat; siue quòd suis blandimentis plus æquo extorqueat. Quod de scorto vulgato hîc dicitur, hoc de Mœcha, Lenone, totóq; illo turpium ac flagitiosorum hominum grege dictum accipiatur: Si-

Merces meretricia restitutioni interdũ est obnoxia, & tunc in eleemosynã verti nequit.

quidem

quidem hi omnes ita turpem quęstum faciunt, vt turpi tamen cõmercio quæsitum non prorsus iniustè possideant: siue ea æquitas proueniat ex operarum locatione; siue ex libera donatione; siue ex vtroque simul, quod nobis fit verisimilius.

CVM Lenonum turpitudine haud obscurum symbolum gerunt Mimi, Histriones, Principum assentatores, pluresque eius farinæ alij. Quapropter licet tam ipsi quàm ipsorum quæstus publicè turpes infamesque habeantur; nec ipsi solùm, sed alij præterea omnes, qui cum ipsis faciunt, eorundemque familiaritatem & amicitiam colunt, attamen quòd restitutioni obnoxium non sit, quod ex infami illa arte corradunt, licebit illud integrè, vel ex parte in egenorum victum exponere. Idem de eo statuunt veteres, quod venatio parit. Illi enim non eam tantùm, quæ cum pauperum & insontium oppressione coniuncta est; & alteram illam, quæ cum efferatis beluis non absque vitæ salutisque discrimine in circo vel arena exerceri solita est, apertè damnãt; sed eam etiã, quam vulgò saltuariam appellant, parum laudant.

Veteres Patres nullum venationis genus laudant.

FATENDVM est tamen, eiusmodi venationem secundùm se illicitam non esse. Qui enim aliam artem nullam callent, neque aliunde q̃ ex venatione alere se valent, non peccant, si ex instituto venationi vacant. Certum est quoque, viros principes, & alios quoque inferioris ordinis nobiles, quò corpus exerceant, honestéque sese recreent, in saltibus, & syluis, & aliis quibuslibet locis iurisdictioni suæ subiectis, licitè venationi operam dare: dummodo tamen sua venatione neminem grauent; & ea, quæ ad pietatem & officium suum faciunt, propter venationem non negligant; & nihil tandem venationis causa, quòd DEVM vel proximum offendat, committant. At quòd in multis & magnis venationibus nõ facilè hæc omnia euitentur vel obseruentur, fit, vt rarò admodum sanctificentur, qui multùm venantur. Esau, scribit Hieronymus, venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus nõ inuenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem; piscatores inuenimus sanctos.

In multis & magnis venationibus difficulter euitatur peccatum. Esau d. 86.

TVRPIBVS lucris, quæ ita tamen sunt affecta, vt in legitimã eleemosynarum materiam cõuerti queant, illud quoq; accenseri solet, quod alea, vel alius ludus iure inhibitus, vel non satis approbatus acquisiuit. Hoc tamen hæc lucra à cæteris, quorum paulò

Quod alea, vel alius eiusmodi ludus peperit, non semper in eleemosynæ opus cõuerti potest.

antè meminimus, discrepant, quòd restitutioni frequenter sint obnoxia; vt cùm ex eo obuenerunt, qui abalienare non poterat; vel quia nihil proprij, quod perderet, habebat; vel quia sui iuris, aut sanæ mentis, aut artis lusoriæ gnarus non erat; vel quòd dolo, aut fraude circumuentus, aut quòd vi metúue ad ludendum adactus fuerat.

De Ariolis tandem, Sortilegis, Chiromanticis, cæterisque diuinatoribus, eorundemq; lucris idem statuas, quod de reliquis turpibus lucris & lucrionibus. Nam etsi illorum professio sit fœda, seueriſsimèque inhibita, nihilominus eleemosyna, quæ ex diuinatorio quæstu impenditur, non est mala, aut lege aliqua prohibita. Constat itaq; generali quadã ratione, ex quibus rebus eleemosynam donare liceat, & ex quibus rursum id non liceat. Accurata autem rei huius tractatio tota pendet ex controuersia de restitutione, quæ alium locum exigit.

De iis, quibus eleemosynaria præsidia salubriter administrantur, vel non administrantur.

CAPVT NONVM.

Expositvm est, qui eleemosynam largiri debeant, & iure queant; tum ex quibus rebus egenis benignè facere licet, & è quibus id rursum non licet; proximum est, vt explanemus, quibus paupibus eleemosynarum adminicula impendenda sint, & quibus eadem vel non impendenda, vel parciùs impendenda sunt. Hoc aũt perspicuè & commodè vt fiat, pauca quædã de pauperum discrimine hîc præmittere placet. Nam etsi iam antè, cùm nimirum de varia diuitum conditione disputabamus, nonnulla rei huius inciderit mentio, eget tamen explicatione aliquantò maiori.

Triplex pauperum genus.

Est itaque triplex pauperum genus: Vnum spontaneum, alterum coactitium & quasi inuitum, tertium medio modo affectum, hoc est, neque omnino spontaneum, neque tamen quoque prorsus inuitum. Spontaneorum autem, alij bona, alij mala voluntate sunt eiusmodi. Bona voluntate voluntariam paupertatem complectuntur, qui Christi consilium, Apostolorumque ac aliorum quamplurimorum Sanctorum exemplum æmulati,

Non omnium spontaneorum pauperum idem est scopus.

æmulati, omnibus, quæ habebant, vel quouis modo habere poterant, simul & semel abdicatis, & in pauperes, vel alias pias causas erogatis, nudi nudum CHRISTVM, quantum humana fert imbecillitas, sequuntur. De hoc voluntario pauperum genere, quòd difficultatem aliquam habeat, multisq; & magnis aduersariorum telis pateat, peculiare caput instituemus. Praua porrò voluntate paupertatem sectantur, qui sua mendicitate non CHRISTVM, non mundi contemptum, non sui ipsius, propter regnum cœlorum despectum, non aliud denique quicquam pio & Christiano homine dignum quærunt; sed suæ tantùm ignauiæ desidiæque fomentum.

SED neque inuiti, quoq; vel coactitij pauperes eiusdem conditionis & qualitatis sunt omnes: Comperiuntur inter eos enim, qui cùm egentissimis quibusdam commissi, diuites quodam modo haberi queant. Nam licet ægrè laborioséque sese sustentent, & quasi in diem viuant; at sustentant se tamen. Horum autem pauperum status, etsi non magnopere videatur exoptandus; vt qui ad alterum extremum magis inclinet, non est tamen prorsus contemnendus. Quandoquidem si huius generis pauperes sorte sua contenti, DEVM in sua tenuitate laudant, iustitiamque exercent, plurima vitæ salutisque pericula, quibus opibus affluentes communiter inuoluuntur, euadunt, & maiores quoque in virtutibus, artibusque homine dignis, progressus plerunque faciunt. Rarò enim ad magna assurgunt, qui in deliciis ætatem transigunt; & à multis tandem morbis, curis, insidiis, casibus, quibus diuites infestantur, immunes viuunt.

Inuiti pauperes non eiusdem rationis omnes.

Diuites maioribus vitæ salutisq; periculis expositi, quàm pauperes.

SVNT alij ex hoc ordine extremè miseri; quales sunt, qui vnum hoc habent & possident, haberéque & possidere possunt, quod ab aliis accipiũt. Cuiusmodi pauper erat Lazarus ille Euangelicus: Nam nihil habebat, ne panis quidem micam, quo corpus miseria & inedia confectum, reficeret; neque per valetudinem & vlcera laborare; imò ne ostiatim quidem victũ quærere sat commodè poterat. Vnde non stetisse, aut vicatim stipem emendicando oberrasse, sed ad diuitis ianuam iacuisse scribitur. Huius generis egeni frequentiùs in priuatis ædibus comperiuntur, quàm in publicis plateis, nisi forsan grassante aliqua annonæ caritate retúmue penuria. Inueniuntur enim in magnis præsertim & popu-

Luc 16. Cuiusmodi dicendi sint extremè inopes.

Extremè inopes frequentiùs comperiuntur in priuatis ædibus, q̃ publicis vicis.

losis ciuitatibus sæpe non pauci, qui domi fame malunt tabescere, planéq; perire, quàm mendicare, aut aliis miseriam suam cum pudore patefacere, aut artem aliquam statui suo non satis consentaneam exercere.

MEDIVM inter hos obtinent, qui neque toti ex aliis, neque toti rursum ex se pendent; habent namq; aliquid, & aliquid etiam possunt, attamen nisi ex aliorum charitate, vel liberalitate aliquid accedat, vitam tueri nequeunt. Ex triplici hoc coactitiorum pauperum genere, triplex necessitas assignari potest. Vna communis, quam conditionatam rectiùs appellaueris: nam qui hac tenentur, aliorum præsidio non indigent, vt simpliciter viuant, sed tantùm, vt commodiùs viuant. Altera absoluta, hæc extremæ nomine familiariùs designatur; vt quæ priuatis opibus omnino sit destituta. Tertia mixta; desiderat hæc namque aliquid ad vitæ sustentationem omnino necessarium, non tamen totum: Nulla autem ex iis omnibus absolutè est indiuidua. Nam neque qui communi egestate laborant, neque qui extrema, neque qui mixta, ex æquo semper laborant. Certum est namque, maiori illum inopia premi, cui ne in vnum quidem diem alimenta suppetunt, quàm cui hæc in vnam tantùm hebdomadam, mensem, vel annum suppetunt; Sic miserabilior est, qui vxorem & liberos alere non potest, quàm qui hos potest, cæteros autem domesticos non potest. Eandem vel maiorem quoque latitudinem recipit necessitas personalis.

Triplex pauperum inuitorum genus & triplex item necessitas.

Paupertatis gradus nō consistit in indiuiduo.

INTER merè autem voluntarios & merè inuitos medios, eos collocare licet, qui inter opes, quas magnas sæpe obtinent, ita affecti sunt, vt CHRISTI nomine nihil possidere, vel omnia deserere parati sint. Sed & in magna quoque rerum copia, eam animi submissionem erga omnes ostendunt, vt nihil proprium habere videantur. Quare si vsu quandoque veniat, vt eorum, quæ possidere videbantur, iacturam faciant, non murmurant, non recalcitrant, non insaniunt, sed DEVM cum B. Iob ex animo laudant. Denique cuiusuis generis & ordinis pauperes, alij sunt indigenæ & quasi domestici; alij peregrini vel exteri, vulgóque ignoti. Iam ex hoc egenorum discrimine haud difficile de eo fuerit statuere, quod hoc capite præcipuè in disquisitionem vocatur, nempe quibusnam pauperibus eleemosynarum auxilia submini-

Cuiusmodi sint, qui inter inuitos & spōtaneos pauperes mediū obtinent.

Pauperū & egenorum alij exteri & ignoti, alij indigenę & noti.

ministrare, quibus rursum eadem subtrahere, vel parciùs impendere conueniat. Quanquam, vt suis postea locis planum fiet, non ex hoc tantùm. At nunc ad singulas pauperum classes se vertat oratio.

Nulli extremè egenti, etiamsi sceleratissimo sit, necessarium vitæ præsidium denegandum est.

NVLLI extremè, vel quasi extremè egenti; siue is probus sit, & Christianorum sacris initiatus; siue improbus & Paganismi erroribus adhuc irretitus, necessarium vitæ auxilium denegandum est: Siquidem humana natura, cui auxilium impenditur, & bona est, & à DEO est, & nobis omnibus commendata est. Vnicuique enim de proximo suo mandauit DEVS, non solùm amico & iusto, verumetiam inimico & iniusto: *Benefacite his, qui oderunt vos, ait* CHRISTVS, *Orate pro calumniantibus, & persequentibus vos.* Atqui inimicus vel persecutor, vt eiusmodi, non est bonus: nam si bonus esset, inimicus, vel persecutor non esset. Si ergo inimicis & persequentibus benignè facere iubemur, etiamsi extrema necessitas non vrgeat, quantò magis, si hæc vrgeat? Matth. 5.

Licet iis cibum, aliaque vitæ præsidia subministrare, quos iudex ad carceralis inediæ interitū condemnauit.

IMO verò tanta est extremæ indigentiæ vis, tantáque vitæ humanæ præstantia, vt iis quoque alimenta subministrare liceat, (modò per publicos iustitiæ ministros, aut cum aliorum offensione, aut Reipublicæ pernicie id non fiat,) quos publica vindicta, vel iudicis sententia ob admissa scelera ad carceralis inediæ interitum condemnauit. Et quod de alimentis hoc loco dicitur, hoc de cæteris quoque vitæ præsidiis dictum accipiatur: nam si ad mortem condemnato, impedimentis, quibus detinebatur, submotis, fugam inire licet, cur eiusmodi licitam fugam promouere & adiuuare non liceret? Enimuerò si Mæuio licet emere, vel vendere, vel bellum gerere, cur Titio, quò faciliùs emat, vel vendat, aut bellum gerat, consilium vel auxilium non liceat dare?

Qua parte quis extremè laborat, secundùm eam æquè iuuandus est ac si simpliciter extremè laboraret.

AD hoc extremè egentium membrum spectant illi etiam, quibus inter inuitè pauperes postremum locum assignauimus. Nam etsi illi, vt ibi dicebamus, nō egeant extremè ex omni parte, ea tamen parte extremè egent, qua toti ex aliis & nullo modo ex se pendent; adeóq; secundùm illam partem æquè iuuandi sunt ac illi, qui simpliciter extremè laborant, siue qui toti ex aliorum gratia dependent. exemplo id declaro. Sint duo, quibus in sumptum quoti-

quotidianum absolutè necessarij sint quinq; nummi: alter ex illis nullum ex se habeat, neque habere queat; alter verò vel habeat, vel diurno labore conficere valeat tres, nullo autem modo quinque, quos ad victum quotidianum ponimus absolutè necessarios; Iam quod attinet ad duos nummos, qui necessario victui desunt, planum est, hunc perinde extremè egere ac alterum, qui nihil ex se prorsus habet, nec habere valet; atque ideo secundam hanc quotam deficientem, æquè ab omnibus iuuari debere, ac illum, qui simpliciter extremè laborat.

Superuacua possidētes, extra extremam necessitatem nulli certo eleemosynam dare obligātur.

At verò secundùm eam partem, quam ipse labore vel industria comparare potest, nemo illi eleemosynam dare obligatur, sicut nec illis quoque, qui non pendent ex aliis secundùm vitam vel esse, sed tantùm secundùm commodum naturæ vel vitæ statum: cuiusmodi sunt, qui se sustentare possunt, quamuis non absque labore & molestia. Nam etsi illi, qui obtinent bona ad status sui decus honestè tuendum non necessaria, etiam extra extremæ necessitatis causam pauperibus benignè facere teneantur; non tamē obligantur, huic vel illi præcisè eleemosynam dare, sed huic vel illi, vel cuicunq; alteri indeterminatè. Retinent enim istiusce modi liberam bonorum œconomiam & administrationem. Inter inuitè itaque pauperes solis secundæ & tertię classis egenis debetur eleemosyna: quamuis interim ea primi quoque ordinis pauperibus cum merito donari possit. De illis porrò, quos inter spontaneos & inuoluntarios pauperes medios constituimus, nihil est quod hic dicamus: Adest his enim, vnde se alant. Solùm monuerim, si quo casu in egestatem inciderent, propter egregiam pietatem, qua ornati sunt, præ cæteris eleemosynario præsidio fouendos esse. Verùm de extremè pauperibus, necessariisq; eorundem adminiculis satis.

Non omnis 5. q. 5.

Qui eleemosynis abutuntur, eleemosynis sub leuandi nō sunt. Cap. 12.

At verò extrema necessitate secluſa, nullo modo iis eleemosynarum præsidia impertienda sunt, quos in suam, vel aliorum perniciem eiusmodi prę sidiis abuti constat. Votum est enim illud Augustini: Vtiliùs esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligit, quàm esurienti panis frangitur, vt iustitiæ seductus acquiescat. Cognatum huic est illud Hieronymi: Da pauperibus, quò necessitas sustentetur, non quò vitia augeantur. & illud Ecclesiastici: *Da misericordi, & non suscipias peccatorem. Da bono, & non recęperis*

receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio. Prohibe panes illi dare, ne ipsis potentior sit. Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcunque feceris illi. & illud tandem Ambrosij: Pulchrum est bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas. Nam si luxurioso ad luxurię effusionem, adultero ad mercedem adulterij largiendum putas, non est beneficentia ista, vbi nulla est beneuolentia; officere est enim illud, non prodesse alteri. Non sunt igitur illi eleemosynis fouendi, qui in luxuriam, vel superbiam, vel aliud quodcunque vitium istiusmodi fomentis abuti dignoscuntur. Li. 1. c. 30. offi.

Sed neque illi quoque eleemosynario præsidio digni sunt, qui etsi neminem concutiant, aut publicè lædant, nulliusq; thorum violent, nihilominus laborem, quo alere se poterant, & iure quoq; se alere debebant, auersantes, ignauiæque & otij commoda de industria sectantes, mentiendo & mendicando orbem obambulant, variasque artes & impostu̇ras, quò id, quod sibi præfixum habent, consequantur, excogitant. Etenim quò copiosiorem eleemosynam extorqueat, adeóque molliùs cutem curet, hic se à latronibus spoliatum confingit; ille naufragio vel incēdio omnibus fortunę bonis se exutum asserit; alius iniusto exilio se mulctatum comminiscitur; alius rursum hoc vel illo occulto morbo se grauari causatur; alius tandem aliud nugatur, prout vnusquisque mentiendi, fucumq; faciendi euasit doctior. Hos (quòd felicitatemin mendicitate ponant, ipsáq; mendicitate, certa quadam ratione diuites existant,) quidam nō omnino ineptè πτωχοπλουσίους vocant, iurium antistites, cùm vagabundos, tùm validos quoque mendicos appellant. Eleemosyna indigni sunt, qui propter ignauiā laborare nolunt. Variæ validorū mendicorūartes & impostu̇ræ.

Verum vtcunq; appelles, digniores plerunq; sunt, in quos magistratus publicè animaduertat, quàm in quos magnas eleemosynas conferat; vt qui non solùm sint ignaui, & ab omni honesto studio prorsus alieni; sed Reipub. quoq; sæpenumero exitiosi. Nam cùm istiusmodi homines sint otiosi & curiosi, & vētris causa quiduis pati & agere parati, prout vitiorum omnium mater & nutrix est otium; sua turpitudine non contenti, aliis quoque morum suorum scabiem affricant. Et vt cæteris suis sordibus nihil obessent, veris tamen pauperibus magnum præiudiciū adferunt. Nam & eleemosynarum præsidia illis intercipiunt frequenter, & vulgo eosdem exosos reddunt, multisq; cōuitiis & probris exponunt. Vagi & validi mēdici Reipub. pernicioſi. Vitiorū omniū mater & nutrix otium.

nunt. Denique præter diuinas humanasque leges, quæ id hominum genus passim detestantur, multæ graues extant causæ, cur eiusmodi vagos validosque mendicos è ciuitatibus proscribi,& si minæ & admonitiones sat non sunt, mulctis quoque & pœnis à turpi illa vita coërceri conueniat.

Propter validos mendicos leges alicubi late veris mendicis parum commodæ.

At verò ex æqua iustáque validorum vagabundorumque mendicorum proscriptione,fraudumque & impostrarum, quas comminisci solent, detestatione alicubi natæ sunt leges & constitutiones veris pauperibus parum commodæ, Christianæque charitati,& rationis quoquè legi parum consentaneæ. Enimuerò comperiuntur Respublicæ, quæ nullum omnino exterum mendicum admittunt, etsi de illius miseria apertè constet: Aliæ quæ tales quidem ad aliquot dies admittunt,verùm id cum tanta cautione, tantáque de tota miserorum vita, statu, & conditione indagine & inquisitione, vt dubitare queas, satius ne sit, eleemosynarium aliquod subsidium ab eiusmodi loco expectare, an tam exactum non absque pœnæ periculo, sicubi lapsus aut à vero aberrasse deprehensus fueris,examen subire:Alię tandem,quę alias, prout singulæ in suo sensu abundant,in peregrinorum egenorum receptione leges & cautiones adhibēt.Quę omnia etsi bono zelo fiant, aut fieri certè queant, aliquam tamen iniquitatis speciem, præ se ferunt. Ecqualemnam inquis?

EXPONVNTVR HIC BREVITER CAVSAE, ET rationes, quæ suadere videntur, exteris mendicis non esse interdicendum introitum ciuitatum.

Loca publica omnibus ex æquo patere debent, neque vllus citra culpam,aut grauem causam eo beneficio priuari potest. Mendicare non est culpa,sed pœna.

Pono hîc autem tanquam certum, loca publica, vt sunt viæ regiæ,ciuitates,oppida,pagos etiam, si quidem ius Gentium spectemus, omnibus ex æquo patere debere, nullumque eo iuris beneficio citra culpam priuari posse.Cùm ergo exteri mendici,vt tales, noxa vacent, (Quandoquidem mendicare vel eius conditionis esse, vt nolis velis mendicare, cogare, non est culpa, sed pœna) exponant illi nobis qua æquitate, commune illud iuris beneficium, per sanctiones politicas exteris pauperibus adimatur?

ADHAEC, & eôdem ferè tendit, nunc ab hac, iterum ab illa, rursum ab alia ciuitate arceri, aliud nihil esse videtur, quàm quoddam partiale exilium, seu peculiaris quædam proscriptio: (Nam vt viæ, ita etiam ciuitates, omnibus indiscriminatim apertæ esse solent, & iure quoque apertæ esse debent; nisi forsan delictum, aut bellum, aut pestis, aut dira fames, aut aliquid aliud eiusmodi aliud quandoque exigat) at pœnam exilij nulli insonti irrogare licet; exteri autem mendici hoc solo nomine, quòd sunt mendici, culpa carent: Quandoquidem necessitate compellente mendicare nullum est peccatum; imò verò si humiliter & patienter id facias, magnum apud DEVM meritum habet.

Exilij pœnam insonti irrogare non licet.

FATEOR vndecunque ad natale solum ablegari, non esse veri nominis auxilium, attamen ita huc amandari, vt nusquam alibi admittaris, est quiddam vero exilio cognatum: Est nihilosecius manifesta communis iuris violatio; est, vt paucis dicam, magna quædam insontium vexatio. Nam dum miseri illi iam ex hoc, iterum ex illo, rursum ex alio loco vel oppido profligantur, fit, vt in perpetua quadam peregrinatione versantes, nusquam requiem inueniant, nusquam pedem figere audeant, aut valeant. Ex quo deinde consequitur, vt senes, debiles, morbo aliáue miseria confecti, in ipso interdum itinere omni interim humana ope, Sacramentorumque præsidio destituti miserum spiritum efflent; Validiores verò ex desperatione ad furta & rapinas sese conuertant, & laqueo tandem, quem forsan non admodum promeriti fuerant, ærumnosam vitam finiant.

Ad magnas molestias & miserias adigunt pauperes, qui à ciuitatibus illos arcent.

PRAETEREA apud omnes rectè sentientes in confesso est, nulli mortem inferre licere, qui crimen morte dignum nullum admiserit; at plurimi comperiuntur, qui in patrio solo nec habent, vnde viuant, nec habere possunt: eiusmodi ergo, pœnis vel minis, vel quibuscunque statutis intra patriæ limites coërcere, aliud nihil est prorsus, quàm innoxios contra omne ius & fas dira fame enecare. Qui ergo pauperes cogere volunt, vt intra patriæ fines sese contineant, simul quoque loci illius magistratus cogant oportet, vt suos pauperes domi alant: At hæc coactio vel non succedet, vel non absque difficultate succedet: Nam præterquàm quòd eleemosyna, extrema necessitate secluſa,

Nemo pauperibus inhibere potest, ne extra patriã mendicent, nisi in patria de necessario alimẽto illis prospiciat.

res sit quod ad hunc & illum attinet, libera, ad quam proinde iusta lege nemo compelli potest, multi quoq; magistratus aliis magistratibus non subsunt. Qui autem non subest, alterius lege premi nó potest. Qui igitur in natali solo, necessario victu destituuntur, ita vt illum isthic, vbi nati sunt, nec habeant, nec habere queant, nullis obstantibus legibus, libere ad exteras nationes & ciuitates conferre se possunt. Qui autem tales vexant, legumque suarum seueritatem in illos exercent, videant quid DEO, qui est Dominus omnium, summusque pauperum patronus, olim respondeant.

Vbiq; locorum comperiuntur, qui citra aliorũ subsidium vitã tueri non possunt.

PLANIVS hanc rationem explico: Vt in eadem ciuitate comperiuntur diuites & pauperes, necessariis vitæ præsidiis planè destituti; ita in eadem quoque prouincia: Siue ea inopia proueniat ex soli sterilitate, siue ex alia quacunque causa. Iam vt ciuitatis Magistratus ciuitatis incolis, qui se alere nequeunt, nullo iure interdicere potest, ne domo exeant, diuitumque ædes eleemosynarum causa adeant, nisi necessaria vitæ alimenta domi manentibus subministrent; ita etiam prouinciarum rectores, locorum sterilium incolis, ne extra victum quærant, iustè inhibere nequaquam possunt, nisi intra natale solum constitutis, de sumptu necessario bona fide prospiciant. Cùm itaque communiter id non faciant, quo iure, ne extra victum quæritent, illis interdicitur?

Pauperes ab vrbibus & ciuitatibꝰ excludere, pugnat cum hospitalitate, vt quod maximè.

QVOD si nihil ex iis, quæ hactenus retulimus, legibus illis obstaret, adhuc graue magnáque consideratione dignum videtur, quòd vniuersalis illa egenorum omnium aliunde aduenientium exclusio cũ hospitalitate, quæ tantopere apud omnes gentes & nationes prædicatur, & predicata est semper, tantáque contentione cùm in sacris tùm in profanis quoque literis omnibus commendatur & inculcatur, pugnat vt quæ maximè. Nam, vt nemo nescit, occupatur hæc circa exteros & pegrinos præcipuè, & inter eos peculiari fauore illos cõplecti solita est, qui tecto cæterisq; necessariis destituuntur. In domesticos enim beneuoli & liberales sumus veriùs, quàm hospitales. Iam si vagos validosque mendicos excludimus, vt meritò, si de illorum vitio certò cõstat, eosdẽ excludimus; & verè egenos miserosq; nullos admittimus,

in

in quos tandem hospitales erimus? Forsan in diuites? Atqui si diuitibus peregrinis, qui necessariis omnibus abundant, aut facili negotio ea parare valent, hospitalitatis iura non negamus, cur ea negabimus pauperibus, quibus, omnium iudicio, debentur maximè?

DENIQVE Scripturæ, dum de pauperibus agunt, nihil inter aduenas & indigenas secernunt; verùm vt omnibus indiscriminatim, quibus possumus, benefaciamus præcipiunt. Imò verò vt Exod. 23. Leuit. 23. Deut. 10. & 14. & alibi passim videre licet, peculiarem exterorum pauperum curam haberi volũt. Simus proinde liberales, & hospitales in omnes, & in eos præcipuè, qui ad sacra loca religionis ergô peregrinatum eunt. Nam quò Diabolus, propriáque eiusdem organa infestiùs hæc oderunt, eò maiori honore & beneuolentia digni sunt, qui pietatis studio eiusmodi laborem suscipiunt.

DILVVNTVR EORVM RATIONES, QVI SENTENTIAM huic oppositam magis probant.

AT quamuis hæc ita habeant, non desunt tamen, qui statutorum, de quorum ratione & æquitate hîc disputamus, patrocinium suscipiant, multáq; in illorum defensionem allegent, & inter alia: nullam Rempub. aut ciuitatem ad externorum pauperum curam, aut sustentationem obligari. Mox complures cùm corporis tum animæ quoque morbos per eiusmodi peregrinos in ciuitates importari. Postremò domesticis & indigenis satisfieri vix posse, nedum exteris & peregrinis, adeóque vnumquemlibet intra sui vici, pagi, oppidi, vel municipij fines consistere, indéque alimenta & cætera, quæ vitæ necessaria sunt, expectare debere.

SVNT sanè hæc apud eos, qui ex superficie de rerum naturis statuunt, aliqua; Verùm apud æquos cordatosque rerum æstimatores, non admodum ponderosa. Nam dato; hanc vel illam vel nullam quoque Rempub. vel ciuitatem alienos pauperes alere lege aliqua teneri, hoc tamen exteris mendicis facultatem non adimit, alienas ciuitates adeundi, ibidemque eleemosynarum præsidia petendi. Aliud est enim, stipem propter DEVM petere;

Natura & recta ratio dictant, vt abundantes, necessitatem patientibus opem ferant.

aliud hanc vel illam ciuitatem, vt alat, vel rem petitam concedat, cogere. Hoc enim non licet, illud licet. Quamuis ex hoc ipso quoque, quòd DEVS Opt. Max. qui & iustus est, & mortaliũ omnium apprimè amans est, vni maiorem rerum copiam & affluentiam largitur, quàm alteri: sequi videatur, vt hi, qui abundant, iis qui egent, opem ferre debeant.

Non minùs inficiunt ciuitates exteri diuites, q̃ pauperes.

QVOD de animi corporisq; morbis allegabatur, eq̃è locum habet in peregrinis diuitibus, atq; in pauperibus, & fortè magis. Quamobrem si pauperes externi excludi debẽt, ne ciuitatem inficiant, excludi quoq; debẽt diuites, omnisq; generis mercatores & negotiatores, qui tamen nõ excluduntur, sed studiosè fouẽtur, & alliciuntur. Friuolum est ergo, quod de ciuitatũ infectione dicitur. Porrò domesticos, si cætera sunt exæquata, externis præferendos esse, id nemo negat: At quia sæpe contingit, vt cætera non sint paria, atque nonnulli magis afficiantur erga peregrinos omni ope destitutos, quàm erga indigenas & ciues proprios, non deberet vnquam externis petendi ostium præcludi, maximè cùm ea facultas competat illis ex iure naturali. Quilibet enim egens à quolibet habente & abalienare valente, vitæ subsidia petere potest.

Quiuis egens à quouis habente, vitæ præsidia petere potest.

TANDEM cùm vnumquemq; pagum, vicum, oppidum vel municipiũ suos pauperes alere debere contendunt, haud magno iudicio se præditos ostendunt. Constat enim, tantam interdum esse populi miseriam, tantamq́ue rerum omnium in patrio solo penuriam, vt paupercula plebecula seipsam alere vix queat, nedum numerosos egenorum greges: Siue inopia illa inde proueniat, quòd loca quædam obtineant horrida, sterilia, & aspera, quæ, vt maximè colantur, parũ ex se fundunt: Siue quòd à Principibus, Satrapis, vel Nobilibus, quorum iurisdictioni subsunt, inusitatis oneribus & exactionibus ita exhauriantur, & quasi exenterentur, vt ditiores ægrè vitam tueantur, nedum tenuiores, quorum maior semper numerus esse solet: Siue quòd incendium, aut aquarum vis, aut rapax miles nihil reliquum fecerit: Hæc enim omnia publicam inopiam aut pariunt aut augent. Sed & quibusdam quoque locis diuites vsque adeó duri, & ab operibus misericordiæ alieni sunt, vt clauam Herculi extorqueas citiùs, quàm illis, ad vitæ sustentationem, teruncium.

Non omnes pagi & oppida suos pauperes alere possunt.

ET

ET vt nihil horum omnium obstaret, adhuc tamen peregrinis mendicis non semper est integrum, patriis commodis, eleemosynisue potiri. Nam præter Magistratus imperium, (multis enim propter debitum, vel patratum delictum exilium indicitur) dedecus publicum, quòd viris honestis interdum quoq; accidere potest, aduersariorum potentiã, inimicorum odium, quibus impediti domi hærere non sinuntur; sunt aliæ penè innumeræ causę, cur quidam patria deserta, aliena petere compelluntur. Vbi tum quòd artem nullam teneant, vel præ virium imbecillitate laborem non ferant, vel quòd nulli operam illorum conducant, vel inuiti ad erogandam stipem coguntur. Iam talibus emendicandi alimẽti facultatem adimere, quid aliud est, quàm ter miseros ad restim adigere? adeóque ante fatale tempus dira fame è medio tollere?

Non omnibus, vt maximè velint, in patria hærere licet.

NEQVAQVAM, scribit Ambrosius, probandi sunt, qui peregrinos vrbe prohibẽt, expellere eo tẽpore, quo deberent iuuare; separare à cõmerciis cõmunis parentis; fusos omnibus partus negare; cum quibus fuerint cõmunia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Ferę non expellunt feras, et homo excludit hominem? Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat, illæ etiam cõsortem sui generis adiuuant; homo impugnat, qui nihil à se alienũ debet credere, quicquid humanũ est? Quantò ille rectiùs, qui cùm iam prouecta processisset ætate, & famem toleraret ciuitas, atq;, vt in talibus solet, peterent vulgò vt peregrini vrbe phiberentur, prę fecturę vrbanę curam cæteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos & locupletiores viros, poposcit in medium consulerent, dicẽs: Quàm immane esset, peregrinos eiici? quàm hominem exueret, qui cibũ morientibus negaret? Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus? Hæc ille contra eos, qui grassante fame peregrinos vrbe receptos, ex vrbe eiicere studebant. At eiusdem inhumanitatis est, receptos eiicere, & recipi cupientes non admittere. PATET itaq;, rationes, quæ contra peregrinos pauperes adferuntur, parum validas esse.

Li. 3. c. 7. offici.

Feris bestiis duriores, qui famis tempore paupere extrudũt, vel non admittunt.

NEQVE tamen ea de causa hæc dico, aut disputo hoc loco, quasi leges vel constitutiones, quæ contra exteros mendicos alicubi editę extant, condemnem: abst hoc; verùm vt moneam, eiusmodi

modi sanctiones ea seueritate vrgendas non esse, vt peregrinorum mendicorum curam, tanquam nihil ad nos pertinentem penitus abiecisse videamur. Sunt enim illi eodem, quo interni sanguine redempti, & ad maiorem fortè gloriã, quàm illi ipsi à DEO Opt. Max. electi. Neque enim miseri illi, si crucem suam leni patientíque animo ferant, cœlesti Patri non possunt non esse quàm maximè chari. Argumento nobis sint leges, quas in eorum fauorem iam olim tulit. Notum est illud Exodi: *Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Et illud Leuitici: *Non secabitis segetem terræ vestræ, vsque ad solum; neque remanentes spicas colligetis, sed peregrinis dimittetis eas; Ego sum Dominus* DEVS *vester.* Et illud Deuteronomij: *Dominus personam non accipit, nec munera. Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum, atque vestitum; & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.* Et infrà: *Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat.* Alia eiusmodi occurrunt frequenter, quæ clarè ostẽdunt, quàm chari sint DEO pauperes peregrini. Verùm de iis, qui peregrinos mendicos nullos admittunt, satis.

Cap. 23.

Cap. 23.

Cap. 10.

Cap. 19.

SVPERVACANEVM VETERVMQVE DOCTRINÆ aduersum eorum studium videri, qui in exteros mendicos nimis exactè, & accuratè inquirunt.

IIS porrò, qui mendicos aliunde accedentes ad dies aliquot admittunt, sed non absque magno accuratóque examine, iure dici queat: Laudo vos, in hoc autem non laudo. Nam quòd admittunt, in laude ponendum est: pertinet hoc enim ad Christianam charitatem. Quòd autem tanta anxietate & studio in illorum vitam & statum inquirunt, id maiorem curiositatis, quàm charitatis speciem præ se gerere videtur. Quamuis enim curandum sit, vt eleemosynæ conferantur in dignos, ne videlicet illarum occasione foueantur vitia; attamen non est hîc opus tanto molimine, aut indagine. Aliud est enim misericordem esse, aliud scelerum vindicem esse. Misericordiam DEVS exigit ab omnibus, vindictam verò non item.

1. Cor. 11.

Nõ est nimis anxiè in peregrinorum vitã aut statum inquirendum.

QVAMOBREM nullum videtur operæprecium, vt peculiares ministri designentur, qui vnum hoc negotium habeant, munusque exerceant, vt in pauperes, ne quam fraudem, vel fucum faciant,

faciant, inquirant, eosdemq; si imposturam fecisse, hoc est, mendicitatem mentiti deprehēdantur, certæ pœnæ vel mulctæ subiiciant. Sat fuerit, si iustè delati, vel casu deprehensi, illorum iudicio & foro sistantur, quibus aliâs in flagitia vel vitia inquirere vel animaduertere ex officio incumbit. Etenim si nulli instituuntur magistratus, qui in exteros mercatores & negotiatores inquirant, à quibus tamen multò plus periculi, multóque plus detrimenti formidare licet, quàm à quocunque ficto paupere, cur certi homines institui debent, qui in pauperum vitam vel statum inquirant? Quantula enim iactura est, si quis sumpta pauperis persona panis frustum, aut obulum à quopiam extorqueat. Verùm mercatorum fraudes, imposturæ, & artes multis sæpe millibus vix redimuntur.

Plus damni inferunt ciuitatibus dolosi mercatores, quàm ficti pauperes.

SATIVS profectò foret, peculiares extraneorum pauperum patronos ac defensores instituere, quàm certos quosdam ministros designare, qui illorum vitam & statum discutiant. Nam cùm iuxta Escræi vatis dictum, mendicus mendico soleat inuidere; neque desint vnquam, qui proprio quæstui studiosiùs, quàm veritati operam dantes, de opibus & viribus, quas non habent, falsò illos deferre studeant, & ipsi interim, partim timore, partim ruditate impediti causam suam apud prætorem, vel iudicem commodè proponere nequeant; neq; patronum vllum, qui illis assistat, habeant, vt diuites solent; fit, vt bonam causam sæpe perdant, iudicati nimirum vel non egere, vel labore victum parare posse. Ex quo deinde consequitur, vt multi sæpe propter inediam & miseriam manifestum vitæ discrimen adire compellantur.

Satius esse instituere certos, qui exteros paupes ab ęmulis defendant, quàm qui in illorum vitā inquirant.

QVOD si qui inter exteros mendicos comperiūtur, qui mediocri prudentia & animo causam suā tueri valeant; nihilominus quòd examē illud duris plerunq; & vilibus hominib. cōmittatur, hoc est, talibus, qui multò ꝓpensiores sunt ad vexādum & excludendū, quàm ad miserandū & admittendum, adhuc ius suum obtinere vix possunt. Quare aut nulli omnino p̄ter ordinarios magistratus huic muneri pręfici deberēt, aut si qui deberent, nō viles & inclemētes deberēt; sed viri misericordes & pij, qui pauperes scirent erigere, eorūq; causam adiuuare; & nō nulla quoq; dissimulare. Siquidē si in altero peccandū est, multò præstabilius est, decem indignos admittere, quàm vnum verè dignū iniustè excludere.

Peregrinorum pauperum cēsores, non viles, & inclementes, sed graues & misericordes esse deberent.

Vt quis mendicãdi ius habeat, nõ est necessarium, vt sit cæcus, claudus, leprosus, vel alio eiusmodi morbo infectus: sed sat est, si ita affectus est, vt citra aliorũ opem, victũ necessarium parare non queat. Sed & illi ipsi quoq;, qui laborẽ ferunt, nõ earum semp sunt virium, vt continuò laboris molestiam ferre valeant: & qui id possunt, nõ semper, vbi laborent, inueniunt. Vt nihil interim de iis dicam, qui infortunio quopiã, cùm nobiles alioqui vel diuites essent, ad pauperiem redacti sunt: hi enim si mẽdicitate vitam tolerare possunt, ad munia seruilia sese demittere nõ obligantur. Denique totum illud examen huc tendit, vt ficti pauperes in ordinem rẽdigantur, veri autem aliquantò lautiùs habeantur: & tamen neutrum obtinetur. Nam qui antè in ciuitate paucis contenti erant, postea veluti validi & eleemosyna indigni è ciuitate expulsi, vicinos pagos expilant, & ex validis mendicis validi nonnunquam fures efficiuntur; veri autem egeni nihil ferè ex commerciorum proscriptione ad suam quotam accedere asserunt.

Vt quis mendicãdi ius habeat, nõ est necessarium, vt sit cæcus, vel claudus, sed sat est, si ita affectus est, vt citra aliorum opem commodè viuere nõ queat.

Praeterea vt quis mendicandi ius habeat, nõ est necessarium, vt sit cæcus, claudus, leprosus, vel alio eiusmodi morbo infectus: sed sat est, si ita affectus est, vt citra aliorũ opem, victũ necessarium parare non queat. Sed & illi ipsi quoq;, qui laborẽ ferunt, nõ earum semp sunt virium, vt continuò laboris molestiam ferre valeant: & qui id possunt, nõ semper, vbi laborent, inueniunt. Vt nihil interim de iis dicam, qui infortunio quopiã, cùm nobiles alioqui vel diuites essent, ad pauperiem redacti sunt: hi enim si mẽdicitate vitam tolerare possunt, ad munia seruilia sese demittere nõ obligantur. Denique totum illud examen huc tendit, vt ficti pauperes in ordinem rẽdigantur, veri autem aliquantò lautiùs habeantur: & tamen neutrum obtinetur. Nam qui antè in ciuitate paucis contenti erant, postea veluti validi & eleemosyna indigni è ciuitate expulsi, vicinos pagos expilant, & ex validis mendicis validi nonnunquam fures efficiuntur; veri autem egeni nihil ferè ex commerciorum proscriptione ad suam quotam accedere asserunt.

Ad hæc si ob damnum, quod Respub. aut veri pauperes propter admixtos quosdã fictitios interdum capiunt, peculiares ministri institui deberent, qui falsos à veris egenis secernerẽt, & minis pœnisq; ad frugem eosdem compellerent, iure meritóq; alij quoq; institui deberent, qui publicos Principum, Rerumpub. & aliorum dynastarum administros & curatores examinarent: Plus namq; vnus ex illis vno sæpe mense furatur, quàm centum fucati pauperes decẽ annis; Alij rursum, qui exteros mercatores & negotiatores, illicitosque eorundem contractus discuterent: plus enim detrimenti illi suis vsuris & impositis nonnunquam adferunt Reipub. vno anno, quàm omnes vnius regni ficti pauperes integro lustro. Constat enim, qui imprudentes eleemosynã dant indignis, rati nimirum, illos dignos esse, qui sunt indigni, adeó nullam ea datione iacturam facere, vt magnum quoque lucrum apud Deum faciant; Alij tandem, qui eos probarent, qui ad quęcunque publica munia admittuntur; siue ea politica fuerint, siue Ecclesiastica. Siquidem multò plus periculi est, si indignus admittatur ad consulatum, vel senatum, vel ad alium quemcunq; ciuilem vel Ecclesiasticum magistratum, quàm si non egens vel aliàs eleemosyna indignus admittatur ad mendicabulum; & tamen

Non perdit mercedem, qui dat eleemosynã indigno, si putabat esse dignũ.

tales

tales communiter non instituuntur. Nulla ergo grauis se offert causa, cur in pauperum vexamen peculiares iudices vel magistratus institui debeant.

QVOD si in exterorum pauperum statum curiosè inquirere operæprecium non est, multò minùs operæprecium erit, anxiè in eorundem vitam inquirere. Est enim hoc illo multò grauius, saltẽ eo modo, quo à quibusdam fieri consueuit. Nam per viros ad hoc delectos quædam communia, & quasi publica ab illis exquirere, puta vnde veniant, quò vadant, cuius sint regionis vel religionis, aliáque eiusmodi, quæ ab ignotis hominibus exquiri solent, istud adeò nullum est peccatum, vt hoc tempore, quo tam multi impostores circumcursitant, omnino videatur necessarium; ne videlicet, dum de aliis bene mereri studemus, ciuitatem in aliquod periculum coniiciamus.

Grauius est in alterius vitã inquirere, quàm in alterius statum.

VERVM hoc examine, quod ante vel intra ciuitatum portas fieri solet, illi non contenti, quærunt multa, quæ iure quæri non possunt, ne in legitimo quidem iudicio, nedum extra omne forum. Et quod peius est, multi priuati publico illo examine necdum exatiati, antequam obulum vel panis frustum depromant, suum adhuc priuatum scrutinium adhibent, quæ res est vanissima, & à maiorum nostrorum doctrina & vsu longè alienissima: Quandoquidem eleemosynarum vsus non nititur eorum merito, pietate, aut sanctimonia, qui eleemosynarum præsidio potiuntur; sed eorum deuotione & charitate, qui easdem elargiuntur. Hi autem si pij sunt, non elargiuntur, quò alterius improbitatem foueant, sed quò humanæ miseriæ & imbecillitati propter CHRISTVM opem ferant, eandemque sustentent, & foueant.

Eleemosynarũ fructus dãtium pietate & sancti monia nititur, non accipientium.

MITTO hîc, accuratam illam vitæ meritorúmue discussionem, in rebus tantùm grauibus, & periculosis adhiberi solitam esse; exiguam autem eleemosynam ad naturæ, vel personæ sustentationem impertiri, res est leuis, omnisque periculi expers. Imò verò propter frustum panis, aut aliquid aliud eiusmodi, totam miseri hominis vitam discutere, & interdum pro stipe vel pane, quem mendicus petebat, probris ac contumeliis eundem onustum dimittere, res est Christiano homine prorsus indigna.

Graues res examen depoſcunt, leues non item.

DEMVM si tantus delectus, tantáque diligentia adhibetur, quò indigni ab eleemosynarum commodis excludantur, cùm humana ratio sit fallax, & in multis sæpe caliget, fieri vix poterit, vt digni interdum non excludantur. Sat proinde nobis sit, quibus vitæ præsidia subministramus, eos pro manifestè improbis, aut nequam hominibus publicè non haberi; esto hoc ipsum fortasis sint, maximè cùm sancti Patres istiusmodi egenorum scrutinia veluti absurda & periculosa, & à Christiana simplicitate planè aliena tantopere detestentur.

Humana ratio in multis sæpe caliget, & errat.

Quiescamus d. 42.

CHRYSOSTOMVS: Quiescamus ab hac absurda, & diabolica curiositate: si in Clerum electum se dicit, si sacerdotem se nominat, scrutari. Non enim hîc das, sed accipis: si verò pro nutrimento postulat, ne hîc examines; Si Abraham scrutator esset, refugientes ad se Angelos nunquam hospitio suscepisset. Et infrà: At simulat, inquis, tremorem, & infirmitatem. Non times, ne fulmen ab hoc verbo cœlitùs accẽsum in te feratur? Nec CHRISTI times tribunal illud horrendum? nam etsi simulat, ex necessitate & egestate simulat, propter tuam sæuitiam & inhumanitatem. Quis enim tam miser & ærumnosus est, vt nulla premente necessitate, pro solo pane velit ita deturpari ac plangere, talemque personam sustinere? Igitur illius simulatio inhumanitatis tuæ præco fertur.

Homil. 31. ad Antioch.

Diuitum duritia & inclementia cogit mendicos multas artes excogitare.

Coll. 3.

IDEM exponens illud Apostoli: *Induite vos viscera misericordiæ*, ita scribit: Vide quomodo vult nos esse misericordes. non dixit Miseremini simpliciter, sed *induite vos*; vt quemadmodum vestimentum semper nobiscum est, sic & eleemosyna. Nec simpliciter dixit misericordiam, *sed viscera misericordiæ*, vt naturalem imitemur amorem. At nos contrarium facimus; et si quis vnum quidem petens obulum accedat, contumeliis, & conuitiis insectamur, & impostorem vocamus. Non horres, ô homo, nec erubescis, impostorem propter panem vocans? Si verò talis & impostura facit, propterea cui misericordia tribuatur, dignus est, quòd ita fame premitur, vt talem habeat personam. Quin & hoc nostræ crudelitatis est redargutio: nam cùm facilè dare non sustinemus, innumeras coguntur artes excogitare, vt inhumanitatem nostram fallere possint, & emollire sæuitiam.

ET

ET homilia 21. in Epistolam ad Romanos: Ne tu, inquit, pauperes curiosè inquiras; propter CHRISTVM enim illos suscipis. Quòd si perpetuò curiosè scrutatus fueris pauperes, fiet, vt sæpenumero probatum coram DEO virum prætergrediare, mercedemque, quam ex eo habiturus eras, perdas. Ne scruteris igitur curiosè pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud insolentiæ est, pro vno pane totam miseri hominis vitam curiosè inquirere. Hæc Chrysostomus grauissimè & verissimè, quibus alij Patres similia scribunt.

Eleemosynę merces apud Deum debetur.

AVGVSTINVS: Discite Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem; ne forte cùm domum clauseritis, ipse sit CHRISTVS, quem excluditis. Atqui multò periculosius est, hominem peregrinum & ignotum sub tectū admittere, quàm cibum ostiatim mendicanti offerre: Si ergo hospitalitas delectū morosamq; perueſtigationem auersatur, multò magis auersabitur illam misericordia, quæ esurientibus vel algentibus impenditur. Huic Augustiniano cognatū est illud Bernhardi: Ne scruteris, ne illū fortè prę terea, squem DEVS elegit. & illud rursum Isidori: Quicunque egens poscit, etiamsi indigentē se simulat, ex toto corde illi commisereri oportet. Et licet ille falsam præ se indigentis speciem ferat; is tamen, qui simpliciter impertit, fructum misericordiæ non amittit. & illud tandem Gregorij Nazianzeni:

Lib. 5. de hæreſ.

Lib. 3. ca. 64. de sum. 60.

Qui simpliciter impertit, fructū misericordiæ nō amittit. Orat. in patr. obi.

MVLTO præstat, ob eos, qui opem merentur, immerentibus quoq; porrigere, quàm dū metuimus, ne in indignos beneficium conferamus, dignis etiam misericordiæ officia denegare. Atque eò pertinere videtur, quod scriptura inquit, videlicet panem in aquam quoq; mittendum esse: vtpote nec defluxurum, nec periturum apud iustum harum rerum ponderatorem; sed eò peruenturum, vbi omnia nostra collocabuntur, & tempestiuè occurrent, vtcunque aliter existimemus.

GRAVES hæ patrum admonitiones per se solæ sat esse poterant, ad id persuadēdum, quod hîc persuasum cupiebamus; nempe in pauperum vitam aut statum, propter exiguam eleemosynam non nimis operosè & anxiè inquirendum esse; verùm cœlestis patris exemplo, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, omnibus & singulis, nisi forsan de cuiuspiam improbitate certò compertum foret, benignè faciendum esse.

Si tamen in bonis est tantum, vnde omnium & singulorum necessitati fieri queat satis: Quòd si verò tantum non est, iis cæteri anteferantur, qui magis egent; siquidem eleemosyna tanquam in proprium obiectum, tendit in hominis indigentiam; magis autem citra omnem controuersiam egent, qui nihil habent, & nihil lucrari possunt, quàm qui, etsi nihil possident, aliquid tamen lucrari possunt; magis item, qui animo & corpore simul laborant, quàm qui corpore tantùm. Quamobrem si periculum sit, sceleratum, aut paganum quempiam, nisi subleuetur, corpore simul & animo in omne æuum periturum, oportet hunc alteri, qui in eo salutis periculo non versatur, in re eleemosynaria anteferre. Nam etsi hic illo sit dignior, cætera tamen non sunt paria; periclitatur hic enim corpore tantùm, ille corpore & animo simul: obligamur autem maioris facere animam iniusti, quàm corpus iusti. Verùm de ordine in eleemosynarum distributione seruando postea ex instituto.

Magis egentes minùs egentibus, in eleemosynarii distributione sunt anteferendi.

Quae hactenus exposuimus, ea maiorem partem ad exteros & peregrinos mendicos pertinent; de indigenis porrò nihil ferè, quod peculiarem difficultatem adferat, occurrit, nisi hoc forsan aliquam discussionem deposcat, quòd quibusdam in locis lege cautum extat, ne quis pauperum publicè vel ostiatim mendicet: Nam etsi extra omnem controuersiam sit, eiusmodi leges conscribi & edi posse, (modò tamen pauperibus oppidanis domi manentibus ita prospiciatur, vt nihil necessariorum illis desit) quæstionem tamen nonnullam habet: expediátne, eiusmodi leges edere.

Laudandæ ciuitates, quæ egenis ciuibus liberam mendicandi potestatem faciũt.

Mihi sanè, vt paucis hanc controuersiam absoluam, illarum ciuitatum consilium magis probatur, quæ pauperibus ciuibus liberam mendicandi potestatem faciunt. Nam nisi ciuitas tantum æris in deposito habeat, quantum sat sit, vt omnibus ciuitatis pauperibus citra statam exactionem perpetuò satisfieri queat, ægrè admodum omnibus domi manentibus commodè & prouidè semper de necessariis prospicietur. Quandoquidem pauperum numerus plerunque est incertus; neque certò quoq; constare potest, quanta pecuniæ vi opus sit, vt cuiusque necessitati mediocriter consulatur: mutantur hæc enim in horas. At multò minùs

minùs de ditiorum ciuium liberalitate corradendæque eleemosynæ quantitate certò constare poterit: quippe cùm quilibet donet, quantum volet, & quando volet. Siquidem publico decreto taxare, quantum quisque conferre debeat, id cum eleemosynæ ratione non satis quadrat, sed nec commodè quoque ea taxatio fieri potest. Nam quod cuique ad suum statum honestè tuendum est necessarium, id extrema vel quasi extrema egestate secluſa, nulla lege in eleemosynam erogare obligatur; at quantæ molis, quantæq; difficultatis esset definire, quid cuiq; à suo statu redundaret? Cùm ergo tota hæc res penderet ex incerto, non posset profectò domesticos pauperes grandis quandoque necessitas & miseria non opprimere.

Citra publicum ærarium, pauperibus domi manentibus prospici commodè nõ potest.

Posito autem, quod poni potest, ciuitati commune ærarium, vnde pauperes ciues commodè alere queat, suppetere, adhuc res hæc non omni difficultate caret. Nam communiter ex publico datur frugaliter, & parcè, & singulis capitibus, quæ tamen inter se sunt admodum disparia, æqua ferè portione, & minus plerunque quàm obuenire solet ex mendicatione. Quæ omnia eiusmodi sunt, vt iustam domesticis pauperibus murmurandi materiam submini strare videantur: cùm enim vnum illud iis ferè suppeditari soleat, quod communi homini ad tenuem victum sat esse iudicatur: vix quicquam vnquam fit illis reliquum, quo se vestiant, aut lautiùs quandoque viuant, aut mendicitatis statum in alterum commodiorem mutent, aut vrgente aliqua necessitate sese defendant. Quandoquidem vt sportula, qua potiuntur, semper sui similis est, ita illi eodem semper modo, hoc est, miserrimè victitant, imò verò edaciores præ inedia vix victitant.

Plura incommoda experiuntur pauperes, qui publico sumptu domi alũtur.

At verò qui ostiatim mendicant, illis angustiis minimè continentur: Incidunt hi enim interdum in lautæ mensæ alicuius reliquias; incidunt in detritas familiæ exuuias; incidunt in clementes ac liberales nõnunquam patres vel matres familiâs; incidunt, vt verbo absoluam, in plurima alia commoda & emolumenta, quorum ne vmbra quidem ad eos pertingit, qui domi veluti capti perpetuò detinentur. Fateor, publicè mendicantibus non id semper, quod ambiebant, obuenire; attamen si vnus aut alter illo-

Incidunt in magna sæpe cõmoda, qui publicè mendicant, in q̃ nõ illi, qui domi detinentur.

illorum neceſsitati, aut voluntati non fecerit ſatis, accedunt tertium, & quartum, & quintum, & alios ſine vllo certo termino, donec tandem, quod expetebant, conſequantur: hoc autem nullo modo iis eſt integrum, quibus, ne publicè mendicent, interdictum eſt.

Leges, quæ eleemoſynarium ſtudium infirmant, neq; vtiles ſunt, neq; Reipub. ſalutares.

ADHAEC aut nullæ, aut eiuſmodi leges de re eleemoſynaria edi deberent, quæ eleemoſynarum cumulum natæ eſſent augere; quippe cùm homini diuiti nihil æquè ad ſalutem ſit neceſſarium atque eleemoſynarum ſtudium; At ſtatuta publicam mendicationem prohibentia, rem eleemoſynariam eleuant potiùs quàm augent. Nam qui oſtiatim mendicant, ſemel repulſam paſsi, iterum iterumque inſtant, vulnera & plagas oſtentant, calamitatem, in qua verſantur, tragicis verbis exaggerant, quæ omnia ad impetrandas, vel extorquendas eleemoſynas magnam vim habent. Horum autem nihil adhibent, ſicut nec adhibere quoq; poſſunt, qui pauperum loco viritim, vel oſtiatim ſtipem colligunt. Deinde nõ modò pecuniæ in eleemoſynam veniunt, verùm etiam panis, vinum, menſarum reliquiæ, detritæ veſtes, aliáq; eiuſmodi quàm plurima, quæ omnia quodammodo ibi pereunt, vbi nulli ſunt, qui oſtiatim cibum quærunt. Neque enim vacat famulis, nec lubet quoque, aut ancillis, aut aliis domeſticis, ea colligere, & ad pauperum domicilia deportare.

Multa ibi pereunt, vbi nulli ſũt pauperes, qui cibũ publicè quærunt.

ADDE his diuites, præſertim tenaciores, & ad rem pecuniariam attentiores, multò libentiùs & liberaliùs donare eſcam aut abſoletam veſtem, quàm pecuniã. Præterea in commune pauperum ærarium ſoli ferè patresfamiliâs nummũ coniiciunt; At verò pauperes oſtiatim victum quæritantes, ſi pater aut materfamiliâs nihil dederint, ſua importunitate ſæpe filios aut filias; imò etiam famulos vel ancillas ad miſericordiam prouocant. Tandem communi pauperum nomine eleemoſynam colligentes, ad ditiores tantùm ire ſoliti ſunt: pauperes autem ad omnes promiſcuè; neq; priùs diſcurrendi & quæritandi finem faciunt, quàm ſuę voluntati factum ſit ſatis. Patet ex his ergo, rei eleemoſynarię per eiuſmodi conſtitutiones non parum decedere.

Diuites menſarũ reliquias dare malũt, quàm pecunias.

MITTO hîc miſerabilium perſonarum conſpectum, hominem de ſua conditione commonefacere, multosque, qui de eleemoſyna eroganda nullam cogitationem ceperant, ad miſericor-

diam

diam sæpenumero prouocare. Ad internam quidem eos, qui nihil, quod donent, habent: quę interior commiseratio apud DEVM, qui vbi facultas deest, voluntatem acceptat, suo merito non caret: Ad internam verò & externam simul illos, qui donare possunt. Et vt nihil horum omnium esset, adhuc magni momenti res est, ab ineunte ætate pietatis & misericordiæ operibus assuefieri: at si nullus vnquam egés publicè sese obtulerit, cui benefacere liceat, quomodo Christiana iuuentus à primis annis, operibus misericordiæ incumbere discet? Nunquid strenuè & dexterè pugnabit, qui hostem nunquam vidit, aut arma attigit?

Conspectus miserorum prouocat ad misericordiam.

DENIQVE spectaculum est multò iucundissimum, Deóque & hominibus longè gratissimum, cernere numerosos pauperum greges ad magnatum, Principum, Prælatorum, aliorumque Potentum ianuas assistere, qui cibo sumpto DEVM laudant, suumq; benefactorem decantant: Atqui istiusmodi spectaculum haud facilè ibi spectes, vbi ostiatim mendicare per leges non licet. Propter has itaque aliasque eiusmodi rationes, earum ciuitatum institutum magis probandum existimo, quæ verè pauperibus publicè mendicandi facultatem faciunt; etsi interim aliarum, quæ eam potestatem egenis ciuibus suis non faciunt, iudicium condemnare non audeam: modò tamen domesticis pauperibus rectiùs prouideatur, quàm communiter prouideri consueuit. VERVM de inuoluntariis mēdicis, tam exteris, quàm indigenis satis. Restat vt nonnulla quoque de iis in medium adferamus, qui corporis robore pollentes, voluntariam paupertatem complexi sunt.

Iucundum spectaculum videre numerosos pauperū greges magnatū ianuis assistere, ciboque & potu recreatos inde decedere.

De illorum argumentis & rationibus, qui voluntariam religiosorum hominum mendicitatem oppugnant.

CAPVT DECIMVM.

QVOD verè egentium miseriam (modò piorum benignitate non abutantur) eleemosynis liceat subleuare, id dubitat nemo. At verò idémne beneficium iis quoque impertiri fas sit, qui manuum opera citra mendicitatem vitam tolerare possunt, id nonnullam difficultatem habet. Dictum est enim, ad legitimæ eleemosynæ rationem

duo inter cætera depoſci, inopiam nimirum & copiam; hanc quidem ex parte dantis, illam verò ex parte accipientis: Qui autem integro vegetóque corpore præditi, manuum labore alimenta parare poſſunt, illi non egent abſolutè, ſed tantùm ſecundũ quid. Quare ſi medio illo cõmuni & ordinario vti nolint, indigni videri queant, quibus ea impendantur, quæ veris pauperibus debentur.

TOTA penè controuerſiæ huius cognitio & determinatio dependet ex trium capitum cognitione & determinatione. Horum primum eſt: omnibúsne & ſingulis ea ratione manuum labor indictus ſit, vt certam noxam contrahant, qui opus aliquod manuarium non tractant, quodcunque tandem illud fuerit. Alterum eſt: homíne valido, CHRISTI amore, vitæq; perfectionis deſiderio omnium, quæ in bonis habet, integrè ſeſe expoliare iure liceat. Tertium & poſtremum eſt, an perfecta illa expoliatione iam fãcta ille, qui plenè ſponteque ſeſe expoliauit, ex mendicimonio, hoc eſt, ex piorum eleemoſynis viuere queat. Nam ſi homini valido, omnibus propriis iam exuto, licet victum emẽdicare, licebit alteri quoque, eiuſmodi homini eleemoſynam dare: Si autem id illi non licet, neque alteri quoque tali eleemoſynam impertiri licebit.

Si nefas eſſet mẽdicare, nefàsquoque foret eleemoſynam dare.

PRIMVM ex his capitibus, propoſitæque quæſtionis fundamentis, apud ſapientes extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: omnes enim vnanimi ſenſu atque conſenſu ſcribunt & dicunt, opus manuarium non ita omnes & ſingulos obligare; ſiue illi ſeculares fuerint, ſiue regulares, vt certo peccato ſeſe obſtringant, ſi manibus non laborant. Neque communiſsimæ receptiſsimæque doctrinæ huius ratio obſcura eſt: Conſtat namque, iudicium de vnaquaque re ex fine, ad quem ordinatur, peti debere: externus autem corporis labor, totus ferè huc ſpectat, vel vt otium vites, honeſtóque labore te occupes, & vires confirmes; aut vt carnis petulantiam laboris aſsiduitate comprimas, ſpirituique ſubiicias; aut certè vt victum quæras. At ob nullum iſtorum omnium externus labor per ſe abſolutè ſingulis eſt neceſſarius. Non vt otium fallas; nam non illi ſolùm negotioſi cenſendi ſunt, qui lentem ſerunt, aut agrum fodiunt, aut fiſcellam iunco texunt, aut retia nectunt, aut aliquid aliud eiuſmodi munus obeunt; ſed illi quoque, qui Prophetas vel Apoſtolos legunt, aut populo ius dicunt,

Triplex externi laboris eſt vſus.

Externus labor non eſt neceſſarius, ad fallendũ otium.

dicunt, aut peccatorum exomologeses excipiunt, aut quid dubiis in rebus opus est facto, exponunt. Non vt carnem edomes: Siquidem caro non solùm edomatur externis laboribus, verùm etiam vigiliis, ieiuniis, vestium asperitate, chameuniis aliisque id genus compluribus. Non denique, vt vitæ necessaria pares; quandoquidem hæc necessitas multis aliis viis & rationibus expleri potest. Non est ergo externus labor ad corporis vel animæ salutē omnibus necessarius; multò verò minùs omnibus & singulis sub peccati reatu iiunctus.

VERVMENIMVERO licet res ita habeat, non defuêre tamen, & hoc ipso tempore non desunt, qui aliud sentiant, & aliud quoque doceant: Allegant hi inter cætera scriptum esse: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* item: *Labores manuum tuarum manducabis, & beatus eris.* item: *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* item: *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatē patienti.* item: *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti sitis, & vt negotium vestrum agatis, & operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.* item: *Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes: Iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino* IESV, *vt cum silentio operantes, suum panem manducent.* Et paulò ante hunc locū: *Cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet.* Et ne aliter docuisse, aliter vixisse videri possit, alibi de se ipso ita scribit: *Argētum & aurum, aut vestem nullius concupiui. Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* item: *Vsq; ad hanc horā esurimus, & sitimus, & laboramus manibus nostris.* item: *Memores estis fratres laboris nostri, & fatigationis: nocte & die operantes, ne quem vestrūm grauaremus, prædicauimus.* & infrà: *Neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrūm grauaremus.*

Genes. 3.
Psal. 127.
Iob. 5.
Ephes. 4.
1. Thes. 4.
2. Thes. vlt.
Act. 20.
1. Cor. 4.
1. Thes. 2.
2. Thes. 3.

EX his aliisque similibus Apostoli locis planum est, inquiunt illi, externum laborem hactenus omnibus necessarium esse, quatenus qui ab illo abstinent, sua quiete & otio alios non grauent: Grauant autem non ij solùm, qui furantur, qui defraudant, qui callidè & cupidè alienis inhiant; sed ij quoque, qui sub pietatis schemate non sine importunitate grandes eleemosynas à popularibus extorquent. Ea sanè re non solùm ab Apostoli doctrina &

instituto; verùm à priscorum quoq; monachorum exemplo plurimùm degenerãtes. Constat enim, Antonij, Hilarionis, Pambonis, reliquorumque protomonachorum discipulos, non vicatim, aut oppidatim cogendę stipis causâ discurrere consueuisse; verùm quò se & alios peregrinos ad se ventitantes honestè reficerent, manuaria opera quæsiuisse: neque ob id tamen ab oratione, meditatione, aliisque pietatis studiis vacuos dies transegisse; sed eximiè in iis omnibus excelluisse. Adeò enim plerique ex illis orationis pietatisque studio dediti erant, vt inter laborandum quoque, eiusmodi rebus intenti esse non desisterent, nedum cùm ex instituto diuinis operam dabant.

ADDVNT; esto, in aliquo religiosorum hominum cœtu nonnulli comperiantur, qui ob grauiores occupationes, maiorisque momenti negotia externo labori vacare nõ valeant: (Quanquam rari, vel nulli veriùs sint, qui grauiora magisq; in eo genere seria obeant, quàm Apostolus Paulus, qui tamen, ne quẽ grauaret, noctu manibus laborabat) certè alij, qui ab eiusmodi negotiis vacui sunt, & perfectionis viam complexi videri volunt, pro se cæterisq; sui ordinis hominibus, qui ob infirmitatẽ, vel occupationem, vel aliam legitimam causam, laborare non possunt, aliquo honesto opificio victum quærere deberent: quippe cùm omnium rectè sentientium iudicio, multò maioris perfectionis sit, vacare spiritalibus muniis citra aliorum grauamen, quàm cum aliorum onere. Eius ferè generis & roboris sunt, quæ seculi huius filij odiosè magis, quàm religiosè contra mendicantium ordinum alumnos allegare solent. Quæ etsi tanti momenti non sunt, vt propterea mendicantium saccos (ea enim phrasi illi vtuntur) proscribere, aut delere oporteat, non sunt tamen indigna, quæ hîc proponantur & discutiantur.

Genes. 3. ILLVD ergo: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo*, non maiorem legis aut præcepti vim continet, quàm alterum illud, quod eodem illo capite hunc locum proximè cõsequitur, puta: *In dolore paries, & sub viri potestate eris &c.* Continet autem vtrumque pœnam Adamo & Euæ, propter legis transgressionem inflictam: quæ perinde ac culpa ad vtriusque posteritatem suo quoque modo sese diffundit. Interim sudoris nomine non corporis tantùm labor denotatur; sed quæuis vitæ huius molestia: sensus enim est:

Sudoris nomine quæuis corporis molestia designatur.

In

In ſumma calamitate & ærumna vitam duces, terræque fruges non citra laborem comedes. Etenim ante peccatum terra, vt fructum ederet, moleſta cultura nulla egebat, vt quæ inarata vires ſuas exercret, ſemperque, ſi homo in originis iuſtitia perſtitiſſet, exertura fuiſſet; at verò poſt mandatum præuaricatum longè aliter res habet. Verba itaque Domini pœnam denunciant, non legem figunt. Quare etiam præmittit: *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*

Ante peccatum terra inarata fructum edebat.

SED & dato quoque, præceptum aliquod in prędicta ſententia incluſum latere, illud adhuc (vt reliqua communia ſolent) nō omnes & ſingulos, ſed aliquos tantùm ex toto mortalium genere ad ſui obſeruationem obſtringeret: niſi quis forſan ita deliret, vt omnes omnino homines agriculturam exercere debere exiſtimet. Etenim vt ſingula humani corporis membra, hoc ipſum quod ſunt & poſſunt, non ſibi ſoli ſunt & poſſunt; ſed toti homini, omnibusque & ſingulis eiuſdem partibus; (Neque enim oculus ſibi ſoli videt, aut auris audit, aut pes ambulat, ſed toti homini) ita in repub. Chriſtiana varia ſunt miniſteria, diuerſáque munia, quæ ab vno obiri non poſſunt, (neque enim omnes agricolæ eſſe poſſunt, nec omnes nautæ, nec omnes Principes, vel Antiſtites; ſed vnus hoc, alius illud) omnia tamen ad communem Reipub. vſum referuntur. Porrò autem cur hoc ſit ille, iſte aliud, id partim prouenit ex occulta DEI ordinatione; partim quoque ex naturali cuiuſque propenſione. Alij enim naturaliter feruntur ad hoc ſtudium vel munus, alij ad illud; alij rurſum ad aliud. Non magis itaque præceptum hoc, ſi quod tamen eſt, obligat ſingulos, quàm illud, quod eodem libro proditum extat: *Creſcite & multiplicamini.*

Vt in vno corpore varia ſunt mēbra, quæ ſibi inuicem ſeruiunt, ita in vna repub. ica diuerſa ſūt munia & officia, quæ toti cōmunitati ſeruiunt.

ILLVD Pſalmiſtæ: *Laborem manuum tuarum manducabis*, nihil prorſus ad rem facit: nam, vt ex toto illo Pſalmo perſpicuè conſtat, ſolùm ibi indicatur, iuſtorum, Deumq; ex animo timentium conatum, proſperum fœlicemque in omnibus euentum ſortiri ſolitum. Iob nullum laboris genus præfigit: obiter autem naturalem habilitatem, quam homo ad externum laborem nactus eſt, exprimit. Etenim cùm natura cæteris animantibus præſidia vitæ tuendæ neceſſaria, citra laborem & culturam ſubminiſtret (habent namque illa alimentum paſsim obuium, arma ad hæc, & in-

Pſal. 127.

Cap. 5.

tegumenta, quibus ab iniuria sese defendant, cõgenita) solus homo, modò politicam vitã ducere velit, labore & industria ea comparet, necessum est. Verùm quò faciliùs id possit, natura, vel ipse veriùs naturæ auctor, manibus & mente illum ornauit; hac quidem, quò salutaria vitæque vtilia discernere & affectare; illis verò, quò ea, quæ ratio discreuerit, & voluntas mandauerit, commodè exequi possit. Est enim manus commune quoddam organum, ad quiduis conficiendum idoneum. Quamuis interim amici Iob, (horum enim sunt, quæ ex Iob allegata sunt) non tam ad habilitatem illam naturalemque necessitatem alludant, quàm ad debitum, Adami peccato contractum.

Manus quoddã commune organum est.

Ex Apostolo allata non multò magis vrgent: nemo enim dubitat, quin saluti suæ rectiùs consulant, qui ex honesto labore viuunt, quàm qui aliena rapiunt, aut alienis incumbunt, aut fucorũ more aliena otiosi absumunt: ita aũt comparati erãt, quos ille tribus illis paulò antè citatis locis perstringit. Quartus nullam manuarij laboris mentionem facit, solùm monet, quod verissimum est, cibo indignos esse, qui nihil operis moliũtur. Nam cũ omnia, quę infra hominem posita cernuntur, operi, quod naturę dux pro suo cuiq; modulo & qualitate præfiniuit, impigrè indefessęq; incumbãt, turpe est, hominem, qui nobilissimas actiones edere debebat, quiq;, vt paulò antè dicebatur, præ cæteris animantibus ad laborem natus est, in perpetuo otio ætatem traducere.

Cibo indigni, q nihil operis moliũtur.

Magis premũt, quę ex viuo Apostoli veterumq; monachorum exẽplo petita sunt. Sed nec illa quoq; causam obtinent: nam ad Apostolum quod attinet, pro fidelium, quibus cum ipsi negotium erat, diuersitate, fuit is ea in re varius. Quandoq; citra externum laborem solis piorum eleemosynis se sustentabat; Nonnunquam ne tenuiores, quales in primitiua Ecclesia complures erãt, grauaret; aut ne Pseudoapostolis & impostoribus expilandi pauperes occasionem offerret, suo se labore alebat. Quæ dicimus ex Epistolis illius, sunt apertissima. Nam quòd suo se labore quandoque sustentaret, id ea planum faciunt, quæ attulit aduersarius: Quòd autem aliorum pietate & opere ea in re interdum quoque vteretur, istud ex iis cognoscere licebit, quæ manifestandæ & cõfirmandæ veritatis causa hoc loco subiicimus.

Apostolus Paulus pro fidelium, apud quos agebat, diuersitate, modò piorũ eleemosynis, modò manuum labore se sustentabat.

ALIAS, ait, *Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium* 2.Cor.11.
vestrum. Et cùm essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui: Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia; & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo. Hæc ille ad Corinthiorum Ecclesiã
Cap. 4. de Macedonum liberalitate. His cognata sunt, quæ eadem de re ad Philippẽses scribit: *Nulla*, habet ibi, *Ecclesia mihi communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: Quia & Thessalonicã semel & bis in vsum mihi misistis: Non quia quæro datum, sed requiro fructum in rationem vestrã. Habeo autem omnia et abundo; repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, DEO placentẽ.* Quin illa quo- 2.Timot. 1.
que, quæ de Onesiphori pietate alicubi commemorat, ab his non dissentiunt. Verba illius ita sonant: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit; & catenam meam non erubuit. Sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à DEO, in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.* Hæc omnia, Apostolum Paulum nõ semper suis se manibus operáue manuali sustentasse; sed interdum quoque ex piorum eleemosyna vixisse, clarè ostendunt.

QVOD aũt ex eleemosyna semp, si ita visum fuisset, viuere ipsi licuerit, id sequentia euidenter euincunt: *Nunquid*, ait, *non habemus* 1.Cor.9.
potestatẽ manducandi, & bibendi? Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et infrà: *Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus. Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio CHRISTI. Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altari deseruiũt, cum altari participant: Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangeliũ denunciant, de Euãgelio viuere.* Itẽ: *In labore et in fatigatione nocte et die operati sumus, ne quẽ vestrũ grauaremus: non quasi non habuerimus potestatẽ, sed vt nosmetipsos formã daremus vobis ad imitandum nos.* Hæc Paulus de facultate, quam habebat accipiendi vitæ necessaria ab iis, quibus Euangelium prędicabat, sacramque & alia spiritalis vitæ præsidia administrabat; quæ omnia planum faciunt, necesse non esse, vt ij, qui Ecclesię vel Euangelio seruiunt, suis se laboribus sustentent; tametsi piè, sanctè, & religiosè facerent, si vbi aliquod offensionis periculum timeretur, Apostoli exemplo, illud facerent.

Diuino & naturali iure iis debentur alimẽta, q altari, vel Euãgelio deseruiũt.

2.Thess.3.

QVOD

Externus labor cum monasticæ vitæ instituto nō pugnat.

QVOD de priscorum monachorum exercitiis allatum est, illud, si quid probat, solùm probat, externum laborem cum monasticæ vitæ instituto absolutè non pugnare, quod verum est; Non tamen probat, qui spiritalibus muniis obeundis ex professo vacant, communi aliqua lege ad corporalem laborem obligari, ita vt in charitatis legem committant, si manibus victum non quærant. Sed & magnum quoque inter veteres Monachos, & mendicantium ordinum religiosos discrimen intercedit: Siquidem prisci monachi, quòd maiorem partem idiotæ, & literarum rudes essent, & remotè ab hominum consuetudine positi in solitudinibus ætatem degerent; neque publicæ vtilitatis causa literis operam dabant, neque sacris operabantur, neq; vlla ferè sacra externis administrabant, neque Euangelij prædicationi vacabant, neque vllum denique publicum & sacrum munus in proximi gratiam obibant; sed sibi tantùm & DEO in deserta solitudine vacabant. Quia ergo ea, quæ mēdicantium ordinum institutum professi, in communem Christianorum vsum præstare solent, ipsi ex instituto nō præstabant, noluerunt quoq;, siue per modum eleemosynæ, siue per viam iusti stipendij ex vllius externi ope, vel liberalitate vitam tolerare. Et vt maximè mendicantium more ex eleemosynis viuere voluissent, attamen, quòd procul à ciuitatibus & hominum frequentia plerique habitarent, non poterant, aut certè absque ingenti difficultate id non poterant. Nullum est itaq; argumentum, quod ex priscorum Monachorum consuetudine contra mendicantium institutum adfertur.

Multum intercedit inter veteres monachos, & mēdicantiū ordinum institutū professos.

SED vrgebas: licet simul laborare & Euangelizare; perfectius est autem, simul vtrumque præstare, quàm alterum tantùm: Monachus verò tenetur ad perfectionem. Hæc omnia etsi prima facie certa videantur, egent tamen iudicio & discussione. Et primò quidem lubenter fatemur, nefas non esse, simul Euangelizare & manibus operari; at aliud interim est, quippiam sua natura licitum esse, aliud præceptum, vel ad salutem necessarium esse: multa enim homini licent, quæ nulla tamen præcepti vi illum vrgent. Exempli causa, licet ipsi solo pane & aqua perpetuò victitare; diem cum nocte orando transigere, cilicio indutum humi cubare; tota vita religionis ergô peregrinari: (Sunt enim hæc omnia vtilia & salutaria) attamen nulla communi lege, aut præcepto ad

Non omnia licita sinaque natura salutaria & bona, sunt etiā præcepta.

hæc

hæc obligatur. Aliud est ergo hoc vel illud bonum vel licitum esse, aliud præceptum esse.

Externus labor posthabendus, vbi spiritali magis vtili & necessario impedimẽtum adfert.

FATEMVR nihilosciùs melius esse, simul Euangelizare & manibus operari, quàm alterum tantùm, quando vtrunq; citra alterius prę̃iudicium & incommodum præstari potest: Verùm quotiescunq; externus labor impedit maioris momenti fructũ spiritalem; ita vt hic simul cum illo eo tempore vel loco constare non possit; longè satius & sanctius est, à corporali labore omnino desistere, & totum, quod tempus & vires permittunt, spiritali proximorũ saluti impendere, quàm vtrunq; simul cõiungere. Quis em̃ dubitat, parum cõsultè eos facturos, qui in infidelium regionibus, vbi messis est maxima, operarij aũt pauciſsimi, Euãgelio promulgando incumbunt, si partem temporis impenderent paganorum cõuersioni, vel conuersorum confirmationi; partẽ rursum externo labori, colẽdo, verbi gratia victus quotidiani causa rus, vel exercendo aliud opificium; nisi forsan necessitas, vel conuersorũ infirmitas aliud quandoq; exigeret. Et vt maximè semper & vbique melius esset, vtrumq; simul coniungere, adhuc non malè facerẽt, qui alteri tantùm vacarent: Non enim tenemur id semper facere, quod melius est, sed sat est, si id faciamus, quod bonum & licitum est; & illud non omittamus, quod præceptum est.

Quo sẽsu monachi perfectionis statum sectari dicantur.

FATEMVR tandem, Monachos perfectionis statum profiteri, sed comparandæ non iam actu comparatæ; adeóque quotidie, quantum Dominus dederit, ad maiorem perfectionem eniti debere. Verùm hinc nõ sequitur, monachum ad omne illud semper cõtendere & anhelare oportere, quod altero est perfectius; alioq; enim omnes monachi vnius eiusdemq; ordinis esse deberẽt; illius nimirum, qui cæteris esset perfectior, vel austerior, vel simpliciter sanctior. Sed neq; in illo ipso quoq; vllus vnquã absolutè perfecti monachi nomen assequeretur: Siquidem data quantacunq; perfectione, semp exigi posset maior. Vt ergo monachus perfectionis statum verè dicatur sectari, in eoq; de die in diem progredi, satis est, si perfectionis media, quæ lex vel regula præscribit, diligenter obseruet. Et quia neque communis lex, neq; priuata quoque constitutio à monacho in piis proximóque vtilibus & salutaribus operibus intento, corporis laborem semper exigit, fit vt perfectus esse non desinat, etiamsi externum laborem cum inter-

Vt monachus perfectus dicatur sat est, si perfectionis media diligenter obseruet.

no & ſpiritali non ſemper cõiungat. Laborabat ſanè manibus D. Paulus & prędicabat;ſed nõ ſemper,vt dictum eſt; neq; quòd ſimpliciter id facere obligaretur;ſed quòd pro locorum,temporum, & perſonarum ratione, illa interdum fieri debere oſtendere, bonóque exemplo ſuis ſucceſſoribus prælucere vellet.

PORRO autem cùm monachos pietatis prætextu ingentes eleemoſynas extorquere dicitur, id dicitur, quod nulla ratione probatur,nec vlla quoq; veritate nititur. Quandoquidẽ ſi monachi id verè ſunt,quod audiunt,nemini eleemoſynarum cauſa vim inferunt, aut fraudem vel impoſturam faciunt; neque ingentes aut ſuperuacaneas eleemoſynas cogũt,ſed victui tantùm neceſſarias;neq; quæſtum ex pietate,ſed pietatem è quęſtu venantur:neque enim mendicant,vt diuites euadant,ſed quò inchoatum pietatis ſtudium perſequi valeant. Interim qui ex publicis eleemoſynis victitant,caueant,ne quid admittãt,quod cum vera humilitate,aut monaſtica paupertate, aut ſui quoq; ordinis inſtituto non ſatis conſentiat:Nam qui otij veriùs,quàm pietatis ſtudio mendicaret,aut importunè mendicaret, aut cum verorũ pauperum detrimento mẽdicaret,aut mendicando ea negligeret, quæ ratione officij vel inſtituti in p̃ceptis habet, is ſanè non bene mẽdicaret.

Monachi inter mẽdicandũ cautionem & moderationem adhibere debent.

TANDEM cùm non ſeriò occupatos, pro illis laborare & victum quærere debere aſſerunt,qui ſeriò occupãtur, nobiſcum faciunt: nam nos quoq; hoc ipſum fieri debere omnino exiſtimamus.Verùm quòd in cœnobiis quantumlibet numeroſis perpauci comperiantur, qui quæſtuoſo labori ex inſtituto vacare valeãt: (Nam quos diuini verbi prædicatio, literarum ſtudium, Sacramentorum adminiſtratio &c. occupatos non habet, illos maiori temporis parte chorus ſibi vendicat; Laici autem muniis domeſticis obeundis aliquando vix ſat ſunt) fit, vt perexiguum ſit lucrum, quod priuatis laboribus facere poſſunt. Hoc ipſum tamen, quod per ſe & ex ſe poſſunt commodè, hoc ab aliis emendicare non debent: tùm ne plus quàm neceſſum eſt, fideles grauent: tùm rurſum,ne cæteris pauperibus præiudicium aliquod adferant: neque enim eæ omnium ſunt facultates, vt omnibus largiri queant: tum maximè, ne tempus otioſè tranſigant. Eſt enim res non ſolùm fœda, ſed oppidò quoque pernitioſa, ſi monaſticen profeſſus otio vacet.Nihil ergo hactenus allatũ eſt,quod

Exiguum eſt lucrum, quod ordinum mendicantium fratres priuatis laboribus conficere poſſunt.

primum

primum disceptationis huius fundamentum conuellat, hoc est, quòd externum laborem in eiusmodi præceptum cadere probet, quod omnes & singulos in foro conscientiæ obliget.

SED & alterum quoque difficultate caret: Nam cùm CHRISTVS Dominus rerum abdicationem veluti salutarem, disertis verbis cōsuluerit, Apostoliq; & innumeri post illos sancti viri verbo & exemplo validissimè eandem confirmarint, mente se egere ostendunt, qui rem hanc veluti incertam in quæstionem vocāt. Quis enim inter Christianos educatus quandoq; nō audiuit, aut legit istud CHRISTI: *Vendite, quæ possidetis & date eleemosynam.* & illud eiusdem: *Vnum tibi deest, vende quæcunq; habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni sequere me.*

CHRISTVS rerū abdicationem suasit & suadet.

Luc. 12.

Matth. 10.

DE perfecta porrò Apostolorum abdicatione, concionantur ista: *Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Item: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Item: *Argentum & aurum non est mihi.* Apud primos Christianos omnis ferè exulabat rerum proprietas. *Omnes*, scribit Lucas, *qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* & infrà: *Neque quisquam erat egens inter illos: Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

Matth. 4. Mar. 1. Luc. 5. Matth. 19. Luc. 18. Actor. 3. Actor. 2.

Hoc primitiuæ Ecclesiæ studium, hic viuendi ritus, in plerisque regularium Collegiis, & religiosorum hominū monasteriis etiamnum obtinet. Neque enim aliud esse videtur monastica illa κοινωνία, quàm expressa quædam primitiuæ Ecclesiæ idea. Nam cùm nullius rei proprietatem habeant singuli, in communi tamen plerunque possident, quantum sat est, vt nullus inter ipsos sit egens. Quidam verò spontanea illa primitiuæ Ecclesiæ abdicatione non contenti, quo mundo magis sese mortuos ostendāt, Christóq; Domino, qui in summa paupertate vixit semper, magis sese conforment, communium quoq; bonorum iure se spoliant, eo solo contenti, quod in diem emendicant.

Monasteria ex communi censu viuentia, primitiuæ Ecclesiæ speciem præ se ferunt.

QVOD autem plena illa bonorum omnium abdicatio, pio studio facta, res sit secundùm se non solùm licita, Euangelicæque doctrinæ oppidò consentanea; sed salutaris quoque, magniq; apud DEVM meriti, illud ex eadem illa CHRISTI & Apostolo-

Res magni apud DEVM meriti spōtanea rerum omnium abdicatio propter CHRISTVM facta.

rum doctrina, cōmuniq; sanctorum Patrum sententia, æquè certum & exploratum est, atq; alterum illud, de quo modò dicebamus. Neque enim frustra dictum est: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, cētuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Res est homine Christiano apprimè digna CHRISTI vestigiis insistere. Luc. 9.

QVOD si tantum prēmium plenè propter DEVM se abdicātibus, ꝓpositum nō esset, adhuc res est apprimè glorioſa, Christianóque homine quā maximè digna, CHRISTI vestigiis, quo ad eius fieri potest, insistere: Atqui is spontaneam paupertatem in summo perfectionis gradu complexus est: *Vulpes*, ait, *foueas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum.*

CHRISTVS paupertatem in summo p̄fectionis gradu complexus.

Enituit autem summa hæc CHRISTI Domini nostri paupertas non solùm in illius ortu & morte, (neque enim aliorum Regum & Principum more in deaurato palatio natus est; sed in vili abiectóque stabulo, eodemque non proprio; neque nudus rursum in cruce mortuus, in proprium, sed in alienum sepulchrum illatus est) verùm in omni omnino vitæ illius parte. Constat enim, cùm inter homines versaretur, vnum id solùm patrimonij loco obtinuisse, quod piorum liberalitas & misericordia ex tempore subministrabat. Quod interdum vsque adeò exiguum & tenue fuit, vt didrachma pro se suisque exsoluere non potuerit.

CHRISTVS Dominus ab omnibus exigit quandam abdicationem. Luc. 19.

QVID? quòd CHRISTVS Dominus non modò expressam perfectæ abdicationis formam tota vita præ se tulerit, verùm etiam quòd ab iis omnibus, qui vnà olim cum illo regnare cupiunt, certam quandam abdicationis normam exigat? ait enim: *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non — potest meus esse discipulus.* Et quamuis renunciatio, de qua hîc sermo est, aliquam rerum proprietatem admittat; alioqui enim ij tantùm salui fierent, qui Apostolicam paupertatem sectantur; attamen negari non potest, quin perfectiùs hoc præstent, qui diuinæ prouidentiæ sese committentes, ab omni rerum, quæ adsunt, vel quouis modo adesse possunt, iure dominióque & proprietate, propter cœleste regnum sese exuunt, quàm qui sola animi præparatione id faciunt. Cuiusmodi sunt, qui bonorum suo-

rum

rum dominium & proprietatem retinēt; ita tamen comparati, vt omnia malint omittere, quàm CHRISTVM negare, aut quocūque lethali crimine offendere.

DENIQVE si perfecta illa rerum abdicatio, Apostolicáque paupertas, secundùm se absolutè licita, magnóque cum merito & spiritali fœnore coniuncta non esset, Hieronymus, Augustinus, Basilius, Gregorius, Bernhardus, aliíque quamplurimi doctissimi sanctissimíque viri, eam complexi non fuissent, aliisque, vt eam complecterentur, auctores non extitissent. Planum fit hinc ergo, quid de altero disputationis huius membro, quod in disquisitionem vocabatur, statui debeat.

Apostolicā paupertatem secundùm se licitā & vtilē, ostendunt innumera illustrium Sanctorū exempla.

VERVM quòd vix quicquam adeò sit certum & constitutum, quod contentiosorum hominum calumniis non pateat, non deerunt fortasis, qui hîc obiiciant, quoddam tentamenti vel delirij genus videri, omnibus simul & semel abiectis, diuinę prouidentię sese committere: quasi is vt olim Iudæos in deserto cœlesti pane nutrire nos debeat. Nonnulli, quòd nullum hîc medium seruari videatur, quodque eo modo, quo dictum est, omnibus humanæ vitæ præsidiis se denudantes, multis vitæ famæque periculis sese exponant, rem hanc inter vitia, & rationi dissentanea sacrificia fortè reponent: Saniores, quę seruare non lubet, sensim in paupere expendenda esse clamabunt, non simul profundenda. Qui enim simul omnia donat, omnem in posterum donandi facultatem sibi adimit. Alij tandem alias contra perfectam illam absolutamque rerum ἀποταγὴν querelas adferent. Quò enim opus aliquod est sanctius, Deoq; acceptius, eò maioribus calumniis, gratioribusque hostium telis patere plerunque consueuit.

Quò quid sanctius, eò à Diabolo eiusque ministris impugnatur infestiùs.

AT hæc omnia earum ferè sunt virium, quarum erant, quæ contra primum controuersiæ huius fundamentum suprà adferebantur, hoc est, nullarum penè. Quare quæ de perfectæ abdicationis iure, merito, & vtilitate asserta sunt, nequaquam euertunt. Nam ad primum quod spectat, satis compertum est, CHRISTVM nulli omnino mortalium deliria, aut tentamenta suadere, aut vlla prorsus mercede isthæc pensare. Atqui is voluntariam bonorum abdicationem suadet, eandemque amplissima mercede olim se remuneraturum spondet. *Quicunque*, inquit, *domum, aut fratrem, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum reliquerit,*

Christus nulli est auctor delirij, aut tentamenti.

Matth. 19.

querit, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Is autem, si DEVM verè nõ tentat, certè ad iustam iram & indignationem illum prouocat, qui illius promissis non fidit, aut malè de illis sentit, qui sacra eiusdem consilia vt vana vel impossibilia respuit, qui amicis vel opibus suis plus, quàm DEO tribuit.

Non tentant Deum, qui se abdicant.

SED & posito quoque, nullam de voluntaria illa veréq; Apostolica fluxorum bonorum ἀποταγῇ promissionem extare, nullum consilium, nullum Sanctorum exemplum: adhuc is DEVM tentare verè dici non posset, qui eam vsurparet; vt qui multas alias vias & rationes parandi victus reliquas adhuc sibi faciat. Quàm multi comperiuntur, qui ne vnum quidem teruncium in bonis habent, qui commodè tamen viuunt. Mitto hîc, longè aliud esse, bonorũ omnium temporalium proprietatem vel Dominium abdicare, aliud eorundem vsum respuere: hoc enim non licet, illud licet. Quòd si qui Patres sunt; qui vltra vires dandum non esse asserunt, illi non de omnibus hoc asserunt; sed de illis tantùm, qui mundo eiusdemque commodis valefacere certò apud se nondum constituerunt.

CVM verò additur, nullum hîc seruari medium, respondere licet, qui amore ardenti DEVM complectuntur, eos in illum non tendere tanquam in medium aliquod à ratione definitum; sed tota vi, totóque impetu animi, tanquam in id, quod in eo genere summum est. Norunt enim scriptum esse; *diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*, adeóque amorem, quem DEO Opt. Max. debemus, secundùm affectum præsertim, nimium esse non posse. Cùm ij ergo, qui se totos totumq;, quod habent & possunt, in perpetuum holocaustum DEO offerunt & consecrant, ardentissimè illum diligere probentur, tantum abest, vt ea oblatione & consecratione in vitium aliquod degenerent, vt actum quoque maximè heroicum edant.

Matth. 22.

Se suaque omnia Deo consecrare est actus maximè heroicus.

SED instas: vt auaritiæ est, omnia retinere; ita prodigalitatis videtur, omnia simul profundere: Responsio est, nullam hîc, quod prodigalitatis proprium est, in homines inutiles, aut aliàs indignos profusionem contingere; sed prudentem, & salutarem earum rerum, quæ fidei nostræ commissæ fuerant, inter patrisfamiliàs

miliâs domesticos & filios dispensationem. Sed & multum quoque inter eos intercedit, qui nulli quicquam donant, & eos, qui pauperibus omnia donant. Nam qui egenis vel aliis nihil impertiuntur, illi per cupiditatem, quæ malorum omnium radix est, à Christiano officio turpiter impediuntur: Qui verò pauperibus omnia dilargiuntur, per charitatem, quę bonorum omnium fons est, ad id, quod Christianæ professionis homine dignissimum est, salubriter permouentur.

Vt malorum omniũ mater cupiditas, ita bonorum omniũ mater charitas.

SVBDEBATVR in eadem argumentatione: Qui omnia simul donat, multis magnisque vitæ famæque periculis sese obiectat; sed hoc eadem vanitate, qua cætera; Constat namque, eiusmodi hominibus, præter DEI prouidentiam, quæ suos nunquam destituit, (Pauit is enim Eliam per coruum, & viduam Sareptanam, Danielem inter medios leones abiectum per Abacuc, & alios item per alios) multa alia præsidia, quibus vitam tueri possint, reliqua esse, puta laborem, industriam, piorum misericordiam, & id genus complura alia. Denique nunquam auditum est, ideo quempiam in calamitatem, aut miseriam, aut vitæ discrimen incidisse, quòd sua propter DEVM in pauperes erogasset.

3. Reg. 17. Dani. 14.

Nemo ob id calamitatem incurrit, quòd sua liberaliter in egenos erogasset.

AD postremum respondetur, omnia simul donare, adeóque omni donandi potestate inposterum se priuare, secundùm se absolutè nec bonum esse, nec malum; esse autem bonum, si debito fine & modo fiat; malum autem, si malo animo aut fine aliquo præpostero, hoc est, legi vel rationi dissentaneo fiat. Bene simul omnia donat, qui propter CHRISTVM, vel mundi contemptum, vel vt DEO liberiùs seruiat, CHRISTIque vitam magis exprimat, vel ne curis secularibus impeditus, iustitiæ viam negligat, donat: quo modo eos omnes donare existimari potest, qui sæculo deserto, aliquod monasticæ vitæ institutum suscipiunt. Malè autem donant, qui ob inanem gloriam donant, vel vt à parandi quotidiani victus curis & solicitudinibus absoluti, in monasterio aliquo otiosam vitam exigant.

Omnia simul donare, secundùm se, nec bonũ nec malum.

PORRO autem satius ne sit, abiecto rerum dominio, omniâ simul & semel in pauperes erogare, an verò dominio retento, quod supereſt, vel non admodum necessarium est, sensim in eos-

dem

dem exponere, id ex iis, quæ hactenus expoſita ſunt, meridiana luce clarius eſt, neque de ea re latiùs iam diſputandum eſt. Solùm monuerim; vt illi, qui vitæ ſtatum mutare, hoc eſt, monaſticum aliquod inſtitutũ complecti certum deliberatumq; habent, priuſquam ſolenni voto ad monaſticen ſeſe obſtringant, omnia ſimul abdicare debẽt: (quippe cùm rerum proprietas cùm monaſtices profeſsione omnino pugnet) ita illos, qui vxorem ducere, liberos procreare, familiam alere, certò apud ſe ſtatuerunt, omnia ſimul in pauperes effundere non debere: ſed id ſolùm, quod ſupereſt, aut non multùm neceſſarium eſt. Et de hoc hominum genere loquuntur, quicunque non vltra vires dandum eſſe, vel prudenter dandum eſſe, vel noſtram abundantiam, aliorum inopiam ſupplere debere, & alia multa eiuſmodi de donationis modo ſcribunt, & dicunt: Extant enim plures & Patrum & Scripturarum quoque ſententiæ, quæ monent, moderatè pro virium & facultatum ratione donandum eſſe, & non totum, quod in bonis eſt, ſimul profundendum: quæ omnia, de iis, vt dixi, accipienda ſunt, qui locum vel ſtatum in ſæculo obtinent, eundemque deſerere, vel in tutiorem & meliorem permutare, vel non poſſunt, vel non volunt. Et hæc de ſecundo capite hactenus dicta ſint.

Rerum proprietas cum monaſtico inſtituto pugnat.

Qui familiam alunt nõ omnia ſimul in pauperes exponere debent, ſed ea tantùm, quæ ſuperant.

TERTIVM apud eruditos quæſtionem non habet: Attamen quòd plures paſsim comperiantur ignari & ſimplices quàm eruditi, quædam etiam in poſtremi membri huius explicationem in medium adferre placet. Pono autem vnum hîc apud doctos & indoctos omnes certum: puta mẽdicare, aut ex eleemoſynis viuere ſecundùm ſe malum aut illicitum non eſſe: Nam quod ſecundùm ſe malum aut illicitum eſt, id nunquam rectè fieri poteſt; mendicare autem cum magno ſæpe merito coniunctum eſt. Adhæc ſi eleemoſynam petere, aut ex eleemoſynis viuere abſolutè malum vel illicitum foret, nulli citra noxam eleemoſynam impertiri liceret: Nunquam enim ad alterius peccatum opem conferre fas eſt; eleemoſynam autem dare non eſt peccatum, ſed opus ſalutare æternæque vitæ meritorium; & interdum quoque ad ſalutem omnino neceſſarium. Deniq; omne culpæ malum aliqua lege eſt prohibitum: ſed fame vel alia neceſsitate cogente eleemoſynam petere, nulla lege eſt prohibitum.

Mendicare ſecũdùm ſe non eſt malum, aut illicitum.

Nulla lege prohibitum eſt eleemoſynã petere.

IAM

IAM si eleemosynam quærere sua natura non est illicitum, sed quiddam secundum se ἀδιάφορον, ergo pro circumstantiarum qualitate & ratione, quibus hic actus vestitur, quandoque bonum & salutare erit eleemosynam petere, vel ex eleemosyna vitam tolerare, quandoque malum; quandoque indifferens, hoc est, neque vitæ æternæ meritorium, neque peccato rursum obnoxium. Malè & vitiosè mendicant, qui egestatem, qua non tenentur, ventris vel otij causa callidè simulant. Hæc autem mendicitas, cùm in omnibus sit fœda, tum in iis, qui sanctitatis speciem præ se ferunt, est longè fœdissima. De hoc improbo ignauóque mendicorum genere Augustinus alicubi hunc in modum scribit: Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque dispergit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; Alij phylacteria sua magnificant; Alij parentes vel consanguineos suos in ista vel in illa regione se audiuisse viuere, & ad eos se pergere mentiuntur. Et omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut pretium simulatæ egestatis.

Mendicare quãdoque bonum, quandoque malum, quandoque indifferens.

Lib. de ope. mona.

BENE & licitè mendicant, qui ideo mendicant, vt CHRISTO per crucem, spontaneamque paupertatem sese probent; vt mundo propter regnum cœlorum viles abiectosque se ostendant; vt carnis superbiam eiusdemque fastum conterant; vt per veram humilitatem ad omnem virtutem viam sibi muniant; vt à curis, solicitudinibus, & periculis, quæ ampliores præsertim diuitiæ adferre solent, expediti, DEO liberiùs seruiant; vt denique inopiæ & abiectionis CHRISTI æmulos sese præstent. Nam etsi certum non sit, CHRISTVM aliquando mendicasse, certum est tamen, summum paupertatis gradum obtinuisse, & piorum eleemosynis, eo præsertim tempore, quo Euangelium condebat & promulgabat, plerunque sustentatum fuisse: nam cùm vtrumque ex Euangeliis & aliis Scripturæ locis sit manifestum, vesaniæ esset apertæ, isthuc negare, vel in dubium vocare.

Certum nõ esse CHRISTVM mendicasse.

CITRA peccatum & plurimùm citra meritum mendicant, quos neque affectata vel simulata paupertas, neque studiosa rursum vel pia voluntas ad mendicandum adigit, sed sola naturæ necessitas. Cuius generis mendicitas in eos præcipuè conuenit, qui

Quædam mendicitas inter bonam & malam media.

nihil, vnde se alant, ad manum habentes, neque propter imbecillitatem, vel imperitiam, vel aliam eiusmodi causam quicquam habere valentes, diuitum limina terunt; aliud nihil sua mendicitate spectantes aut venantes, quàm suæ tantùm egestatis solatium. Verùm licet hæc mendicitas secundùm se absolutè sumpta, neq; laude neque vituperatione quoq; digna sit, attamen ex adiuncto, mortis vel vitæ materia effici potest. Certũ est enim, qui eiusmodi mendicitatem æquo patientique animo complectuntur, eos non parum apud DEVM mereri. Æquè certum est, pauperes, qui quasi iniuriam passi insolenter contra DEVM insurgunt, & murmurant, suamque sortem stomachosè detestantur, æternæ miseriæ meritum ex sua mendicitate haurire. Constat ergo, mendicare, vel ex eleemosynis viuere, rem ita secundùm se indifferentem esse, vt tamen rectè, licitè, & meritoriè fieri queat.

CHRISTVS ea suasit & docuit, vnde mendicitas plerunq; sequitur, etsi nõ necessariò.

IMO verò qui propter CHRISTVM aliasque causas, quas obiter paulò antè attigi, mendicant, non solùm rem licitam, Deoque gratam tractant; sed CHRISTI doctrinæ eiusdemque vitæ oppidò se quoque conformant. Nam etsi is eleemosynam quærere, vel ex eleemosynis viuere absolutè nusquam iusserit, ea tamen iussit, aut certè suasit, vnde etsi non necessariò & semper, plurimùm tamen quippiam eiusmodi consequitur. Quæ sunt ista, inquis? quæ nisi illa, aliáque similia? *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. In quamcunque autem domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. In eadem autem domo manentes, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* item: *Euntes prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cœlorum. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo suo.* item: *Et vocauit duodecim, & præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm: Non peram, non panem, neque in Zonas; sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.* Et hæc quidem ille ad eos, qui *euangelizant*: sequẽtia ad omnes pertinent: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* item: *Vendite, quæ habetis, & date eleemosynam.* item: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me &c.*

Luc. 10. Matth. 10. Matth. 10. Marc. 6. Luc. 14. Luc. 12. Matth. 19. Marc. 10.

IAM si Euangelium salubriter efficaciterque prædicaturos, ab omni sæculari cura, omniq; pecunia & pera vacuos esse oportet,

tet, quomodo, quæso, famis extremæ periculum euadent, si ipsis interdum mendicare, aut vltrò à fidelibus in alimoniam oblata accipere non liceat? Nam etsi cum D. Paulo, ne quem grauent, manibus laborare queant, attamen non semper laborandi facultas adest, neque omnes Concionatores quoque artem, qua se alere valeant, callent: & vt omnes callerent, adhuc artis instrumenta vnà cum Euangelij codice circumferre commodè nõ possent.

Non omnes verbi ministri artẽ callẽt, qua se alere queant.

RVRSVM si Euangelicæ perfectionis opus est, omnia simul & semel propter CHRISTVM deserere, omnibusque desertis & abdicatis, eundem CHRISTVM sequi; quomodo, qui omnia deseruerunt, periculi expertes viuent, si nunquam, quacunque etiam cogente necessitate, mendicandi ius habent? Nam vt ad vnum omnes externo labori vacent, (id quod citra maximam spiritalium rerum iacturam fieri vix potest,) adhuc sæpe vsu veniet, vt tantum manibus parare non valeant, quantum opus foret ad mediocrem vitæ sustentationem. Denique non fit verisimile, B. Franciscum, Dominicum, Alexium, Ioannem Calybitem, aliosque innumeros sanctissimos perfectissimosque viros, aliquid fecisse, aut iussisse, aut instituisse, aut suasisse, quod esset illicitum, aut DEO, cui addictissimi erant, ingratum. At hos omnes mendicasse, suisque sectatoribus mendicimonium patrimonij loco reliquisse constat.

Plurimi Sanctorũ mendicarũt, suisque sectatoribꝰ mendicimonium patrimonij loco reliquerunt.

AT multò verò minùs credibile fit, Catholicam Ecclesiam, quæ de fide vel moribus cognoscens vel definiens non errat, calculo suo aliquid approbasse tanquam vtile & salutare, CHRISTIQVE Euangelio consentaneum, quod ex se esset malum, aut illicitum, aut Euangelio contrarium: Atqui hæc mendicantium ordinum institutum veluti sanctum, DEOQVE acceptum, & Ecclesiæ commodum, multis modis, viis, & rationibus iam olim approbauit; rectéque & sanctè approbauit; & secùs sapere, nihil est aliud, quàm totum penè monasticum statum in dubium vocare. Nam si CHRISTI pauperibus exiguam, vitæque tuendæ necessariam eleemosynam in sui sustentationem humiliter petere, vel vltrò à piis hominibus oblatam admittere non licet, multò minùs licebit ampla dominia, latissima prædia, ingentesque possessiones propter pias causas oblatas

Ecclesia definiendo non errat.

Totum monasticum statũ euertunt, qui mendicare illicitum dicunt.

recipere, adeóque quicquid Eccleſiæ, vel certè monaſteria; (nam de Eccleſiis non æqua omnino ratio eſt) ex fidelium pietate, aut principum liberalitate in bonis habent, id totum iniuſto titulo obtinebunt. quod aſſertu eſt longè abſurdiſsimum.

DIC, quæſo, nonne communi ſenſu deſtitutum ſe oſtenderet, qui diceret, auri talentum petere, vel ſponte oblatum accipere licere, panis autem fruſtum vel obulum petere, vel vltrò oblatum accipere non licere? Aut Monaſterium aliquod Benedictinum integrum pagum, vel oppidū, vel prædium, vel aliquid aliud eiuſmodi ad ſuſtētanda monaſterij onera iure petere, vel ſponte donatum admittere poſſe, pauperculum autem Franciſcanum ad ſubleuandam præſentem fratrum ſuorum neceſsitatem, ab opulento aliquo ſaccum frumenti, aut cadum olei, vel aliquid aliud eiuſmodi petere, aut gratis donatum recipere nō poſſe? Vel pauperi literarum ſtudioſo ius eſſe, ſtipē, vnde ſe alat, corradere, quò ſcientia, quæ inflat, & parum ſæpe ædificat, auctus honeſtè in ſæculo viuere poſsit, pauperi autem religioſo ius non eſſe, ea propter CHRISTI amorem petere, quibus adiutus in charitate, cæterisque virtutibus, quæ ad cœleſtes illas diuitias viam muniunt, creſcat? At quid aliud dicunt, aut faciunt, qui mendicantium Ordinum fratribus mendicandi, vel ex eleemoſynis viuendi ius vniuersè adimunt? Citra vllam itaque controuerſiam licet iis, qui Apoſtolicam illam paupertatem profeſsi ſunt, eleemoſynam à fidelibus petere, vel, quod in idem redit, ex piorum eleemoſyna vitam tolerare.

Scientia parum ſæpe ædificat.

HINC iam haud magna cum difficultate colligi poteſt, quid ad quæſtionem de validis monachis initio propoſitam, reſponderi debeat. Etenim ſi externus labor non cadit in abſolutum aliquod præceptum, quod obliget ſingulos: Rurſum ſi omnibus, quę in bonis habebantur, abdicatis, CHRISTVM in paupertate ſectari, vnicuiq; impedimentum nullum habenti, ius eſt; Si iis deniq;, qui omnia propter CHRISTVM, maioriſq; perfectionis deſiderium deſeruerunt, (modò opere manuario ſe alere, aut commodè alere non queant) eleemoſynam petere inhibitum nō eſt: manifeſtum euadit, pauperibus, de quibus hîc ſermo eſt, eleemoſynam impertiri licitum eſſe. Nam quicquid licitè, honeſtè, & meritoriè licet petere, hoc ipſum quoq; licitè, honeſtè, & meritoriè licet donare.

Quod licitè petitur, id licitè quoque conceditur.

AT

AT quæres hîc forsan: vt rectè faciunt, qui religiosis mendicantibus eleemosynarum præsidia impertiunt, ita ne perperam agant, qui eiusmodi vitæ adminicula quibusdam ex illis subtrahunt vel denegant, aliisque vt subtrahant vel denegent, auctores sunt? Respondeo quæsitum hoc ex opera, quam Ecclesiæ vel Reipublicæ in qua versantur, præstãt, definiendum esse potiùs, quàm ex Regula, quam profitentur, aut ex vita, quam sectantur. Etenim si eiusmodi spontanei pauperes Ecclesiæ vel Reipublicæ, in qua degunt, orando, euangelizando, docendo, sacris operando, Sacramenta administrando, ægros solando, moribundos, vt feliciùs hinc decedant, animando, discordes pacificando, aliisque id genus pietatis officiis incumbendo, impigrè synceréq; deseruiunt, non poterit profectò non æquissimum videri, necessaria vitæ alimenta illis suppeditare: Habet enim hîc locum illud CHRISTI: *Dignus est operarius mercede*, vel *cibo suo*. Et illud rursum Moysi, aut DEI veriùs per Moysen: *Non alligabis os bouis triturantis*. & illud tãdem Pauli: *Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* & infrà: *Si nos vobis spiritalia seminamus, magnum est, si nos vestra carnalia metamus.*

Matth. 10. Deut 25. 1. Cor. 9.

QVOD si qui verò sunt, qui ea tantùm de causa mendicant, vt viuant, nihilque laude vel mercede dignum designant, & certò illud constat: licebit manum contrahere, eleemosynæque loco protritum illud iis occinere: *Qui non laborat, non manducet.* Quod de contractione manus hîc dicitur, de priuatis, non de toto aliquo religiosorum hominum cœtu accipiendum est; nisi forsan totus, quod fieri vix potest, ignauiæ & otio deditus esset. Nam si in magno monachorum numero conspicitur vnus aut alter, aut plures quoque, qui officium segniùs, vel etiam contra officium faciunt, cùm interim alij suo muneri non desint, non propterea toti cœtui vsitata præsidia subtrahenda sunt. Addo non sequi, iste vel ille ex hoc vel illo monasterio non docet, non concionatur, non excipit confessiones, non solatur ægrè habentes, deniq; nullum vnquam publicum ministerium obit: ergo nihil agit, vel Ecclesiæ non seruit: Sæpe enim, qui humiliter latitant, plus suis precibus Ecclesiam, vel Communitatem, à qua alimenta percipiunt, adiuuant, quàm magni alioqui Euangelij præcones.

Ob vnum aut alterum ignauum vel improbum non toti ordini bellum indicendum est.

SVNT qui ex animo vel fine, quo iſte vel ille motus hoc vel illud vitæ genus cõplectitur, rem hanc ęſtimandam iudicant. Volunt hi, qui virtutis amore voluntariam paupertatem profitentur, eleemoſyna, ſi copia adſit, ſubleuandos, cæteros verò, qui temporarium aliquod cõmodum ea profeſsione quærunt veriùs, quàm CHRISTVM, aut regnum cœlorum, aut animarum fructum, aut aliud quodcunq; cũ vera virtute coniunctũ, vacuos dimitti poſſe. Verùm licet magnam eius rei rationem habere debeãt, qui eleemoſynam quęrunt, finéq; vſq; adeò præpoſtero pauperum contubernio ſeſe adiungant: qui tamen donant, habere non debent, neq; habere quoque poſſunt; vt qui de alterius animo nihil certi ſtatuere, aut pronunciare valeant. Aut omnibus ergo promiſcuè dandum eſt, quod petunt, modò tamen dandi facultas non deſit, aut ſi quibus dandum nõ eſt, iis dari non debet, quos piorum benignitate abuti certò compertum eſt. Probatum eſt ergo, nõ modò cæcis, claudis, debilibus, cæterisque, qui victum parare non valent, eleemoſynis ſubueniendum eſſe; ſed quibuſdam quoque validis. Supereſt vt nonnulla etiam de ordine, aliisque circumſtantiis, quas in eleemoſynarum diſtributione obſeruare par eſt, in medium adferamus.

Quos piorũ benignitate abuti certò compertũ eſt, vacuos dimittere conſultum eſt.

De præcipuis fructuoſæ eleemoſynæ conditionibus, deq; delectu & ordine, qui in eleemoſynarum diſtributione obſeruandus videtur.

CAPVT VNDECIMVM.

ELEEMOSYNAM ſuis ornamentis externisq; partibus deſtitutam, eleemoſynæ appellationẽ vix mereri, probatione non magnopere indiget: nam, vt antè expoſitum eſt, eleemoſyna non cuiuſuis, ſed eius virtutis actus eſt, quę inter cęteras principatum obtinet. Virtus autem, quam intrinſecæ & extrinſecæ, hoc eſt, eſſentiales & circumſtãtes partes non cõmendant, vt nomen queat, verę tamẽ perfectæq; virtutis rationem obtinere non valet. Neq; tamen de ſingulis eleemoſynarũ partibus & circumſtãtiis ſeorſim hoc loco diſſerere eſt animus; ſed de iis pcipuè, quarũ hactenus inter diſputandum, vel non meminimus, vel obiter tantùm meminimus.

Virtus ſuis partibus & circumſtantiis deſtituta, virtutis rationem aſſequi nequit.

IGITVR

IGITVR vt eleemosyna eiusmodi fructus fundat, cuiusmodi suprà ex Scripturis, sanctorumq́; Patrum monumentis eidem assignauimus, iusta, pia, prompta, humilis, pro facultatum ratione larga, discreta, hoc est, prudens, ordinata, cæterisq́; circumstantiis ornata sit, oportet. Nam etsi iniusta, pietate, promptitudine, humilitate, prudentia, ordine, largitate &c. destituta, egenis prodesse queat, & prodesse quoque soleat, DEO tamen, qui non tam datum, quàm donantis animum spectat; (*Respexit enim ad Abel & munera eius*) eiusmodi eleemosyna non placet, aut certè multò minùs placet, quàm alioquin placuisset, si debitis circumstantiis vestita fuisset.

DEVS nõ tam datum, quã donantis animum spectat. Genes. 4.

ERIT autem iusta, si in pauperũ subsidium id erogatur, quod iustè est acquisitum, vel saltem non iniustè possessum: Nam, vt nuper dicebamus, quædam iure possidentur, quæ tamen absq; peccato non comparantur. Meretrix, histrio, præstigiator, aliiq́; eius farinæ homines complures, artibus non bonis quæstum faciunt; attamen quod malè, hoc est, non absq; noxa quæsiuerunt, hoc in suum vel aliorum vsum vertere non prohibentur. Quòd aũt eleemosynarũ causa nihil committi debeat, quod cum iustitia aut honestate pugnet, hoc est, nullũ furtũ, nullus dolus, nulla rapina, aut impostura: illud fusè probatũ est antè, & per se notũ est satis: Neq; enim vlla vnquam facienda sunt mala, vt eueniant bona: Furari aũt, vi rapere, dolum vel fraudem facere, res sunt malę, fraternęq́; charitati planè dissentaneę. Cõmendat sanè Dominus iniquitatis villicũ, non quia aliena rapuerat; sed quia alienis bonis prudenter vsus fuerat. Voluit autem eo paradigmate nos admonere, vt villici huius exẽplo illa inter pauperes distribuamus, q̃ nobis ad vsum necessaria non sunt; adeóq; nostra dici propriè non possunt; quò nimirum illi nos à villicatione nostra iam amotos, hoc est, mortali hac vita perfunctos, in æterna recipiant tabernacula.

Quædam malè parantur, quę tñ non iniustè possidentur.

Luc. 16.

Quid Dominus indicare voluerit per villici parabolam.

IVSTA rursum adeóque efficax & meritoria erit eleemosyna, si is, qui donat, DEO per charitatem fuerit adiunctus: perspicuum est enim, eleemosynam obstinato animo in scelere persistentis, eam vim nõ habere, vt illum, qui donat, à peccato, morte, inferno, cæterisq́; malis, à quibus eleemosyna liberare solet, eripiat. Quare Scriptura ita misericordiæ opera passim exaltat, vt à cæteris tamen studiosis actionibus nunquam ferè illa diuellat.

Opera misericordiæ, vt sint perfecta, & efficacia alias virtutes adiunctas habeant oportet. Esai. 58. Ezech. 18.

Commen-

Commendat DEVS per Esaiam pauperum causam Iudæis seriò, sed præmittit, vt opprimentes impietatis fasciculos deponant. Sic quoque Propheta Ezechiel iudicium & iustitiam misericordiæ adiungit: Sic, ne singula percurram, Abrahæ, Loth, Iob, Tobiæ, Cornelij Centurionis, Tabitæ, Zachæi, & aliorum non paucorum eleemosynæ pleno ore prædicantur, sed alię eorundem præclaræ virtutes non reticentur. Deniq; communis Sanctorum vox est, eleemosynas tum demum prodesse, cùm nuncio priscis vitiis misso, nouæ vitę ratio initur. Cùm auditis, scribit alicubi Augustinus, omnia malefacta eleemosynis redimi, nolite sic intelligere, vt intelligunt quidam peruersi: eleemosynæ enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaueris: Si autem in eisdem malis perseueraueris, eleemosynis tuis non corrumpes iudicium DEI. Similia comperias apud Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, & alios Patres.

Homil. 19. lib. Homiliarum. Eleemosynę prosunt, si vitā mutaueris.

IVSTA tandem & pia simul erit, si ex proximi charitate orta, tendat in DEVM, vel alium finem honestum. Nam qui donat, vt ad peccatum vel errorem alliciat, vel vt vulgi plausum obtineat, quo animo Pharisæos donasse legimus, vel alia de causa non bona, nullo fructu donat: Sed nec illi quoque opus cœlesti mercede dignum præstant, qui sola naturali quadam commiseratione tacti miseris opitulantur. Nam & Pagani quoque, & Iudæi, & Hæresi cōtaminati, hoc sensu tacti benignè nonnunquam egenis faciunt; qui ob id tamen à peccato vel morte non absoluuntur, nisi forsan remota quadam dispositione. Qui itaque salubriter vult donare, donet propter DEVM, cuius sunt omnia, & quæ donamus, & quæ in vsus proprios asseruamus, curetque, vt CHRISTO per gratiam & charitatem sit adiunctus.

Qui præpostero fine eleemosynā donāt, nullo spiritali fructu donant.

PROMPTA erit eleemosyna, si opem nostram implorantibus non dicemus: hodie nequeo, cras vel alio opportuniori tempore ad me redito, & dabo: Siquidem verè benigni, veréque & ex animo misericordes non procrastinant, sed oblatam dandi occasionem gratanter acceptant: Imò verò mendicantis vocem sæpe non expectant; sed vbicunq; præsentem vel impendentem inopiam vident, ibi vltrò aduolant. Neque enim opus est semper, vt pauper lamentabilibus verbis miseriam suam prodat, opemq; petat; petit ipsa oris macies, petit infirmitas, petit ipsa nōnunquam etiam

Quid deposcatur, vt eleemosyna sit, dicaturq; prompta.

etiam personæ qualitas. Comperiuntur enim viri honesti casu vel infortunio quopiam ad inopiam redacti, qui inedia perire malūt, quàm cum familiæ dedecore vitæ præsidia palàm emēdicare. Horum autem vocem data opera expectare, aliud nihil esset, quàm afflicto afflictionem addere, extremeq; egenti opem nolle ferre. Vt aūt, qui tales studio negligunt, nō leui peccato sese obstrigūt; ita ediuerso singulari laude digni sunt, qui peculiarē istiuscemodi verecundorum pauperū curam gerunt. Hos Propheta regius designasse videtur, dum inter cætera, ita scribit: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Insinuat eñ, quosdam esse, qui vnū hoc studium habēt, vt paupes latentes inq;rant, inuētisq; benignè faciāt. Psal. 40.

De hac in dando promptitudine D. Augustinus alicubi ita scribit: Perfecta, fratres, eleemosyna est, vt antea occurrat esurièti cibus, quàm roget mendicus. Non eñ est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Si tacet mendicus, loquitur pallor in facie. Festina pietas succurrere, ne audias rogantem; ne quod debetur Domino, vendices tibi. Imitare Deum tuum, *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*: Et ecce venit tibi pluuia antequam rogas: Descendit vbertas nocte, dum stertis; dum adhuc in lecto es, ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. Lib. Hom. 34. Non est perfecta eleemosyna, quę precibus extorquetur. Matth. 5.

Hvic cognatū est illud Ambrosij: Non satis est bene velle, nisi etiā studeas benefacere; nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona volūtate proficiscatur. *Hilarē enim datorem diligit* Deus: nam si inuitus facis, quæ tibi merces est? Vnde Apostolus generaliter inquit: *Si volēs hoc ago, mercedē habeo: Si inuitus, dispensatio mihi credita est.* Et illud rursum Gregorij Nazianzeni: Non satis d. 86. Sat non est bona voluntas, si adsit operis copia. 2. Cor. 9. 1. Cor. 9.

Benedictionem accipiamus, intelligentes vocemur, benignissimus; ne vox quidem misericordiæ officia interrumpat: ne dixeris, rediēs redi, & crastina die dabo tibi; ne quid inter propositum tuum & beneficentiam intercedat. Vna est beneficētia, quæ moram non patitur. Frange esurienti panem tuum, & egenos tectóq; carentes induc in domum tuam, idq; læto & alacri animo. Qui enim miseretur, inquit ille, cum hilaritate misereatur, ac beneficij gratia promptitudine & celeritate congeminetur: Nam quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur, ingratum est parumque glorioſum. Lætandum est autem, non lugendum, dum beneficium damus. Orat. de paup. am. Prou. 3. Esai. 58. Rom. 12. Lætandum non lugēdum, dum beneficium damus.

P 3 past.adm.2. ET illud tandem Gregorij Magni: Admonendi sunt, qui sua misericorditer tribuunt, ne tarditate petentes, nociuè crucient; ne recipiendæ hîc gratiæ intentio subrepat; ne oblatum munus cõiuncta tristitia absorbeat; ne in bene oblato munere animus plùs, quàm decet, hilarescat; ne sibi quicquam, cùm totum rectè impleuerint, tribuant, & simul omnia, posteaquam peregerint, perdant. Nam ne sibi virtutẽ suę liberalitatis deputent, audiant, quod

1.Pet.4. scriptum est: *Si quis administrat, tanquam ex virtute, quam administrat* DEVS. Ne in benefactis immoderatiùs gaudeant, audiant, quod

Luc.17. scriptum est: *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Ne largitatem tristitia corrumpat, audiant

2.Cor 9. quod scriptum est: *Hilarem datorem diligit* DEVS. Ne ex impenso munere transitoriam laudem quærant, audiant quod scriptum

Matth.9. est: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos &c.* Ne, quæ pbenda sunt citiùs, serò pbeantur, audiãt quod scriptum est:

Prouer.3. *Ne dixeris amico tuo, vade, reuertere, & cras tibi dabo, cùm statim possis dare.* Ne sub obtentu largitatis ea, quæ possident, inutiliter spargant, audiant

Eccles.12. quod scriptum est: *Sudet eleemosyna in manu tua.* Ne cùm multa ne-

2.Cor.9. cesse sint, pauca largiantur, audiant quod scriptum est: *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Hæc Gregorius, & alia in eũdem sensum multa: vix enim vlla extat frugiferæ eleemosynæ conditio, quam ille loco indicato non attingat, vel ex instituto non tractet: dandum est itaque promptè.

SED neq; promptè tantùm, quod necessitas postulat, dandũ est, sed magna quoq; cum animi alacritate. Nam qui aliâs inuiti humano quodam pudore huc impellũtur, ne videlicet vulgo habeantur auari vel sordidi, multò illi minorem apud DEVM gratiã ineunt, quàm si Apostoli consilium secuti, hilariter & liberaliter

2.Cor 9. id facerent. Quid enim scribit ille: *Necessarium existimaui rogare, fratres, vt præueniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem*, hoc est, eleemosynam, *non tanquam auaritiam, sed tanquam benedictionem*; ita nimirum, vt publicè constet, vos liberaliter conferre, non ægrè, sicuti auari solent. Et causam, cur hilariter simul & liberaliter donandum sit, exponens: subdit: *Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: Qui autem seminat in benedictionibus*, hoc est, copiosè, & liberaliter, *de benedictionibus*, hoc est, cumulatè abundanterq; metet: latet namque Hebraismus, vel Scripturæ idiotismus in Apostoli verbis. Solet hæc enim liberaliores eleemosynas benedictionis nomine

nomine designare. Addit rursum: *Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit* DEVS. Et ne qua de futura inopia trepidatio, sanctum hoc opus remorari posset, subiungit tandem: *Potens est autem* DEVS, *omnem gratiã abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abũdetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Scriptura benigniores eleemosynas benedictionis nomine designat.

HAEC omnia & alia pterea nonnulla, quæ hunc locũ eodem illo capite cõsequuntur, huc tendunt, vt intelligamus, hilariter & expeditè, quod necessitas exigit, & facultas permittit, præstandũ esse; certò nobis pſuasum habentes, nihil hac alacritate detrimẽti priuatis nostris facultatibus accessurũ, id quod plurimis sæpe argumentis probatum est. Si vereris, scribit Cyprianus, ne, si operari multùm cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad penuriã fortè redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus, finiri non potest, vnde in vsus CHRISTI impenditur, vnde opus cœleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto; loquitur per Salomonem spiritus sanctus, & dicit: *Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui autem auertit oculum suum, in magna penuria erit;* Ostendens misericordes & operantes egere non posse, magis parcos & steriles ad inopiam postmodum deuenire. Similia superioribus capitibus audiuimus ex Leone primo, Prospero, Isidoro, Petro Chrysologo, Augustino, & aliis.

Ser. de op. & ele.

Finiri id nõ potest, vnde in CHRISTI vsum impenditur. Prouerb. 28.

HVMILIS erit eleemosyna, si qui illam dispensant, in munerum suorum multitudine vel magnitudine non nimiùm gloriabuntur. Non gloriabuntur aũt, si eorum, quæ in pauperes erogãt, non tam dominos quàm œconomos se esse cogitabunt. Humiles rursum eiusmodi hic erunt, si eleemosynam petẽtes, siue votis illorũ faciãt satis, siue secùs, blandè amiceq; excipient, cõsolatosq;, quod in se est, abs se dimittent. Hanc aũt in pauperes benignitatem animiq; submissionem haud magna cum difficultate, accedente huc CHRISTI gratia, consequentur, si mẽtis aciem in eos, non vt in viles abiectosq; homines; sed vt in CHRISTI membra vel in CHRISTVM ipsum coniicient: Tùm si illos salutis suæ ministros & synergos esse, eandemq; sortẽ sibi quoq; aliquãdo euenire posse animo pertractabunt; qua de re Augustinus alicubi in hunc modũ scribit: Cui dare præcipitur, gaudeat, quòd nõ ea sorte

Ser.76.de temp. natus sit,vt indigeat: Sufficit ad gloriam dantis, quòd misericordia fœnerat DEVM, quòd pascat in paupere CHRISTVM, quòd per alterius inopiam,accipiat indulgentiam. Obiurgantis Domini vox est: Luc.16. *Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Talem enim quis se pauperi exhibere debet, qualem sibi alium exhibere vellet,si pauper ipse fuisset. Humiles hîc tandē erunt,si hypocritæ non erunt. Hypocritæ autem non erunt,si nesciat sinistra, quid faciat illorum dextera, quodcunque tandem per dexteram & sinistram accipere lubeat.

LARGA erit eleemosyna,vel,vt rectiùs dicam,largi liberalesq; eleemosynarij erimus,si Tobiæ consilium secuti, à nullo paupere faciem auerterimus: Nam, vt Scripturæ monent & Sancti passim confirmant,dandum est omni omnino petēti, modò adsit facultas,& vrgeat necessitas, & nihil, quò minus detur, impediat,vel obstet: Vel certè dandum est omni, quia non tantùm amicis,vel iustis,vel fidei domesticis; sed Paganis quoq; & peccatoribus: nā Pagani quoq; & peccatores DEO curæ sunt: *Pluit is enim super iustos & iniustos,& Solem suum oriri facit super bonos & malos,* & ad gratiā Catholicæq; fidei lucem venire quādoq; poterunt, & fortè eiusmodi charitatis officio allecti, faciliùs huc perducētur; Vel dandum est tandem omni, quia non totum dandum est vni. Nemo enim dubitat, inscitiæ esse minimè paruæ,id totum in vnum effundere, quod dispertiendum erat inter multos; sicut quoque ibi multa profundere,vbi opus est paucis; vel ibi pauca, vbi opus est multis; vel ibi minus,vbi desiderabatur maius;vel è diuerso ibi maius,vbi deposcebatur minus.

Quo sensu dandum sit omni petenti.

ET quemadmodum non omnia vni, quæ redundant,impertienda sunt, nisi forsan residuum esset admodū exiguum, & vnus ille,quò à præsenti inopia liberetur,multis indigeat;sed ea solùm, quæ ad subleuandam præsentem egestatem sat sint; siue ea necessitas communis sit,siue specialis; ita quoque pauperibus duris assuetis,nisi vis morbi,aut corporis debilitas aliud exigat, nō sunt donanda opipara, operosēque parata, sed vulgaria: Siquidem vtrunque,nempe plura vni exhibere,quàm necessarium est,& delicatiora rursum exhibere, quàm par est, cedit in non leue aliorū pauperum præiudicium. Nam vt ex vna preciosa tunica decē, vel etiam plures confici possunt crassæ; ita ex vna cœna sumptuosa, decem nonnunquam vulgares confici possunt.

Vt non omnia vni, sed necessaria tantùm: ita hominibus duris assuetis non sunt preciosiora offerenda, q̄ illorum postulat conditio.

DISCRE-

DISCRETA & prudens erit eleemosyna, si hoc ipsum præstetur & obseruetur, quod modò dictum est, hoc est, si curetur, vt quisq; tantum eroget, quantũ, domestica necessitate considerata, commodè erogare valet, & pauperũ necessitas pro tempore postulat. Itaq; qui donare potest aurũ, det aurum; qui argẽtum, argentum; qui panem, panem; qui parum, parum; qui multis, multis; qui paucis, paucis; qui tandem nihil, is bonam adferat voluntatem: nam & hæc quoque sua mercede non caret. Regnum DEI, scribit Gregorius, tantum valet, quantum habes: Valuit Zachæo dimidium substantiæ, valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calice aquæ frigidę. Sed fortasis nec calix aquę frigidę suppetit, qui indigenti præbeatur? etiam hîc securitatem nobis promittit sermo diuinus. Redemptore etenim nato cœli ciues ostensi sunt, qui clamarent: *Gloria in excelsis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hæc de iis Gregorius, qui præter bonam voluntatem, nihil eleemosynarum in medium adferre possunt.

Quid deposcat discreta eleemosyna.

Ho. 5. in Euang.

Luc. 19.

Marc. 12.

Matth. 10.

Luc. 12.

DISCRETI hîc rursum & prudentes erimus, si caueamus, ne quædam iis, quibus nulla; ne nulla, quibus aliqua; ne multa, quib⁹ pauca; ne pauca tandem impendamus, quibus multa impendi debebant. Tũ rursum si à capite, hoc est, ab iis, qui maximè egent, vel maiori necessitudine nobis coniuncti sunt, exorsi, per certa quædam media contenderimus ad ima, hoc est, ad eos, qui eleemosynarum præsidio minus egent, aut maiori interuallo à nobis distant, nihilque eorum omiserimus, quæ ad prouidam riteque ordinatam eleemosynam necessaria esse dignoscuntur.

PRVDENS tandem & ordinata erit eleemosyna, vel, quod in idem redit, prudenter ordinatéq; eleemosynam largiemur, si fidem, causam, locum, tempus, generis propinquitatem, nobilitatem, vires, aliáque id genus non indiligenter obseruauerimus. Et quidem ad fidem, & quę huic cognata est, iustitiam quod attinet, dubium nullum est, si cætera sunt paria, maiorem in eleemosynarum distributione habendam esse rationem fidelium & iustorum, quàm infidelium & iniustorum; notũ est enim illud Apostoli: *Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Tum illud rursum eiusdẽ: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit & infideli deterior est.* eôdem pertinet hęc Ambrosiana: Grandis culpa est, si te sciente egeat fidelis; si scias eum sine sumptu esse, & famẽ tolerare, ærumnã perpeti, qui præsertim

Fideles & iust in eleemosynarum distributio ne cæteris anteferendi.

Gal. 6.

1. Timoth 5.

Li. 3 c 30 offici.

Non satis d. 86.

egere erubescit: nam etsi omnibus debetur misericordia, at iusto amplius. Hæc diligenter notent, qui Dei seruis eleemosynam petentibus petulanter quandoq; insultant, præsidióque, quod iure illis debebatur, vel iniustè defraudant, vel, vt defraudentur, operam nauant.

Causæ ad eleemosynam erogãdã impellentes, vt variæ sunt, ita non ex æquo impellunt.

Causae porrò ad eleemosynam huic vel illi impertiendam impellentes, vt variæ sunt, ita dispar quoq; debitum adferunt. In confesso est namq;, non æquam eius iuuandi obligationẽ esse, qui extrema; & qui communi tãtùm inopia tenetur: Eius rursum, qui iniustè ad supplicium, mortem vel seruitutem rapitur; & eius qui iusta inedia aliáue promerita miseria torquetur: Eius item, qui educauit vel instituit; & eius, qui neutrum horum præstitit: Eius tandem, qui optimè meritus est; mereríue studuit; & eius qui pessimè, vel nihil, esto pari vel maiori quoq; egestate prematur, modò tamen infra extremam vel quasi extremam.

Multa sunt, quæ egestatis incommoda augent.

Locvm, tempus, senium, morbum; aliáq; his cognata, egestatis incõmoda augere, nemo est, qui iure ambigere queat. Neq; enim parũ interest, in patriáne, apud amicos, familiares, vel affines inopem vitam ducas, an apud exteros & ignotos: Naturaliter enim impensiùs fauemus notis, quàm ignotis; sanguine vel alia necessitudine iunctis, quàm nihil ad nos ptinentibus. Rursum famẽ, aut siti, aut nuditate, aut alia calamitate in arctissimũ ergastulum detrusus cruciere; an hæc ipsa sub libero cœlo perpetiãre: nam qui liber est, ostiatim mendicando, vel operam suam alteri locando, miserię, qua tenetur, obuiam ire potest; qui autem in vinculis, vel in carcere detinetur, neutro modo calamitati suæ solatium adferre potest. Tandem reipsáne propter rerum familiarium inopiam vel acceptam cladem afflictẽre, an propter culpam, vel etiam citra culpam his incommodis paulatim affinis fias. Clarum est enim, multò grauius esse, cecidisse, quàm ad casum propendere: Atqui vbi maior vrget necessitas, ibi cæteris exæquatis, maior quoque commiserationis ratio vrget.

Vbi maior vrget necessitas, ibi maior cõmiserationis ratio militat.

Quae de eorũ calamitate & statu exposita sunt, qui carceris squalore macerantur, vel ergastulis inclusi detinentur, hæc certa quadam proportione ad ægros quoq; senióq; confectos, vel aliás inualidos transferri possunt: Quandoquidem ætate florẽtes, sano robustóq; corpore præditi, ac viribus integri, si sibi nõ defuerint, haud magna cum difficultate victum, cæteráque vitæ necessaria parauc-

In eleemosynarũ distributiõe, peculiaris ratio ha-

parauerint. Non ita autem ægritudine preſsi, aut ſenio confecti, aut alia quacunq; de cauſa inualidi. Hi enim ſicut laborem tolerare nō queunt, vt maximè cupiant; ita victus cauſa oſtiatim diſcurrere abſque grandi difficultate non poſſunt, imò quidam ex iis omnino non poſſunt.

bēda eſt ſennm, debilium, & infirmorum.

QVOD autem peculiarem nobilitatis, tùm propinquitatis quoq; generisq; rationē habere conueniat, modò cętera non ſint diſparia, id fatentur omnes, & ipſa quoque ratio hoc dictat. Nam quis, ſi rationis iudicium conſulat, non videat, viri nobilis furto, rapina, incendio, iniuſta proſcriptione, alióue immerito infortunio ad pauperiem redacti, miſerēdum eſſe potiùs, quàm hominis plebei ad miſeriam nati? familiaris aut domeſtici, quàm nullo neceſsitudinis vinculo coniuncti? amantis vel parentis, quàm odientis vel occidentis? De his omnibus ita Ambroſius:

DEI, inquit, traditio eſt, vt priùs paſcas parentes: nam ſi iuxta diuinum oraculū, contumelia parentis morte luitur, quantò magis fames, quæ multò grauior eſt. & alio rurſum loco: Probanda eſt & alia liberalitas, vt ꝓximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt, ab aliis ſumptū depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſsitatis. Nō tamē, vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu conferre potes inopibus. Cauſam enim natura præſtat, non gratia. & infrà: Conſideranda eſt in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales; vt ſenibus plus largiaris, qui ſibi iam nequeunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis promptiùs eſt adiuuanda. Tùm ſi quis ex diuitiis cecidit in egeſtatem, & maximè ſi ſine ſuo vitio: Sed aut latrociniis, aut proſcriptione, aut calumniis, quæ habebat amiſit. Hæc ille.

Cæterum d. 86. Ante omnes paſcendi ſunt parentes. Probanda d. 86.

Conſiderā ſum. d. 86.

OMNES hæ & ſi quæ adhuc extant alię fructuoſę ordinatæq; eleemoſynæ cōditiones, ad debiti, honeſti, & neceſſarij rationem reduci poſſunt. Etenim vt extremè vel quaſi extremè laboranti opem feras, id poſtulat neceſsitas: Vt autem probis, eruditis, nobilibus, bene de Repub. vel Eccleſia meritis, pro facultatum modulo benignè facias, id quædam ciuilis exigit honeſtas; Vt verò parentibus, præceptoribus, benefactoribus, aliisque conſimilibus inopia preſsis manum porrigas, id naturalis æquitas efflagitat.

Omnes fructuoſæ eleemoſynæ conditiones ad debitum, honeſtum, & neceſſarium referūtur.

INTER

Extremè egens ceteris omnibus extremè nõ egẽtibus anteferendus.

INTER tria hæc primas obtinet neceſsitas, hoc eſt, vltima vel quaſi vltima egeſtas. Quare ſi capitalem hoſtẽ de me meisq; meritum peſsimè, fame, ſiti, vel alio incõmodo, cui mederi queam, pereuntem animaduertam, parentem verò, vel præceptorem, vel alios quoſcunq; præclarè de me meritos, egere quidem mea ope intelligo, nõ tamen extremè aut quaſi extremè, ſi vtriſq; opitulari non valeo, miſſo parente vel præceptore, hoſti extremè laboranti ſubuenire debeo, & niſi fecero, graui noxa me obſtringo. Cauſa huius eſt, quia eleemoſyna per ſe primò ac propriè ſpectat indigentiam; cætera autem omnia ſecundariò, & quaſi per accidens. Quare vbi maior vrget inopia, ibi præceptum eleemoſynariũ obligat ſtrictiùs, & eleemoſynę ratio conſtat veriùs: Nam propter honeſtatem vel morale debitũ donare, ad iuſtitiam & beneficentiam pertinet veriùs, quàm ad miſericordiam, vel charitatis legem.

Vltima neceſsitate ſecluſa, neceſſarium, honeſti & debitum alia & alia ratione ſe inuicẽ excedũt.

CAETERVM vltima egeſtate ſecluſa, tria hęc alia & alia ratione ſe mutuò excedunt: per ſe tamen neceſſarium magis vrget, quàm honeſtum vel debitum; debitum rurſum magis quàm honeſtum. Quapropter ſi plures æquè indigent, ſiue indigeant extremè, ſiue citra extremũ, primùm quidem habẽda erit ratio debiti, proximè honeſti, poſtremò magis minúsue debiti, vel honeſti: Siquidẽ non omnia debita æquè ſunt arcta aut magna; nec omnia honeſta eadem lege & ratione æquè ſunt honeſta. Nã vt nemo neſcit, magis obligor parentem iuuare, quàm ſobolem, præſertim adultã, (nam infantium & puerorũ, qui per ętatem ſeipſos iuuare non poſſunt, ſingularis ratio habenda eſt) & ſobolem rurſum magis quàm cæteros ſanguine iunctos; & domeſticos magis itidẽ quàm exteros; & inter hos tandem magis meritos, vel magis probos, minùs meritis vel minùs probis. Deniq; idem hîc ferè obſeruandus eſt ordo, qui in charitate. Similes gradus in honeſtatis ratione annotare & obſeruare quoque liceat.

ET hæc de ordine, cæterisque, quæ in eleemoſynarum conſiderationem cadunt, hactenus. Faxit Dominus, vt pauperibus diuitibusque ex æquo proſint, his quidem ad æternæ vitæ meritum, illis verò ad qualecunq; miſeriarum, quas iuſto DEI iudicio ſuſtinent, ſolatium, AMEN.

LAVS DEO.

IEIV-

DE IEIVNIO, ET CIBORVM DELECTV

LIBER SECVNDVS.

Ieiunium cum abstinentia non rectè confundi, rectè autem in liberum & necessarium; & hoc rursum in naturale, Mosaicum & Ecclesiasticum deduci.

CAPVT PRIMVM.

INTER causas ad peccatum prouocantes, primas facilè obtinet carnis concupiscentia. Allectat huc etiam auaritia, vitæque superbia; sed & multos quoque transuersos agit ignoratio: Verùm quò carnis sensus homini iam inde ab ineunte ætate est familiarior, (nam vnà cum ipso exortus ad vltimum vsque vitæ halitum perstat, materiamq;, quo nutriatur, nusquam non obuiam habet) eò ad alliciendum, obtinendamque de antagonista victoriam est potentior. Quare sancti Patres secundùm diuinas literas ad nihil æquè frequenter hortantur fideles, ac ad carnis mortificationem, motuumq; eiusdem compressionem.

Inter causas ad peccatum prouocantes, primas tenet carnis concupiscentia.

PORRO autem inter ea, quæ ad refrenandum carnis sensum faciunt plurimùm, multi non absq; ratione ieiunio principatum deferunt. Nam etsi vigiliæ, asper vestitus, externus corporis labor, aliáque id genus complura carnis petulantiam coërceant: non eo tamen successu & vi, qua continuata ieiunia. Quocirca licet Paulus, Antonius, Hilarion, cæteríque eremi cultores, quæ iam attigi, non negligerent: ieiunium tamen tanquam validissimum aduersùs omnem Diaboli carnisque insultum præsidium, in prima semper acie collocabant; nihilque perinde atque ieiunium ad Monachi professionem pertinere prædicabant, viuóque exemplo confirmabant: Imò verò qui assiduo ieiunio se non macerarent, eos Monachi appellatione vix dignos censebant.

Nihil carnis petulantiam æquè comprimit, atq; continuatum ieiunium.

In primitiua Ecclesia frequēs ieiuniorum vsus.

QVIN in primitiua Ecclesia quoque non apud eos solùm, qui secundùm Ecclesiastici iudicis arbitrium priuata vel publica pœnitentia mulctabantur, solennis & frequens admodum erat ieiuniorum vsus, sed apud eos quoque, qui publica pœna nihil dignum admiserant. Temperantia, scribit Philo, tanquam fundamento in anima iacto, virtutes cæteræ superstruuntur. Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum. Nonnulli ex illis vix tertio quoque die famem sentiunt. Nec desunt, qui prælauto excepti epulo sapientiæ, perdurant duplum eius temporis, & vix sexto die degustant cibum necessarium, assueti, sicut cicadæ rore viuere, canticis solari inediam. Hæc ille de Christianis Alexandrinis Marci primi ciuitatis illius Episcopi discipulis: fitque verisimile, aliis locis & ciuitatibus idem præstitisse alios. Sed hac ipsa quoque ætate, qui rebellantem spiritui carnem seriò edomare cupiunt, ad ieiunium & abstinentiam veluti ad sacram anchoram sese recipiunt. Ieiunium itaque inter mortificationis instrumenta arcem tenet.

Lib. de vit. cont.

PORRO autem licet ieiunium & abstinentia circa eandem materiam versentur, & vnum alterius nomine sæpe designetur, non idem tamen prorsus est ieiunium, quod moralis abstinentia. Qua in re ætatis huius sectarij hallucinantur maximè: docent enim, idem omnino esse ieiunare, quod sobriè, naturæque conuenienter viuere; quod est vanissimum, & à Scripturæ sententia alienissimum. Constat namq;, abstinentiam æquè atq; temperantiam, nullum non hominem ad sui culturam & obseruationem perpetuò obstringere: Quandoquidē vt nulli vnquam fas est intemperanter viuere; ita nulli quicquam vnquam, quod cum vera abstinentia pugnet, admittere. Nunquam enim plus comedere aut bibere licet, quàm vel recta ratio dictat, aut naturæ necessitas postulat. At verò ieiunium neque omnes obligat, neque semper obligat, sed suo tempore & loco quosdam tantùm. Certum est æquè, CHRISTVM Dominum, sanctosque eiusdem Apostolos, nec non innumeros ante & post illos alios sobriè naturæque conuenienter vixisse semper, neque semper tamen ieiunasse. Nam si Apostoli semper ieiunassent, CHRISTVS nunquam dicturus erat: *Auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt.*

Non sunt idem ieiunium & abstinentia.

Ieiunium non omnes, abstinentia omnes obligat.

Matth. 9. Marc 2. Lucæ 5.

EST

Est autem ieiunium, vt hîc de ieiunio loquimur, & deinceps locuturi sumus, proprius abstinentiæ actus, vel peculiaris quidam abstinentiæ modus. Paucis, ieiunium est eiusmodi abstinentia, qua quis ad præfinitum diem, vel ad certam diei horam ab aliquibus, vel ab omnibus abstinet. Triduum integrum ab omnibus abstinuisse leguntur Niniuitæ amplissimæ ciuitatis, excidium ob Ionæ comminationem veriti. Ad vesperam vsque Israëlitæ, in Silo fratrum suorum cladem deplorantes, & quid facto opus in posterum, Dominum consulentes. A quibusdam Daniel: *In diebus illis*, ait, *ego Daniel lugebam* (hoc est, ieiunabam) *trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, caro & vinum non introierunt in os meum &c.*

Cuiusmodi abstinentia ieiunium.

Ionæ 3.

Iudi. 20.

Dani. 10.

At quia non vno animo, nec vna de causa ab aliquibus, vel ab omnibus abstinent omnes; sed alij alio: fit, vt non omne ieiunium meritum apud Deum habeat. Ieiunant, exempli gratia ægri, quòd cibum fastidiant; Inopes, quòd alimenta, quibus se alant, nulla sæpe ad manum habeant; Auari, quò parciùs sumptus faciant; Læmargi ventríque & gulæ dediti, quò maiori postea auiditate & voluptate liguriant; Hypocritæ, quò sanctimoniæ, quam non habent, opinionem apud imperitam turbam sibi comparent. Ieiunant tandem pij homines, quò vel scelerum vestigia inducant, Deoque & Ecclesiæ satisfaciant; aut quò insurgentes inordinatos carnis motus, ieiuniorum vi comprimant; aut vt diuino cultui obeundo aptiores sese reddant; aut certè quò legi de ieiunio latæ pareant. Et hi soli ritè, &, nisi peccatum grauius aliquod obstet, meritoriè ieiunant.

Variæ abstinendi causæ, diuersiq; abstinentium fines.

Hoc piorum hominum ieiunium, (reliqua enim ieiunij appellationem non merentur) missis pluribus diuisionibus, quæ à materia, vel ab auctore, vel à tempore, vel à loco, vel à persona ieiunante, vel à causa petitæ prolixè à quibusdam tractantur & explanantur, in necessitatis & supererogationis siue in deuotionis & institutionis ieiunium deduci potest. Supererogationis ieiunium illud hîc nunc breuiter vocamus, (postea enim accuratiùs ea de re disputabitur) quod sponte, nulla lege cogente, aut præcepto vrgente, suscipitur. Necessitatis verò,

Duplex ieiunium, necessitatis vnum, supererogationis alterum.

quod secundùm legis præscriptum, aut superioris mandatum, aut patriæ consuetudinem exigitur præstaturúe. Neque enim solùm leges, sed laudabiles quoque consuetudines suam in vtroque foro vim obtinent.

IEIVNIVM supererogationis æquè latè patet atq; causę, quę ad hoc inuitant; hæ autem patent latissimè. Ieiunium necessitatis legum, ex quibus ortum & robur trahit, numerum imitatur. Lex autem generatim accepta in naturalem, Mosaicam, & Euangelicam secerni solet. Quare si quod extat vel extitit quandoque ieiunium non liberum, hoc ad aliquam trium istarum legum pertineat oportet. Mosaicæ legis nomine id totum hîc comprehendimus, quod veteri lege vim adhuc obtinente, apud Iudæos receptum erat: siue id proximè natũ & promulgatum esset per Moysen; siue per quemcunque alium in Moysi Cathedra sedentem. Idem de Euangelica lege statuatur quoque. Neque enim id solùm Euangelicum dici consueuit, quod CHRISTVS per se docuit aut iussit, sed id etiam, quod per suos Apostolos, legitimósque eorundem successores Christiano orbi proposuit. Vniuersè ergo triplex est ieiunium, naturale legísue naturæ, Mosaicum, & Euangelicum, hoc est, Ecclesiasticum.

Triplex lex, legisque sanctio.

Triplex in vniuersum ieiuniũ.

IEIVNIVM legis naturæ, quatenus maiorum traditione, vel aliqua patriæ consuetudine apud illius ætatis homines statuti vel legis vim obtinebat, iam non obligat. Verùm si quod ieiunium naturæ lex absolutè accepta, vel recta ratio dictat, illud non minori obligandi vi nunc pollet, quàm mundi nascentis tempore. Certum est enim, si eiusmodi animi vel corporis morbo labores, qui citra ieiunium sanari non queat, æquè tibi abstinendum esse, atque si Ecclesia commune aliquod ieiunium indixisset; Nemini enim seipsum perdere licet. Perdit autem, qui ab interitu, à quo tueri se poterat, & tueri se quoque debebat, se non tuetur.

Ieiunium naturæ bifariam accipi potest.

Ieiunia, quæ natura vel recta ratio dictat, nunquam non obligant.

AT verò statáne aliqua apud priscos illos Patres ieiunia, ante Moysi principatum fuerint recepta, id certò non constat: Siquidem Scripturæ & veterum monumenta nihil, quod apertum sit satis, ea de re produnt. Fit nihilominus admodum verisimile, vt suos illi, qui legem antecesserunt, sacros habebant ritus, sua Sacramenta & sacrificia; ita suas quoque habuisse ieiunationes:

Habe-

Habebant enim eaſdem ieiunandi cauſas, quas nos nũc habemus, & fortè maiores. Præterea cùm ea ætate multi eſſent magnæ perfectionis & ſanctitatis viri, non fit credibile, tantæ perfectionis organum, quantum eſt ieiunium, aut ignoraſſe, aut neglexiſſe. De eo autem naturæ ieiunio, quod omnem cibi potusq; vſum excludit, alioq; nomine ieiunij ieiunium appellari cõſueuit, (ſicut alterum illud ieiunium ieiunantis) nihil hîc differimus: Quandoquidem nihil id ad noſtrum inſtitutum facit; quippe quod brutis animantibus cum hominibus ſit commune.

Verisimile fit, Patres, qui legẽ antecesserunt, suas habuisse ieiunationes.

MOSAICAE legis ieiunia, vt cætera cæremonialia, iamdudum exoleuerunt: vnde nihil eſt quod de iis prolixè hoc loco diſputemus. Solùm monuerim, non omnia veteris illius populi ieiunia fuiſſe libera; Quædam e nim magna ſeueritate illi erant indicta. DEI vox eſt: *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus; & affligetis animas veſtras in eo: et offeretis holocauſtum Domino. Omnis anima, quæ afflicta nõ fuerit die hac, peribit.* At ſiue interitus, quem lex interminatur, referatur ad corpus, ſiue ad animam, ſiue ad vtrunque ſimul, maximam, citra controuerſiam, exprimebat pœnam. Quòd autem afflictionis nomine veniant ieiunia, id apud diuinorum oraculorum interpretes quæſtionem non habet.

Non omnia Mosaicæ legis ieiunia erant libera. Leuit. 23.

Scripturarum phraſi, afflictionis nomine deſignantur ieiunia.

RESTANT ergo ſola Chriſtiana vel Eccleſiaſtica ieiunia; ſiue per Apoſtolos, (vt de nonnullis certò conſtat) ea ad nos defluxiſſe dicas; ſiue per quoſcunque alios Eccleſiæ Catholicæ proceres. Nam ad rituum, vel cæremoniarum inſtitutionem, legumq; Reipub. Chriſtianę neceſſariarum lationem quod ſpectat, eadem nunc in Eccleſia DEI auctoritas eſt, eritque ſemper, quæ fuit Apoſtolorum ætate. Eſſet namque Eccleſiæ ſtatus miſerrimus, ſi ipſa pro locorum & temporum qualitate, nullas leges, quæ bonum publicum promouerent, aut publica mala coërcerent, ferre poſſet.

Eadem nunc ferẽdarum legum in Eccleſia auctoritas eſt, quę fuit Apoſtolorum ætate.

CAETERVM Chriſtiano vel Eccleſiaſtico ritu, hoc eſt, ſecũdùm normam ab Eccleſia præſcriptam, vel ab eadem approbatã ieiunaturus, præter ciborum delectum, qui propriæ rationis ieiunio adeò intrinſecus eſt, vt ab eo diuelli vix queat, duo obſeruare debet. Horum alterum eſt, ne ſæpius quàm ſemel interdiu cibum ſumat: Alterum eſt, ne ante nonam vel veſperam, vel craſſa

Ieiunium Eccleſiaſticum tribus partibus cõſtat.

quadam calculatione ante meridiem istud faciat. Quòd si quid ex tribus hisce prætermiserit, vt abstinuisse dici queat, legitimè ieiunasse dici non poterit.

Cvm itaq; tria hæc eo ferè modo ad ieiunium sese habeant, quo fundamentum, parietes, & tectum ad domum, cæteraq; partes corpus aliquod absoluentes ad corpus totum; Methodi ratio postulare videtur, vt priùs de his disseramus, quàm de cæteris, quę extra ieiunij rationem existũt, vel minùs sanè propinquè ad illud affecta sunt. Ordiemur autem à ciborum delectu; non quòd hic solus ieiunium absoluat, sed quòd inter tria, quorum modò meminimus, primatum ferè obtineat, multoq; latiùs quàm duo reliqua pateat. Constat namque, multos à ieiunij lege absolui, qui tamen à ciborum delectu non absoluuntur: multos rursum intra anni curriculum dies à ieiunio vacare, qui tamen à ciborum delectu non vacant. Quin illi ipsi quoque, qui sectas fouent, multò infestiùs ciborum delectum insectantur, quàm ieiunium. Imò non desunt, qui publicè illud probent, tametsi neminem præcepto aliquo ad illud compellendum censeant.

Ciborum delectus latiùs patet, quàm reliquę ieiuniorum partes.

Nullum alimenti genus ex se immundum, naturaliue aut Euangelica lege inhibitum esse.

CAPVT SECVNDVM.

DE ciborum delectu, quatenus ad Christiani ieiunij rationem facit, verba facturus, contra manifestas quorundã calumnias, vt certũ & apud omnes sincerè Catholicos indubitatum hîc pono, nullum omnino alimenti genus tanquã natura sua immundũ, vllo omnino iure, aut lege proscriptum esse. Nam si qua esca ex se peccati virus inclusum haberet, nunq; ea vesci liceret: Siquidẽ quod sua natura tale est, semper est tale: At nulla est, qua interdum vti non liceat.

Nulla esca aliàs vsitata secũdùm se est immunda.

Adhaec si quis cibus animam ex se contaminare natus esset, Apostolus nunquam scripturus erat: *Omnis creatura* Dei *bona est; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum* Dei *& orationem.* Rursum: *Omnia munda mũdis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorũ mens et conscientia.* Item: *Omne quod in macellũ venit, manducate, nihil interrogan-*

1. Timo. 4.

Tit. 1.

1. Cor. 10.

tes

tes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Psal. 23.

NEC CHRISTVS Dñs Apostolis, & per hoc cæteris omnibus vnquam dicturus erat: *Audite & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Item: *In quamcunq; ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.* Rursum: *Quod* DEVS *purificauit, tu commune ne dixeris.* Neq; Dominus ad Noë: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animãtia terræ, & super omnes volucres cœli: cum vniuersis, quæ mouentur super terrã. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; & omne quod viuit & mouetur, erit vobis in cibum: quasi olera viuentia tradidi vobis omnia.* Et ante hunc locum: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* At dominium hoc in terræ animantes nullum, vel certè mancum admodum extitisset, si idoneas in cibum vertere non licuisset. Matth. 15. Luc. 16. Actor. 10. Gen. 9. Genes. 1.

DENIQVE si quid ex iis omnibus, quæ in communem hominum vsum veniunt, secundùm se immundum, aut animã hominis ex se contaminare aptum foret, nunquam Ecclesia contra commentitiæ huius immunditiæ præcones & assertores, tot anathematismos edidisset, quot per Apostolos eorũdemq; successores iam olim edidit. Apostolicæ Synodi decretum cõtra id genus hominum ante mille quingentos annos conscriptum & promulgatum ita sonat: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus non propter mentis exercitationem; sed propter abominationẽ, festis diebus vino & carnibus non vtitur, deponitur, tanquam qui cauterio notatam habeat conscientiam. Ecclesia eos oẽs tanquam hæreticos execratur, qui quascunque escas tanquã ex se immũdas execrantur. Cano. 52.

HVIC cognatum est illud Synodi Ancyritanæ: De his, qui in Clero sunt presbyteri, vel diaconi, & abstinẽt à carnibus, hoc placuit statui, vt nõ eas tanquam immundas contemnant, sed cõtingant. A quibus quidẽ qui se abstinere volunt, habeant potestatẽ: ita tamen, si quãdo cum oleribus coquuntur, eadem tãquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his cibum assumant, quamuis à carnibus se abstineant. Quòd si in tantum eas immũdas & abominabiles iudicauerint, vt nec olera, quæ cum carnibus coquuntur, æstiment comedenda, tanquam non consentientes huic regulæ cessare eos oportet à ministerio & ordine suo. Cano. 14.

ET

Cano. 2.

In assert. fid.

Cano. 14.

ET illud rursum Synodi Gangrensis: Si quis carnem manducantem ex fide cum religione crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, quòd eas manducat, anathema sit. Et illud item Synodi Toletanæ primæ: Si quis dixerit, aut crediderit; carnes auium seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantùm pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. Et illud tandem Synodi Bracharensis primæ: Si quis immundos putat cibos carnium, quas DEVS in vsum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus præguſtet, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

OMNES hi Canones, & alij præterea complures, quos breuitatis studio missos facio (longum enim foret, si quis omnia, quę ea de re cauta extant, referre hìc instituat) disertè illos condemnant, qui ab escis, quas DEVS, vt cum gratiarum actione percipiantur, creauit, abstinent, tanquam à rebus sua natura immundis, internumque hominem secundùm se polluere natis. Interim eos, qui pietatis causa, vel semper, vel statis temporibus à quibusdam abstinent, adeò non condemnant, vt apertè quoque commendent. Si itaque Euangeliis, si Apostolis, si communi Ecclesiæ iudicio refragari nolumus, nullum alimenti genus secundùm se immundum, aut homini vniuersè interdictum statuemus.

Quod intrinsecè malũ est, id rationis luce deprehendi potest.

SED nec aliud quoq; decernemus, si ius naturale, vel rationis lumen in consilium adsciscemus. Nam quod secundùm se illicitum, aut suapte natura pollutum est, id eiusmodi esse, rationis luce deprehendi potest. At nulla rationis vi cognosci potest, nec ab vllo vnquam sapiente traditum est, aliquam escam, quæ in hominum vsùm veniat, spiritalibus sordibus infectam esse, aut in necessarium humanæ vitæ vsum verti non posse. Fuerunt sanè, qui non solùm ab animantibus, sed à quibusdam quoque fruticibus abstinendum putabant; verùm hi principio nitebantur in vera Philosophia planè absurdo. Quis enim, nisi aut admodum rudis, aut à dæmone dementatus humanas animas de corpore ad corpus subinde transmigrare credat? at hoc illi persuasum habebant; qui ab omnibus viuentibus se continebant.

PRAE-

PRAETEREA apud omnes, qui ducem rationem sequuntur, quasi dignitas quædam receptum est, inferiora minusq; perfecta ad superiorum magisq; perfectorũ obsequium & vsum spectare: cùm ergo herbæ cæteráque sensu carentia brutis animantibus sint imperfectiora, & illa hominibus: efficitur, vt humi nascentia rectè vertuntur in vsum & alimentum animantium: ita animantia rectè conuerti in vsum & alimentum hominum. Deniq; docere carnes, vinum, oua, aliáque, quibus humana vita sustentatur, immunda, aut secundùm se absolutè lege aliqua proscripta esse, aliud nihil est, quàm hominem in inexplicabiles difficultates conicere. Nam si comedit, noxæ; si non comedit, vitæ periculo sese exponit. In causa itaque maneat, nullum ciborum genus secundùm se immundum, aut per vllam omnino legem vniuersè proscriptum esse.

Minùs perfecta ad perfectiorũ obsequium & vsum ordinantur.

AT verò quando ex Euangelio, Apostolo, Ecclesię traditione, & humana tãdem ratione docetur, nihil infrà hominem positum ex se immundum, aut peccati labe infectum esse, nemo hìc inferat, quidquis, lege secluſa, citra noxam in humanam escam verti posse. Nam etsi *omnis* DEI *creatura bona est*, non omnis tamen, quæ homini in cibum cedat, idonea est. Sunt enim, quæ solo aspectu naturæ bene institutæ horrorem ingerunt: Alia, quæ tantùm gustata mortem adferunt: Quædam, quæ absque grauissima valetudinis offensione manducari non possunt. Hæc autem iisq; similia non magis comedere licet, quàm seipsum occidere, aut grauiter lædere. Sed & illa ipsa quoque, quæ in communem humanæ vitæ vsum veniunt, non quouis modo licitè sumuntur. Quis enim illum liberum à vitio pronunciet, qui citra vllam necessitatem crudas, sanguinéque adhuc stillantes cuiuscunque animantis carnes luporum more ingerat?

1. Tim. 4. Etsi omnis DEI creatura bona est, non omnis tamen, quæ in cibum vertatur, idonea est.

INTER ea autem, quæ citra execrationem, grauissimiq; sceleris notam vorare non licet, meritò censentur carnes humanæ. Nam etsi illæ secundùm se immundæ non sunt, attamen hominis non prorsus deprauati natura earum vsum planè exhorret; & ea, quæ menti nostræ impressa est lex, eundem vt fœdum & homine omnino indignum absolutè condemnat. Quamobrem Læstrigones, Massagetæ, Cyclopes, & in vniuersum omnes illi, inter quos immane illud ἀνθρωποφαγίας flagitium viget, aut viguit vnquam,

Nefas humanis carnibus vesci.

pesſimè apud omnes audiunt, audiueruntq; ſemper. Sed & inter præcipua quoque Lucij Catilinæ facinora cenſentur, quòd humani corporis cruorem vino permixtum circumferre, coniurationisq; conſortibus propinare non horruerit. Addo his fœdum illud execrandumq; ἀνθρωποφαγίας vitium cum pietate & humanitate, quam humanis cadaueribus debemus, omnino pugnare, iuraque ſepulturæ fœdiſsimè violare. Paucis, hominem deuorare hominem, portentum eſt longè portentoſiſsimum.

Portẽtum portentoſiſsimum hominem deuorare hominem.

AT quæſtionem tamen nonnullam habet, túmne eiuſmodi carnibus veſci liceat, cùm extrema inedia cruciat? Probabile ſit, ne tunc quidem iſtuc fas eſſe. Nam ſi id liceret, cùm aliud nihil ad manum eſſet, quo pereunti vitæ ſubueniretur, neceſſarium quoq; eſſet; ſiquidem neminí ſeipſum perimere, ius eſt: Is autem citra vllam dubitationem ſe perimit, qui extrema inedia laborans, cibo oblato, quo licitè vti poteſt, non vtitur. Certum eſt enim, ſi Carthuſiano nihil omnino adſit, quo vitam tueatur, prẽter carnes, voto non obſtante, carnibus veſci debere: Secùs ſi tale quid corporis ęgritudo efflagitaret. Nam licet alimento, ſi haberi queat, ſemper vti teneamur, medicamento tamen nũ ſemper. Atqui nemo, opinor, eum peccati condemnaret, qui extrema inedia laborans ab humanis carnibus abſtineret.

Carthuſianus aliud nihil habẽs, quo veſcatur, q̃ carnes, carnibus veſci obligatur.

SVNT qui quandam hìc diſtinctionem adhibent; aiunt enim: quamuis alimẽtorum cauſa, nullum omnino occidere liceat, extrema tamen vrgente neceſsitate, eorum carnibus, qui in prælio occubuerunt, veſci nefas non eſſe. Sed neque iſtud quoque ſatis compertum eſt, ſiquidem omnes rationes, argumenta, & auctoritates, quæ ab humanarum carnium eſu abſterrent, in hoc quoq; caſu locum habent. Certum eſt tamen, multò leuiùs peccare, qui extrema inedia adacti, eorum cadauera adoriuntur, qui aduerſo Marte ceciderunt, quàm qui ſontes vel alios quoſcunque, ne ipſi fame pereant, occidunt.

Nõ ſatis cõpertũ eſt, eorúmne carnibus veſci liceat fame ſæuiẽte, qui in prælio occubuerunt.

ET quemadmodum carnes humanas vorare, aut beſtiis obiectare non licet; (niſi forſan vindicta publica in aliorum terrorem aliud interdum poſtulet) ita nullum quoque mortalium in ſacrificium deuouere, aut malè deuotũ immolare fas eſt, aut fuit vnquam. Neq; cauſa huius obſcura eſt; ſiquidẽ inſontem ad aram mactare, immane eſt ſacrilegium, ſontem aũt, vel propter admiſſa ſcelera

Non licet humanis carnibus ſacrificare.

scelera neci iam destinatum offerre, aliud nihil est, quàm immũda victima DEI templum profanare. Idem namq; hîc fit, ac si quis canem mortuum, aut pecus morbo extinctum offerat. Erat sanè Patriarcha Abraham Isaacum, quem vnicè diligebat, immolare paratus, sed hoc non ex proprio animi iudicio, aut priuato consilio, verùm ex illius imperio & iussu, penes quem absolutum vitæ mortisq; omnium dominium existebat. Genes. 22.

SIC Iepte quoq; Israëlitici populi dux propriã filiam occidit & obtulit, verùm is neq; vouendo, neq; votum explendo satis cõsultè egit. Nam hoc ipso, quòd eum se immolaturum vouebat, qui primus ex hoste debellato domum redeunti obuiam veniisset, hominem offerre voluisse certò putãdus est. Haud enim aliud peregrè redeuntibus obuiã prodire solet, quàm vel homo, aut domesticus canis. Atqui canem immolare non licebat, & vt maximè licuisset, attamen pro tanta victoria, victima illa parui omnino momenti fuisset. Hominem itaq;, non canem, aut aliud quodcunq; pecus sacrificare voluisse putandus est. Iudic. 11. Iepte votum nõ satis consultum.

AT qualecunq; tandem factum illud secundùm se extiterit: (nam ad nostrum institutum nõ ita multùm id facit) certum est, Iepte ante mortẽ cum DEO in gratiam rediisse: siquidẽ Apostolus inter alios veteris Testamẽti Sanctos illum etiam recenset. Certũ est nihilosciùs, humanas victimas, quæ ante orbem redemptum passim vsitatæ erant, DEO maiorem in modum semper displicuisse. Vnde inter cæteras Gentium abominationes vnã hanc vt maximè capitalem nominatim perstringit; ait enim: *Omnes abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filiòs & filias, & comburentes eos igni.* Sed & primogenita, quæ iure ipsi debebantur, non mactari, sed redimi voluit. Certum est tandem, cuncta, quę DEVS creauit, ita secundùm se bona & munda esse, vt tamen, omni etiam externa lege secluſa, nõ omnia promiscuè citra peccatum comedere liceat; hoc autem est, quod nos paulò antè asserebamus, & hîc probatum volebamus. Heb. 11. Victimæ humanæ nefariæ, Deoque apprimè exosæ. Deut. 12.

Ciborum delectum DEI verbo non esse contrarium, nec herinatum: sed antiquissimum, diuinisq; Scripturis per omnia consentaneum.

CAPVT TERTIVM.

Omni ætate & tempore ab aliquibus semp abstentum est.

VERVMENIMVERO licet nullum alimenti genus iure naturali sit inhibitum, aut natura sua immundum; attamen iam inde à nascentis mundi exordio, vel patriæ consuetudine, vel DEI maiorúmue instituto semper ab aliquibus abstentum est. Et quamuis ex sacris literis id vsq; adeò sit perspicuum, vt ne ipsi quidem Antagonistæ inficiari audeant, nihilominus veritas hęc non parum illustrior euadet, si, quid quauis ætate ea in re obseruatum fuerit, paucis hoc loco ob oculos ponam.

Prima legum omnium de ciborum delectu cauit. Genes. 2.

IGITVR cùm mundi Opifex DEVS omnia, quæ amplissimo paradisi ambitu continebantur, in primi parentis nostri vsum & alimentum benignè & liberaliter cõtulisset, cunctáque, quæ mouentur in terris, imperio illius subiecisset: ne absque vlla prorsus disciplinæ lege viueret; tùm ne idonea materia, qua suam erga munificentissimum parentem obedientiam & obseruantiam declararet, ipsi deesset, auctiusq; æternæ vitæ meritũ ea ratione sibi pararet, nulla alia, quàm abstinentiæ lege illum probare, & ad pietatem exercere voluit. Verba legis sic habent: *Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comede: Quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* En ciborum delectum sub grauissima pœna primo generis nostri parenti ab omni peccato iam tum adhuc immuni indictum.

Lex de ciborum delectu in Paradiso lata, & violata seuerissimè vindicata.

QVOD autem DEVS Opt. Max. non tantùm periculi faciundi causa, à ligno scientiæ boni & mali Adamum abstinere iusserit, sed simul quoque exercitij, idq; seuerè omnino & seriò, hoc magno nostro incommodo & malo probauit rei euentus. Constat enim, protoplastos, quòd eam obseruantiæ legem temerè violassent, ex amœnissimo Paradisi loco, primæuæque iustitiæ dono miserabiliter excidisse, grauique seipsos scelere obstrinxisse; & quod omnium grauissimum est, vniuersam posteritatem suam iustitia & sanctitate, quam vnà cum ipsa natura singuli accepturi erant, orbatam, nec non originis labe fœdè contaminatam in mortem, aliasq; innumeras calamitates, quæ hanc vel antecedunt, vel eandem consequuntur, præcipitem egisse.

AN verò cætera ne omnia, citra vllam prorsus exceptionem, primo homini, eiusdemq; posteris in cibum fuerint concessa, id

ea de

ea de causa à quibusdam in quæstionem vocatur, quia primis illis Geneseos capitibus, vbi ex instituto homini victus ratio præfinitur, nulla carnium, aut piscium, aut aliorum eiusmodi fit mentio, sed eorum tantùm, quæ tellus & arbores proximè ex se fundunt. Dixit enim DEVS: *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* & infrà: *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Hæc DEVS ante peccatum, in quibus, vt apparet, altum de carnibus, ouis, piscibus, lacte, caseo, aliisque similibus est silentium.

Nõ satis certum omniáne simpliciter primo homini in cibum & alimentũ fuerint cõcessa, præter fructum arboris scientię boni & mali. Genes. 2.

SED & statim quoque post admissum peccatum norma illa viuendi, quæ in paradiso semel tradita & promulgata fuerat, denuo statuitur & confirmatur: Quandoquidem sub tertij capitis finem inter cætera ita legimus: *Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.* Ex his itaq; aliisq; similibus quidam nullum ante diluuium, carnium, aut piscium, aut aliorum eiusmodi vsum extitisse inferunt. Alij ex iisdem illis Scripturæ locis oppositum colligunt. Nonnulli inter vsum & publicum vel communem vsum, secernunt; aiunt enim, aliquem earum rerum vsum etiam ante cataclysmum obtinuisse; at non passim, nec apud omnes, sed apud quosdam tantùm, idque lege permittente aut dissimulante veriùs quàm suadente. & horum sententia videtur sanior.

Genes. 3.

Tres opiniones de vsu carnium, ante diluuium.

PRIMO namq; satis compertum est, earum rerum vsum per id tempus iure naturali non fuisse illicitum. Nam quod eo iure semel non licet, id nunquam licet; quippe quòd ea tantùm vetare soleat, quæ intrinsecè mala sunt. Atqui vesci carnibus, aut bibere vinum, ex se non est malum, sed si malum est, ideo malum est, quia prohibitum est, aut quia rei cuiuspiam natura mutata est: Non enim eadem conueniunt sano & ægro. Quòd si secundùm se malum esset, CHRISTVS eiusdemque discipuli à vino & carnibus perpetuò abstinuissent; at non semper abstinuerunt.

Verisimile, extitisse vsum carnium ante diluuium.

Vesci carnibus & bibere vinum secundùm se non est malum.

ÆQVE compertum est, nullum primis illis capitibus extare præceptum, quo primis parentibus eorundemúe posteris carnium, aut piscium, aut vini, aut aliarum consimilium rerum vsus apertè prohibeatur. Nam etsi olera & arborũ fœtus ipsis in escam

Primis Geneseos capitibꝰ nulla, vna duntaxat excepta, esca prohibetur.

proponantur; carnes tamẽ & quæ illis cognata ſunt, expreſsè non interdicuntur. Iam inter res ſuapte natura indifferentes, ſi quæ expreſsè non prohibentur, eæ ſimpliciter conceſſæ iudicantur. Imò verò eo ipſo, quòd primæuus ille ſtatus naturalis legis nomine deſignatur, iudicium haudquaquam obſcurum ſit, vel nulla, vel certè pauciſsima externa præcepta per id tempus extitiſſe. Quare illi ipſi quoque, qui carnium eſum ante diluuium frequentem extitiſſe negãt, ante Moyſi legem promulgatam nullius animantis carnes abſolutè proſcriptas fuiſſe diſertè affirmant.

Res ſua natura indifferẽtes, quæ expreſsè non prohibentur, conceſſæ creduntur.

Certvm eſt tandem, carnes & quæ cum carne cognationem habent, vt ſunt oua, lac, butyrum, caſeus, aliáque id genus complura, ſi non apud omnes, certè apud aliquos aliquem ſaltem ante diluuium vſum habuiſſe. Extat enim Abelis commendatio propterea, quòd de gregis ſui primogenitis, eorundémq; adipibus liberaliter obtuliſſet. Atqui ſi nullus illa ætate lactis, aut caſei, aut carnium vſus erat, in idem planè redibat, pinguéne eſſet, quod offerebat, an tenue vel gracile. Nam quòd propter ſolam lanam, aut pelles ſæculi illius homines tam numeroſos greges pauerint, id neutiquam fit veriſimile.

Carnes, & quæ cum his cognationem habent, aliquẽ vſum habuêre, ante diluuium.
Geneſ. 4.

Sed neque myſterio quoque vacat, quòd Noë ex animantibus immundis bina tantùm; ex mundis autem ſeptena ſecum in arcam aſſumere iubetur. Nam etſi iuſſum hoc ad ſacrificij rationem referri queat; alimenti tamen ratio hinc excludi non debet: Quandoquidem, ſi nullus illorum animantium domeſticus vſus extitiſſet, nullus quoque eiſdem in publicis ſacrificiis locus relictus eſſet; Sacrificium namque Deo gratum, non de quolibet, ſed de rebus vtilibus offerri debet. Quis enim ferat, aut ſacrificium appellet, ſi pullo aut vitulo, peſte vel alio morbo extincto Deo quiſpiam litet? Sed ad rationem ex ſeptenario illo mundorum numero petitam. Aut turtures, columbæ, gallinę earundémque pulli, & alia eius generis volatilia ante cataclyſmum cœleſti numini offerebantur, aut ſecùs. Si offerebantur, erant ergo vtilia. At nullum hæc vſum habere videntur, ſi vel ipſa vel illorum oua non comedantur. Si autem nihil ex iis omnibus Deo offerebatur, quorſum ſeptena ex illis ſunt aſſumpta, cùm ad ſobolis propagationem bina ſat eſſe potuerint?

Sacrificium Deo placiturum ex rebus vtilibus offerri debet.

Simi-

SIMILIS ratio ex mundorum & immundorum distinctione instituí queat. Nam quæ dicebantur immunda, aut ratione alimenti, aut ratione sacrificij, aut ratione vtriusque talia dicebantur. Si ratione alimenti, ergo cęteris omnibus, quę immunda non censebantur, licebat vesci. Rursum si qua habebantur munda ratione sacrificij, ergo illa erant vtilia; at pleraque mundorum nullum habent vsum extra mensam: ergo etiam ante diluuium aliquis animalium vsus erat in epulis. Id quod ex illorum sententia, qui carnium vsum ante Cataclysmum extitisse inficiantur, hactenus quoque confirmari queat, quatenus lactis, butyri, casei, aliorumque eiusmodi vsum ante id tempus receptum fuisse ingenuè profitentur: Siquidem primo, secundo, & tertio Geneseos capite, vnde illi argumentum contra carnes petunt, æquè excluduntur, vel vt rectiùs dicam, æquè reticentur oua, lac, butyrum, & caseus, ac carnes. Cur id ergo de vno negant, quod de aliis omnibus affirmant?

Distinctio inter munda & immũda arguit aliquã carnium vsum ante cataclysmũ extitisse.

Nõ satis sibi constãt, qui carniũ vsum ante diluuiũ extitisse negant.

DENIQVE ex Euangelio, vt de aliis Scripturis nihil dicam, magna fit coniectura, si non apud omnes promiscuè, certè apud multos, magnum satis ante cataclysmũ luxum extitisse; scriptum est enim: *Sicut in diebus Noë ante diluuium erant comedentes et bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis.* Atqui aqua, poma, olera, aliáque humi nascentia luxui fouendo haud multùm idonea cẽsentur, etiamsi copiosiùs ingeras. Quamuis ergo sanctiores ante diluuium à carnibus aliisq; similibus fortè abstinuerint, deprauatiores tamẽ, quorum nimirũ animus toto impetu ad carnis illecebras ferebatur, non magis à carnibus abstinuisse putandi sunt, quàm à cęteris, quę voluptatis sensum ciere nata sunt. Sed istud interim nihil contra id, quod nos hìc instituimus: nobis enim sat est, aliquos saltem per id tempus compertos esse, qui non omnibus indiscriminatim vescerentur semper. Nam si omnes omnibus promiscuè vescebãtur, quorsum inter munda & immunda secernebatur?

Matth 15. Luc. 17.

Insignis luxus, qui diluuium antecessit, carniũ & vini vsum ea ætate extitisse haud obscurè ostendit.

AT verò post diluuium carnium esus humanæ naturæ imbecillitati ita est indultus, vt tamen non omnis eorum vsus citra delectum vllum fuerit concessus. Concessionis verba habent: *Omne, quod mouetur & viuit super terram, erit vobis in cibum, quasi olera virentia*

Genes. 9.

virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine, hoc est, in sanguine suo præfocatam, vel, vt quidam non prorsus imperitè exponunt, crudam sanguinéque & sanie adhuc stillantem, *non comedetis*.

Quid sit comedere carnem cũ sanguine.

HAEC autem de sanguine & suffocato prohibitio, non tantùm secunda illa mundi ætate robur obtinuit; sed inde exorsa vsque ad legem Mosaicam; & hinc rursum perpetua quadam serie vsque ad Euangelium, & eo etiam longiùs sese porrexit. Nam quò inter Christianos ex Iudeis & Gentibus ad CHRISTVM conuersos beneuolentia & firma pax coalesceret, cæteris legalibus abrogatis, Apostoli sanctionem de sanguine & suffocato nouo rursum decreto cõfirmarunt: *Visum*, inquiunt, *est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus vos custodientes bene agetis.* Hæc de ciborum delectu in prima sua Synodo Apostoli.

Lex de sanguine & suffocato, omnibus penè mundi ætatibus obtinuit.
Act. 15.

ET quamuis eorum mens non esset, decretum aliquod promulgare, quod perpetuis temporibus obtineret; (Quare ipsis etiamnum superstitibus, lex illa de sanguine & suffocato non vbique obseruabatur; sed iis duntaxat locis, in quibus legis ratio adhuc perstabat) attamen Græci, Armeni, eorundemque vicini, siue maiorum suorum studio, siue Latinorum hominum odio, siue alio quocunque consilio moti, eam de sanguine & suffocato sanctionem nunquam hactenus seruare desierunt. Quin Latini quoque, vt apud Rabanum, Burchardum, Bedam, Iuonem, & alios, qui Canonum Rapsodias ediderunt, videre est, longo post Apostolorum decessum tempore à sanguine & suffocato se continuerunt.

Græci etiamnũ à sanguine & suffocato abstinẽt.

AT verò lex Mosaica, hac de abstinendo à sanguine & suffocato lege non contenta, etiam suum, leporum, & multorum præterea aliorum animantium carnes, veluti immundas proscribebat. *De his*, inquit Moyses, aut per Moysen Dominus, *quæ ruminant, & vngulam non findunt, hæc comedere non debetis, Camelum, Leporem, Chærogryllum, qui ruminant, & non diuidunt vngulam. Sus quoque, quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tangetis.* & paucis interiectis: *Immundas aues non comedetis, aquilam videlicet, gryphum, haliætum, ixon, vulturem, miluum, & omne*

Plurima in lege Mosaica tanquã immunda prohibita.
Leuit. 11.

omne coruini generis, ſtruthionem, noctuam, larum, accipitrem, herodium, cygnum, ibin, mergulum &c. En quanta vis animantium, quibus Iudæis veſci non licebat. Similes prohibitiones comperias Exod. 12. 23. 21.22.29. Leuit. 6.17.19.22.23. Num. 6.18. Deut. 12.14. & alibi non infrequenter, quæcunq; tandem tantæ huius prohibitionis ratio extiterit. De hoc enim variæ extant doctorum hominum ſententiæ, variæ opiniones, variæ interpretationes.

Comperti apud Iudæos, qui immaniſsimā mortē mallent ſubire, quàm quicq̄ contra ciborum delectum committere.

VERVM fuerit illa myſtica vel phyſica, vel ex vtraq; mixta, vel qualiſcunque alia, certum eſt, pios homines tanta religione ab iis omnibus abſtinuiſſe, quę lex repudiabat, vt quidam immania ſupplicia, adeóq; mortem ipſam maluerint ſubire, quàm contra legis præſcriptum quicquā omnino ex iis, quæ lex immunda cenſebat, deguſtare. *Eleazarus*, tradit ſcriptura, *vnus de primoribus, vir ætate proiectus, & vultu decorus, aperto ore hians, compellebatur carnem porcinā manducare: at ille generoſiſsimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectēs, voluntariè præibat ad ſupplicium.* & infrà:

Illuſtre Eleazari martyrium.

2. Mach. 7.

CONTIGIT *autem, ſeptem fratres vnà cum matre ſua apprehenſos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus autē ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori magis, quàm patrias* DEI *leges præuaricari.* Subiungitur deinde, quî ad vnum omnes vnà cū matre atrociſsimis ſupplicijs è medio ſublati fuerint, nullā aliam mortis cauſam habentes, quàm quòd cōtra legalem ciborū delectum nollent peccare.

Heroica ſanctorum Machabæorū ſententia cru deleq̄, eorūdem ſupplicium.

HVC quoque pertinet, quod Propheta Hieremias prophetiæ ſuę c. 35. de Rechabitis exponit. *Poſui*, ait, *coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum: qui reſpondérunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſq; in ſempiternum; & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas nō plantabitis, nec habebitis; ſed habitabitis in tabernaculis, cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo vòci Ionadab filij Rechab patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis ita, vt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris, nos & mulieres noſtræ, filij & filiæ noſtræ, & non ædificaremus domus &c.* En graue iugum non à publico & legitimo magiſtratu; ſed ab homine priuato poſteritati Rechab impoſitum. En promptam expeditamque optimorum filiorum in re, ſecundùm ſe planè adiaphora, obedientiam.

Hieremi. 35.

Admirabilis Rechabitarum obedientia & continentia.

At nunquid obedientia isthæc tanquam res vana, aut superstitiosa Deo displicuit? minimè gentiũ; sequitur enim: *Firmauerunt filij Ionadab filij Rechab præceptũ patris sui, quod præcepit eis, populus autem iste non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum* Deus *Israël. Ecce ego adducam super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalem vniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersùs illos, eò quòd locutus sum ad illos, & non audiuerunt; vocaui illos, & non responderunt mihi. Domui autẽ Rechabitarum dixit Hieremias: Pro eo quòd obediuistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodiuistis omnia mandata eius, & feceritis vniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum* Deus *Israël. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* En amplissimam præstitæ obedientiæ mercedem.

Eodem cap. 35.

Rechabitarum obedientia egregia mercede pensata.

Eiusdem notæ est illud Leuitici: *Vinum & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui quando intrabitis tabernaculum testimonij, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.* Et præcepti causam exponens, subiungit: *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manum Moysi.* & illud Numerorum: *Vir, siue mulier cùm fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.* & illud rursum Iudicum: *Sterilis es & absque liberis, sed concipies & paries filium: Cane ergo, ne bibas vinum aut siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula. Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua.* & infrà: *Ab omnibus, quæ ego locutus sum vxori tuæ, abstineat se, & quicquid ex vinea nascitur, non comedat. Vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo, & quod ei præcepi, impleat atq; custodiat.* & illud tandem Ezechielis: *Caput suum non radent, neq; comam nutrient, sed tondentes attondent capita sua. Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius.*

Cap. 10. Nazaræis & tabernaculo deseruientibus vini potu interdictũ erat.

Cap 6. Hæc obseruẽt, q altari hoc tẽpore deseruiũt, & animarum curam gerunt.

Cap. 13.

Cap. 44.

Sed & in præcipua quoque Danielis & sociorum eiusdem laude ponitur, quòd solis leguminibus & aqua maluerint victitare, quàm regio cibo animas suas contaminare. *Dentur, aiunt, nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris, faciet cum seruis tuis. Qui audito sermone eiusmodi, tentauit eos diebus decem: post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus*

Dani. 1.

Danielis & sociorum eiusdẽ abstinentia.

omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Porrò Malassar tollebat cibaria, & vinum potus eorum, & dabat eis legumina.

HABVIT autem DEVS hoc pietatis & religionis studium vsqueadeò gratum, vt tantam illis scientiam & sapientiam infunderet, quanta humana industria & studio parari nullo modo potest. subditur enim: *Pueris autem his dedit DEVS scientiam & disciplinam in omni libro & Sapientia. Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum.* & infrà: *Cumque eis locutus fuisset Rex, non sunt inuenti tales de vniuersis vt Daniel, Ananias, Misaël, & Azarias, & steterunt in conspectu regis, & omne verbum Sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos Ariolos & Magos, qui erant in vniuerso regno eius.*

Danieli eiusdē que sociis ob seruatum legalē ciborum delectum incomparabilis scientia & sapiētia collata.

FRVCTVM huic haud dissimilem sua religio & abstinentia peperit seniori Tobiæ quoque: *Etenim cùm per captiuitatem deuenisset cum vxore & filio in ciuitatem Niniuem cum omni tribu sua; & cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi DEVS gratiam in conspectu Salmanasar Regis, & dedit illi potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluisset.* hæc Scriptura de Tobia, eiusdemque pietate & religione. Denique licet CHRISTVS Dominus supra legem esset; attamen quòd legem implere veniisset, non etiam soluere, nusquam legitur aliquid manducasse, aut bibisse, quod cum legis decreto pugnaret.

Cap. 1.

Tobias obseruatum ciborū delectum & pietatis cultum in libertatē restitutus. Matth. 5.

Christus Dominus legis decretum circa ciborum delectum religiosè semper obseruauit.

MANDAT sanè discipulis, vt edant & bibant, quæ apponuntur, sed id citra vllum legis præiudicium: Siquidem Iudæi, quibus solis per id tempus prædicabant, (Nam ante missum Spiritum sanctum, neque ad Samaritanos, neque ad vllos omnino paganos diuertere fas illis erat) legalem ciborum delectum ad superstitionem vsque seruabant. Quare cùm Apostolus Petrus, qui vnus ex illis erat, per extasin admoneretur, vt mactaret, eáque, quæ secundùm legem vel tangere nefas erat, manducaret, non absque bonæ conscientiæ, quod ad eam rem attinet, fiducia respondit: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Mitto hìc, præceptum illud CHRISTI veriùs ad noui quàm ad veteris Testamenti Doctores & Pastores pertinuisse.

Iudæi cæremoniarum suarum apprimè obseruantes. Act. 10.

Ex scripturis itaque manifestum est, in omni ætate & lege, vel propter iram & conscientiā, vel certè ad euitandum scandalum &

infirmorum offensionem, semper ab aliquibus abstentum fuisse.

Iusta abstinendi ab aliquibus causa scandali euitatio.

Quanquam solius scandali euitatio idoneam per se abstinentiæ causam adferre queat. Sanè Apostol⁹ Paulus satius iudicauit, perpetuò à carnibus abstinere, quàm esu carniũ vel vnum offendere.

1. Cor. 8. *Esca*, scribit, *nos non commendat* DEO: *Neque si manducabimus, abundabimus, neq; si non manducabimus, deficiemus. Videte autem, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eũ, qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta; & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem* CHRISTVS *mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in* CHRISTVM *peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Hæc Apostolus in eos, qui rebus sua natura mediis cum nonnulla infirmorum offensione vtebantur: Siquidem in idolorum fano cibum sumere; vel ea, quę idolis consecrata fuerant, comedere, (modò id in idolorum honorem, aut cõtra conscientiam, aut maiorum sanctionem non fiat) res est secundùm se adiaphora. At quia malam præ se fert speciem, infirmosq; offendere nata est, ideo in infirmorum præsentia ab ea abstinẽdum est. Ast quid illum dicturum putamus, si quem contra expressam Ecclesiæ inhibitionem; imò verò in manifestum Ecclesiæ contemptum, eiusmodi quippiam facere conspexisset?

Rom. 14. HIS cognata sunt, quę scribit idem Apostolus decimoquarto capite ad Romanos: *Quæ*, inquit, *pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, in inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus* DEI. *Omnia quidem sunt munda; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Sed & veneran-

2. Mach. 6. dum senem illum Eleazarum nihil æquè ad mortem adegit, ac ne falsa quadam simulatione iuniores in errorem præcipites ageret; ait enim: *Nõ dignum est nostra ætate, fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonagintа annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur: & propter hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* Solùm itaque offensionis periculum, omni præcepto & lege sublata, sufficientem abstinentiæ causam adfert. SED iam ad nouæ legis, Christianæque politiæ abstinentiam se vertat oratio:

nam

nam quæ hactenus allata sunt, ea maiorem partem ad eos spectãt, qui Euangelicæ legis promulgationem antecesserunt, adeóque apud Euangelicæ libertatis præcones ad ciborum delectũ statuendum minùs valida sunt.

Iam inde ab Apostolorum ætate, vsq; ad hoc præsens æuum, aliquem semper ciborum delectum in CHRISTI *Ecclesia extitisse.*

CAPVT QVARTVM.

AB ipso mundi exordio vsq; ad Euangelium promulgatum, vel apud omnes, vel apud sanctiores aliquem perpetuò ciborum delectum obtinuisse, ostensum est hactenus: proximum est, vt nonnulla de ea abstinentia testimonia in medium adferamus, quæ post publicatam Euangelij legem vel intra, vel extra ieiunium obtinuit, & etiamnum, vbi Ecclesiastica disciplina viget, obtinet.

ET quidem de eo delectu, quem Apostolos iis omnibus indixisse suprà commemorauimus, qui ex Gentibus ad CHRISTI fidem conuertebantur, non est quòd pluribus agamus. Solùm monuerim, primos Christianos nòn solùm abstinuisse à sanguine & suffocato; sed multos quoque à carnibus, aliisque lautioribus escis. Quomodo, inquiebant, Galliæ martyres, humanis carnibus vescuntur, (id enim flagitium illis à Paganis imponebatur,) qui ne carnes quidem animalium degustare consueuerunt?

QVIN Philo quoque Iudæus Christianos, qui sub Marci Euangelistæ disciplina Alexandriæ viuebant, non solùm à sanguine, suffocato, & carnibus sese cõtinuisse asserit; verùm à cæteris quoque omnibus, quæ è carne originem trahunt, vel cum carne cognationem habent. Potus, ait, erat illis sola aqua, obsonium autem panis cum sale & hyssopo. Abstinebant hi autem & cæteri omnes ab illis, non tanquam ab immundis, sed tanquam à certis vitiorum fomentis: Abstineo à carnibus, inquiebat Bernhardus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Hęreticus aliter, nępe horret lac, & quicquid ex eo conficitur; postremò omne, quod ex coitu procreatur. Rectè & Christianè, si nõ idcirco, quia ex coitu, sed ne ad coitum prouocent.

Actor. 15.

Lib. 5. c. 1. hist. Eccles. Permulti in primitiua Ecclesia nõ modò à sanguine & suffocato, verùmetiam à carnibus abstinebant.

De vit. contẽpl.

Ser. 66. sup. cãt. Quo sensu abstinendum à carnibus.

Carnes carnis vitia nutriunt, & ad coitum prouocant.

Epit.diu.decret. Alio sensu & mente hæresi imbuti, alio catholici à carnibus abstinent. Catech. 4.

EODEM tendit illud Theodoreti: A vino & ab esu carnium, & ab aliis eiusmodi abstinentiam non similiter, vt hæretici, complectitur Ecclesia; illi enim ab his tanq; ab immundis abstinẽdum esse censent, Ecclesia autẽ nihil horum decreuit. Et illud Cyrilli Hierosolymitani: Ieiunamus à vino & carnibus abstinentes, non quòd oderimus hæc tanq; abominationes aliquas, sed quòd mercedem expectamus; vt cùm ea, quæ sub sensum cadũt, neglexerimus, fruamur spiritali mẽsa, quę sola potest mente cõprehendi, & vt nunc seminantes in lachrymis, in futuro sæculo cũ exultatione metamus. Et illud Augustini: Christiani non hæretici edomandi corporis causa, propter animã ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandam, non quòd illa immunda esse credant, non solùm à carnibus, verumetiam à quibusdam terræ fructibus abstinent.

Abstinẽtia à carnibus præmia meretur. Lib. 3. c. 5. cont. Faust.

ET illud Isidori: Postquam CHRISTVS, qui est principium & finis, apparuit, hoc quod in principio suspẽderat, etiam in temporum fine retraxit, loquens per Apostolum suum: *Bonum est, nõ manducare carnem, & non bibere vinum.* Et iterum: *Qui infirmus est, olera manducet.* Non igitur quia carnes malæ sunt, ideo prohibentur; sed quia illarum epulæ carnis luxuriam gignunt; Fomes enim & nutrimentum omnium vitiorum sunt.

Lib. 1. c 44. offi.

Rom. 14.

Omniũ vitiorũ fomes & nutrimẽtum carnes.

ET illud Episcopi Fructuosi: Carnem cuiq; monacho nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia, non q̃ creaturam DEI iudicemus indignam, sed quòd carnis abstinẽtia vtilis & apta monachis æstimetur: seruato tamen moderamine pietatis erga ægros. Et illud tandem Bernhardi: Abstinent hi, vt prædixit ille, à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione: hinc quoq; hęreticos sese probantes, non sanè quia abstinent, sed quia hæreticè abstinent. Nam & ego quoq; interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. HAEC sat esse poterant ad id statuendum & persuadendum, quod in capitis huius titulo proponitur. At quia paulò antè indicatum est, ieiunium ecclesiasticum præter cætera, ciborum quoq; delectum deposcere, ex veterum monumentis quędam hic subdere placet, quę clarè ostendant, maiores nostros iam inde ab Apostolorum ætate nunquam, citra eiusmodi delectum, ieiunare consueuisse. Ordiemur autem à ieiunio solenniori, ad cætera minùs solennia progressum mox facturi.

De consd. 5. c. Carnem. Monachis carnium vsus interdictus. Ser. 66. in cant. Abstinentia satisfactio est pro peccatis.

Igitur

IGITVR Clemens Romanus illustris CHRISTI martyr, Petriq; in Pōtificatu successor de postrema quadragesimalis ieiunij hebdomade ita scribit: A vino & carnibus abstinete vos iis diebus: sunt enim dies luctuosi, & non festi; parasceuen autem & Sabbatū integrum ieiunent, qui quidē possunt nihil gustantes vsq; ad galli cantum. Quòd si quis non potest duorum dierum ieiunium continuare, seruet saltem Sabbatum; ait enim quodam in loco de se Dominus: *Quando discedet ab iis sponsus, ieiunabunt in iis diebus.* Iis igitur diebus sublatus est à falsis Iudæis, & crucifixus, & cum impiis reputatus. Huc facit illud Thelesphori quoque:

Lib. 5 Apostol. Const.

In Quadragesima abstinēdum à vino & carnibus.

Matth. 9. Mar. 2.

STATVIMVS, vt septem hebdomadas plenas ante sanctū Pascha oēs Clerici à carne ieiunēt. Quia sicut discreta debet esse vita clericorū à laicorū cōuersatione; ita & in ieiunio debet esse discretio. Has ergo septē hebdomadas oēs clerici à carne & deliciis ieiunēt, & hymnis, & vigiliis, & orationibus die noctuq; inhęrere studeāt.

D. 4. Statuimus. ep. ad omnes Episc.

Non modò à carnibus in Quadragesimali ieiunio abstinendum, verumetiam à cæteris delicatioribꝰ escis.

ET illud Gregorij Magni: Par est, vt nos, qui his diebus à carnibus abstinemus, ab omnibus quoq;, quæ sēmētinam trahunt originem, ieiunemus à lacte videlicet & caseo. Piscium autē vsus ita Christiano relinquitur, vt hoc illi infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Deniq; qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum cōuiuia præparent. Vinum quoq; ita permittitur, vt ebrietatem omnino fugianius.

D. 4. Deniq; epist. ad August. Aug. Episc.

In Quadrag: ab omnibus abstinendum, quæ à carne originem trahunt.

ET illud Synodi sextæ: Accepimus in Armeniorū regione, & in aliis locis in sabbatis & Dominicis sanctę Quadragesimę, quosdam oua & caseū comedere. Visum est ergo, vt omnis DEI Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinē sequens ieiunium perficiat: & abstineat ab ouis & caseo, quę quidem sunt fructus & fœtus eorum, à quibus abstinemus. Si aūt hoc non obseruauerint, si sunt Clerici, deponantur; si laici, segregentur.

Can. 56.

Caseus & oua fructus & fœtus carnium sunt.

ET illud Synodi Toletanæ octauæ: Quisquis sine euitabili necessitate atq; fragilitate, & euidēti languore seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verumetiam alienus ab eiusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, qui sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam,

Can. 9.

Seuerum decretum contra eos, q vescuntur carnibus diebus Quadragesimæ.

ET

Cæno. 50.

Quæ esca cõueniant abstinentiæ Quadragesimali.

Hom. 2. in Gen.

Hæres. 75. cont. Aëri.

Cuiusmodi fuerint Aëriani.

Serm. 3 pasch.

Quadragesima est tempus agonis.

Daniel. 1. Daniel cũ sociis nõ solùm abstinet, sed etiam ieiunat.

Ser. 64. de temp.

Nunquam licet peccare.

Simil. est. Quomodo alicubi ieiunabatur Apostolorũ ætate.

ET illud Laodicensis Synodi: Non oportet in Quadragesimę quinta feria vltimæ hebdomadę ieiunium dissolui, & totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies ieiunare, & escis abstinentiæ conuenientibus, hoc est, aridioribus vti.

ET illud Chrysostomi: Nusquam hodie (est hîc sermo de primo Quadragesimæ die) tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt; & imitatur hæc ciuitas honestam quãdam, continentem, & sobriam matremfamiliâs.

ET illud Epiphanij: In diebus Paschatis, hoc est, in septimana sancta, quando apud nos fiunt humicubationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, omnesq; animarum salutes, ipsi (Aëriani) à summo manè obsonantur, carneq; & vino explentes venas, cachinnantur; ridẽtes ac subsannantes eos, qui sanctum hũc cultum hebdõmadis paschatis perficiunt. Ecquid aliud faciunt huius nostræ ętatis Aëriani?

ET illud Theophili Alexandrini: Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxurioſi diuites solent, vini poculum suspiremus; neque in procinctu & prælio, vbi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur. Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis, carnium esum repudiant, & insatiabilem auaritiam DEI timore compescunt. Non decet ieiunantes tempore agonis vesci carnibus. Daniel & tres illi pueri docent, ieiuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum: sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus nititur pudicitia.

ET illud Augustini: Sed & illa in Quadragesimæ diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis monemur illicita vitare. Quî enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus vti licet? quî nos abstinemus à vino, quo moderatè vti licet? Qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Hæc illi de Quadragesimalis ieiunij abstinentia.

AN omne ieiunium promiscuè pertinet illud Hermetis Apostolorum discipuli. Illo die, quo ieiunabis, nihil omnino gustabis nisi panem & aquam: & computata quantitate cibi, quem cæteris diebus comesturus eras, sumptum diei illius, quem facturus eras,

eras, repones, & dabis viduæ, pupillo, aut inopi. Et illud Origenis: Quando ieiunamus, ô viri, abstinemus nos, vt non gustemus carnem, nec vinum, nec superfluas escas. Lib. 3 in Iob.

Et illud Basilij: Carnes non edis? sed comedis fratrem tuum. A vino abstines? sed ab iniuriis tibi nō temperas. Et illud Athanasij: Inediæ & vigiliarum in tantum patiens erat, vt crudelitatem viribus vinceret, pernoctabat in oratione sæpissime, edebat semel in die post solis occasum: nonnunquam biduo aut triduo sic permanens, quarto demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal potumq; aquæ perparum. De carnibus verò & vino melius tacere puto, quàm quicquam dicere, quoniā nec apud plurimos quidem monachos istiusmodi escæ in vsu habentur. Hom. 1. de ieiu. In vita Anto.

Et illud Hieronymi: Cibum & vestimentum ei palma prębebat. Quod ne cui impossibile videatur, IESVM testor & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me Monachos, de quibus vnus per 30. annos clausus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinq; caricis per singulos dies sustentabatur. In vit. pau. Erē. Incomparabilis abstinētia quorundam Monachorum.

Et illud item eiusdē: A vigesimo primo anno vsq; ad 27. tribus annis dimidiū lentis sextarium madefactū aqua frigida comedit, & aliis tribus panē aridum cum sale & aqua. A 27. vsq; ad 30. herbis agrestibus & virgultorum quorundam radicibus crudis sustētatus est. A 31. vsq; ad 35. sex vncias hordeacei panis & coctū modicè olus absq. oleo in cibo habuit. Sentiens aūt caligare oculos suos, & totū corpus impetigine & punicea quadā scabredine contrahi, ad superiorē victum adiecit oleum, & vsq; ad sexagesimū vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecùs, aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. In vit. Hilario. Incredibilis abstinentia Abbatis Hilarionis.

Et illud tandem Rabani: Leguntur aliqui Sanctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiā per totam hebdomadam ieiunium extendere. Plerique quòd nec vinum, nec siceram biberint, nec aliquid manducauerint, præter panem siccum & olera. Alij quòd ab omni carne abstinuerint. Alij quòd intantùm se abstinuerint, quòd nec pane, nec cibo vsi sint, sed paucis caricis corpus suum sustentauerint. Lib 2. ca. 25. de Cler. institut.

De abstinentia porrò quarundam feriarum, intra quamlibet

septimanã agit illud Damascẽni: Ieiunia feria quarta & sexta seruari, & pascha celebrari prohibet (Aërius) stata hæc omnia dánat. Carnibus & cibis omnis generis vsus est sine religione. Quòd si quis ieiunium seruare velit, id ab eo certis diebus seruari negat oportere, sed quando volet: Negat enim se lege teneri.

Lib. de Hæres.

Hæretici vllã se lege teneri negant.

ET illud rursum Gregorij septimi: Quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris habitus est, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicunq; se Christianę religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente, abstineat.

D. 5 de cons. Quadrag.

Sabbato maiorũ instituto abstinendum à carnibus.

ET illud item Leonis quarti Pont: Max: de esu carnium apud nos vetustissima, & nõ improbanda traditio semper est tenenda, vt à cœnæ termino, quæ fit in principio noctis quartæ, quæ lucescit in quarta feria vsq; ad diluculũ quintæ feriæ; Et similiter à cœna noctis sextæ feriæ, quæ lucescit in sexta feria non imperitè ieiunatio vsq; ad sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit, protendatur.

D. 3. de Cons. Ca. de esu.

Quondam die Mercurij ieiunabatur, & à carnibus abstinebatur.

ET illud demum Ambrosij: Sunt quidã, qui quarta feria carnẽ non edendam statuerunt; sunt qui sabbatis, sunt item, qui à pascha vsq; ad pentecosten edãt; est qui nunq̃ edat. Eadem hęc disparitas etiamnum in Ecclesia DEI obtinet. Siquidem quibusdam in locis non modò sabbato & prosabbato abstinetur à carnibus, verumetiam feria quarta. Alibi, quòd pisces desint, etiã sabbato aliquis carnium vsus conceditur. Nonnulli tota vita non solùm à carnibus, verumetiam ab ouis se continent, nõ quòd isthæc immunda censeant, sed quòd DEO, per abstinentiam sese commendare studeant. Patet ex his ergo, non solùm veteres Iudæos, sed veteres quoq; Christianos aliquẽ semp ciborũ delectũ obseruasse, adeoq; q̃ de abstinentia à carnibus & aliis quibusdã escis in Ecclesia traduntur, ea heri à Monachis non esse excogitata, sed ab ipsis Apostolis profecta, fidaq; traditione inde ad nos vsq; propagata.

Ad ca. 10. Rom.

In esu carnium, vel in abstinentia potiùs à carnibus, ætate Ambrosij magna varietas.

Ciborum delectus vnà cum Ecclesia exortus.

ECQVID mirum est: si Christiani, veteresq; Iudæi, vel obediẽtię, vel mortificationis causa à quibusdã abstineant, olim ue abstinuerint, cùm quędam etiã apud Gentium nationes veræ abstinẽtiæ & ieiunationis vmbræ aliquando extiterint? Possem equidem plurima eius rei exempla in medium adducere, verùm ne quem pro-

Pagani quoque suas habuêre abstinentias & ieiunationes.

prolixitate offendam, ea solùm adduxisse contentus ero, quæ Hieronymus contra improbam Iouiniani doctrinam & gulam adfert. Scribit is autem inter cætera in hunc modum:

DICAEARCHVS in libris antiquitatũ refert sub Saturno, id est, aureo sęculo, cùm omnia humus funderet, nullos comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus & pomis, quę spõte terra gignebat. & paucis interiectis subdit: Persarum Regis Cyri vitã Xenophon octo voluminibus explicat. Polẽta, & cardamo, & sale, & pane cibario eos asserens victitare. Lacedęmoniorũ mensæ frugalitatisq; & supradictus Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè scriptores Græciæ testes sunt. Cherẹmon Stoicus, vir eloquentissimus narrat de vita antiquorũ Aegypti Sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis, curisq; postpositis semp in templo fuerint, & rerum naturas, causasq; & rationes syderũ contemplati sint, nunquam mulieribus se miscuerint, nunq; cognatos & propinquos, ne liberos quidẽ viderint ex eo tẽpore, quo diuino cultui cœpissent inseruire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus & vertiginẽ capitis, quem ex paruo cibo patiebãtur; & maximè ꝓpter appetitus libidinis, qui ex his cibis & ex hac potione nascuntur. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quãdo comedebant, tusum pariter hyssopum sumebãt in cibo, vt escam grauiorem illius calore decoquerent. & infrà:

IOSEPHVS in secũda Iudaicę captiuitatis historia tria describit dogmata Iudæorũ: Pharisæos, Sadducęos, & Essæos, quorũ nouissimos miris effert laudibus, quòd & vxoribus, & vino, & carnibus semp abstinuerint; & quotidianum ieiunium verterint in naturã. Cizycẽnus & Asclepiades Cyprius ętate, qua Pygmalion in Oriẽte regnabat, scribunt esum carnium non fuisse. Eubulus quoq;, qui historiã Mithrę multis voluminibus explicuit, narrat, apud Persas tria Magorum genera fuisse, quorũ primos, qui sunt doctissimi & eloquẽtissimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo sumere. Apud Eleusinã & volucribus & piscibus abstinere solemne est. Bardasenes vir Babylonius in duo dogmata Indos Gymnosophistas diuidit: quorum alterum appellat Brachmanes, alterũ Samanæos, q tantę continentię sint, vt vel pomis arborũ iuxta Gangem fluuiũ, vel publico orizæ & farinæ vtantur cibo; & cùm Rex ad eos venerit, adorare eos solitus sit, pacemq; suę ꝓuincię in illorũ precibus arbitrari sitam.

Hier. lib. 2. cont. Iouin.

Regnãte Saturno carniũ vsus inusitatus.

Summa sacerdotum Ægypti cõtinẽtia & abstinentia.

Tres apud Iudæos sectę, è quibus Essæi continentiores & abstinentiores.

Apud Persas tria Magorum genera.

Brachmanes & Samanæi Gymnosophistæ.

Sacerdotes Iouis in Creta à carnibus abstinent.

EVRIPIDES in Creta Iouis Prophetas non solùm carnibus, sed etiam coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in templo Eleusinæ residere scribit; Nimirum venerãdos Deos, venerandos parentes, carnibus non vescendũ. Orpheus in Carmine suo esum carnium detestatur. Pythagoræ, Socratis, Antistenis, & reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram, nisi & longius esset, & proprij operis egeret. Hæc omnia Hieronymus contra Iouinianum, eiusdemque sectatores, quę clarè ostendunt, apud Paganos quoq; veræq; religionis ignaros abstinentiã, ciborumq; delectum suum etiã habuisse locum. Fatendum est tamen, & fatemur libenter, nõ omnes illos, quorum B. Hieronymus meminit, virtutis studio ductos abstinuisse; sed quosdã quoq; praua quadam superstitione occæcatos: Sed hæc interim superstitio piorum religionem non infirmat, sed confirmat. Superest vt ea paucis proponamus & diluamus, quæ moderni Aëriani & Iouinianistæ contra ciborum delectum obiectare solent.

Quæ Aëriani, cæteriq;, qui cum illis faciunt, contra ciborum delectum obiiciunt, ea nihil verè & efficaciter probare.

CAPVT QVINTVM.

PRIMVM AERIANORVM ARGVMENTVM.

VT cultus quispiam DEO sit gratus, ab ipso institutus, vel præceptus sit oportet: At ciborum delectum CHRISTVS Dominus, neq; instituit, neq; præcepit, quin potiùs omnibus omnia promiscuè citra vllam exceptionem indulsit; ait enim: *In quamcunq; ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponũtur vobis. Non enim quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Hæc ille, quæ Apostolus ad verbum penè repetit. Scribit enim: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate.* Idem ad Timotheum scribens, infidelitatis notam iis impingere non dubitat, qui cibos, quos cum gratiarum actione percipere licet, olim prohibituri erant.

Luc. 10.
Matth. 15.
1. Cor. 10.
1. Timot. 4.

SOLV-

SOLVTIO ARGVMENTI I.

SANE si DEVS Opt. Max. id solùm approbat, ratumque & gratum habet, quod per se ordinat vel mandat, cætera autem omnia veluti idololatrica vel superstitiosa (sic enim loquuntur Antagonistæ) condemnat: consequens fit, neque Abelis, neque Noë, neque Melchisedechi, neque Abrahæ, neque vllius alterius, qui Moysi legem antecesserunt, sacrificia; neque pia illorum studia, quos Apostolus afflictos, angustiatos, melotis & pellibus caprinis indutos, in montibus & solitudinibus oberrasse commemorat; neque Rechabitarum obedientiam, singularemque eorundem abstinentiam; neque duram illam Eliæ, Elisæi, aliorumque prophetarum viuendi rationem; neque Samuelis, Dauidis, Ester, Iudith, Machabæorum, Niniuitarum &c. ieiunia; neque innumera alia veteris pietatis officia vnquam illi grata extitisse: Siquidem nihil horum omnium ille vnquam per se, aut per alterum præcepisse, aut ordinasse legitur. At quis hoc, nisi improbus mentéque omnino destitutus dicere audeat?

Hebr. 11.

Hier. 35.

Emotæ mentis hominis est dicere, Deum illa solùm approbare, quæ ipse mandat vel ordinat.

SED quia hæc vetusta sunt, veniamus ad nostra. Vbi, quæso, DEVS Ioanni Baptistæ præcepit, vt prima statim ætate secederet in desertum? pilisque camelorum indutus, agresti tantùm melle & locusta vesceretur? Vbi virgini Matri, vt post salutationem Angelicam ad Elizabeth cognatam suam sese conferret? Vbi Annæ viduæ, vt ieiuniis & obsecrationibus die noctúque DEO in templo deseruiret? Vbi mulieri peccatrici, vt CHRISTI pedes lachrymis ablueret? ablutosque & propriis capillis extersos, vnguento perfunderet? Vbi primis Christiani nominis sectatoribus, vt diuenditis, quæ possidebant, communem inter se vitam ducerent? Vbi Apostolis, vt septem Diaconos instituerent? vbi Petro, vt Ananiam, & vxorem illius Sapphiram, propter fraudem factam morte mulctaret? Vbi Paulo, vt incestum Corinthium Sathanæ traderet? Vbi Matthæo, Marco, Lucæ, & Ioanni, vt Euãgelij historiam contexerent? Sed in re clara nimius fortasis videor, præsertim cùm suo ipsorum gladio aduersarios iugulare hîc valeam.

Luc. 1.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 1.
Luc. 2.
Luc. 7.

Act. 2.

Act. 6.
Act. 5.

1. Cor. 5.

ETENIM si, vt ipsi dicunt, certumque doctrinæ suæ principium sumunt, id solùm recipiendum est, quod à DEO mandatum, ordinatum vel institutum est; quæro ab iis, vbi, quando, quibusue præsentibus Luthero, cuius facta dictáque omnia oraculorum

Lutherus incestis nuptiis pollutus.

loco habent, à DEO iiunctum est, vt sacratissimo religionis vinculo nefario ausu perrupto proculcatóque, perpetuæ castimoniæ voto obstrictam incestis nuptiis pollueret? aliisque, vt idem sacrilegium admitterent, auctor esset? Vbi & quando, vt augustissimum altaris Sacrificium, omnesque Ecclesiasticos ritus & cæremonias abrogaret? sacrorumq; Canonum volumina publicè incenderet? Vbi, vt Principes, politicósq; magistratus ad monasteriorum euersionem inflammaret? Vbi, vt Catholicam Ecclesiam, summumque eiusdem antistitem tot maledictis, conuitiis, & calumniis appeteret, quot plaustrum vix portaret? Vbi tandem, vt tot doctrinæ portenta sectasque, quot post CHRISTVM natum simul extitêre nunquam, in orbem inueheret? omnesque, quiin illa non iurarent, Sathanæ deuoueret? Neque enim dicere possunt, occulto diuini Spiritus instinctu id fecisse. Constat namque, DEVM non esse auctorem sacrilegiorum, dissidiorum, sectarum, hæresum, flagitiorum, aliorumque eiusmodi; verùm pacis, concordiæ, modestiæ, continentiæ, patientiæ, cæterorumque, quæ non ad mortem; sed ad vitam, veramque beatitudinem viam muniunt. Similis quæstio de omnibus sectariorum ritibus, legibus, & cæremoniis moueri posset. Certum est enim, quicquid contra Ecclesiam, eiusdemque morem, & fidem faciunt, dicunt, aut instituunt, hoc totum citra DEVM, omnéque eiusdem mandatum facere, dicere, ac instituere. Iam si Antagonistæ priuata Lutheri, aut Zuuinglij, vel cuiuscunq; alterius sectici magistri placita vltrò complectuntur; omnesque, qui salute potiri volunt, amplecti debere vociferantur, quæ tamen adeò nullum DEI mandatum habent, vt cum DEI lege, publicáque honestate sæpenumero pugnent; cur Ecclesiæ sanctiones repudiant, easdemque veluti superstitiosas condemnãt, quæ magna sanctimonia pollent, suámq; à CHRISTO ipso auctoritatem habent?

Lutherus innumera fecit et docuit, & scripsit & citra & cõtra manifestum Dei mandatum.

Christus nullũ alimenti genus inhibuit, sed neque inhibere quoq, debuit.

AT nullum, assumebant, CHRISTVS Redemptor noster alimẽti genus inhibuit? Fatemur, nullum absolutè inhibuisse, sed nec vllum quoque absolutè inhibere debuit. Nam si quod absolutè inhibuisset, nullo tempore, nulla vrgente necessitate, illo vti licuisset, adeóque ipso auctore aliquod priscæ legis vestigium in noua lege adhuc reliquum fuisset; hoc autem nullo modo conueniebat: Quandoquidem cùm cibi in veteri lege prohibiti, maiorem

rem partem quoddam futurorum ſymbolum præ ſe ferrent, ſi quod ex ea inhibitione membrum remanſiſſet, aliquid, quod per CHRISTVM nondum expletum eſſet, etiamnum ſupereſſe ſuſpicari licuiſſet. Ea autem ſuſpicio magnam, infirmis præſertim, errandi occaſionem ſubminiſtraſſet.

Christus ad ciborũ delectum viam muniuit.

SED & hactenus quoque ad ciborum delectum viam aperuit, quatenus ieiunium verbo & exemplo approbauit, ſponſóque ablato, illud in Eccleſia DEI vſurpatum iri certò prædixit. Siquidem legitimum Eccleſiæ ieiunium citra ciborum delectum conſtare omnino nequit. Ad hæc licet CHRISTVS nullam eſcam abſolutè prohibuerit; attamen ob ſperatam vtilitatem, vel occurrentem neceſsitatẽ à quibuſdam abſtinere vnicuiq; liberum reliquit. neq; hoc in quæſtionem cedit. Iam ſi ſingulis Eccleſię membris, modò vtilitas id ſuadeat, vel neceſsitas aliqua id poſtulet, integrum eſt, à quibuſdam abſtinere; imò verò iuramento vel voto, quæ non minùs ligant, quàm publicę leges, ad quorundam abſtinentiam perpetuò, vel ad tempus ſe obſtringere: cur Eccleſię legitimóue eiuſdem magiſtratui, ob cauſam toti Reipub. Chriſtianæ vtilem vel neceſſariam, certam de abſtinentia ſanctionẽ, quæ fideles omnes obliget, edere non liceat?

Eccleſia poteſt edere leges toti Reip: Chriſtianæ vtiles vel neceſſarias.

Ineptum eſt dicere, Rempub. aliquam leges obligatorias condere poſſe. Eccleſiã non poſſe.

MIRVM profectò eſſet, politicum magiſtratum leges, quę fini, quem ſibi præfixum habet, ſeruiant, ferre, ſubditósq; ad fidam eatundem obſeruationẽ ſub graui pœna obligare poſſe, Eccleſiam autem decreta vel Canones, quæ in finem, in quem ipſa tendit, conferant, edere non poſſe. Nunquid ciuilis poteſtas maior, aut ſanctior eſt Eccleſiaſtica? nequaquam. Etenim, vt de illa ſcriptum extat: *Qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi damnationem ſibi acquirũt.* item: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter DEVM: ſiue Regi tanquã præcellenti; ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, ita de hac: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* item: *Si te non audiuerit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Rom. 13. 1. Petr. 2.

Luc. 10.

Matth. 18.

Eccleſię leges certa quadam ratione arctiùs obligant quàm politicæ.

IMO verò quò Eccleſia illuſtriorem finem ſibi præpoſitum habet quàm Reſpubl. (huius enim finis eſt ciuium pax, rerum ad humanæ vitæ conſeruationem neceſſariarum copia, aliáque eiuſmodi; illius verò, gratia & vita æterna) eò huius leges arctiori vinculo obligant, quàm illius. Nulla eſt itaque conſecutio: CHRISTVS nullum alimenti genus inhibuit: ergo Eccleſia vel eius Vica-

Vicarius nullum inhibere potuit, aut debuit. Sicut quoque non sequitur: hoc vel illud iure diuino, vel naturali non est inhibitum aut præceptum; ergo Princeps vel alius legitimus magistratus inhibere, vel mandare non potuit, aut non debuit: Alioqui enim politicæ & Ecclesiasticæ leges ad vnum omnes nullarum prorsus virium existerent; vt quæ omnes de rebus suapte natura indifferentibus caueant. Quamuis ergo CHRISTVS de ciborum delectu, de ieiunio, de festis, déque aliis id genus ritibus & cęremoniis peculiares leges non edidit, attamē Vicariis suis, vt pro locorum, temporum, ac personarum qualitate eiusmodi leges conderent, plenam auctoritatem reliquit.

Leges humanæ feruntur de rebꝰ sua natura indifferentibus.

SCRIPTVRAE porrò, quas ad assumpti confirmationem Antagonistę allegabant, illæ si quid probant, vnum id solùm probant, quod integro capite iamdudum antè probatum & constitutum est; nempe nullum cibum ex se immūdum, aut lege aliqua vt talem, inhibitum esse. Hoc vnū enim & aliud nihil probat illud CHRISTI: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* & illud Apostoli: *Omnis* DEI *creatura bona est.* & illud item eiusdem: *Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* Quòd autem hæc vera germanáque harum Scripturarum sit sententia, id præter Ecclesiæ praxin, quæ optima rerum in fide & moribus controuersarum interpres est, ea, quæ loca hîc citata proximè antecedũt & consequuntur, clarè ostendunt, confirmantque illustres veterum Theologorum in eadem loca explanationes.

Matth 15. 1. Timo 4. Ad Tit. 1.

Ecclesia eiusque praxis optima rerum in fide vel moribus controuersarum interpres.

AVGVSTINVS: Cùm Apostolus ait: *Omnia munda mundis*, naturas ipsas intelligi voluit, quas DEVS creauit, secundùm illud, quod Moyses in Genesi scripsit: *Et fecit* DEVS *omnia, & ecce bona valde*: non significationes, secundùm quas DEVS per eundem Moysen ab immundis munda discreuit. Vnde quia multa, & multis locis iam diximus, nunc breuiter admonuisse suffecerit. Proinde illos, qui iam tempore reuelationis noui Testamenti adhuc illas vmbras futurorum ita custodiendas putarent, vt sine iis gentes salutem, quæ in CHRISTO est, percipere non posse contenderent, immundos dicit Apostolus, quòd carnaliter saperent: & infideles, quòd tempus gratiæ à legis tempore non secernerent. Quibus ideo dicit, nihil esse mundum; quia & iis, quę respuebant, & iis, quæ sumebant, nec sanctè, nec iustè vtebantur, sicut omnes quidem

Li. 31. c. 4 cont. Faust.

Genes. 1.

Omnia munda natura, sed non significatione.

quidem infideles, & vos præcipuè Manichæi, quibus omnino nihil est mundum. Et paucis interiectis hæc subiungit:

OMNIA ergo munda mundis secundùm naturam, in qua creata sunt, non tamen omnia secundùm significationem primo populo Iudæorum. Nec vobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis apta sunt, sed cùm sua cuiq; redduntur, & naturalem ordinem seruant. Omnia munda mundis, immundis autem & infidelibus, quales vos præcipuè estis, nihil est mundum. Et exponens illud: In nouissimis temporibus &c. ita ait: Hos propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant; sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem DEVM esse negant. Hæc Augustinus; cui sectarij inter omnes Scripturarum interpretes primas deferunt, seséque in illius auctoritate esse vbique vociferantur.

Eod. cap. & lib.

1. Timoth. 4.

Cont. Adiman. c. 14.

SED nunquid solus Augustinus nobiscum hîc facit? minimè gentium. Facit etiam Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, & alij plerique veteres recentesque Theologi. Hieronymus: Reprobat Apostolus eos, qui iubebant à cibis abstinere, quos DEVS creauit ad vtendum cum gratiarum actione; sed Marcionem designat & Tacianum, & cæteros Hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera creatoris: Nos autem & creaturam omnem laudamus DEI, & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. Ambrosius in eundem locum: Manichæi & CHRISTVM negant, & nuptias prohibent, & abstinendum à cibis tradunt. Chrysostomus ad idem caput: De Manicheis, Encratitis, & Marcionistis, & omni eorum officina loquitur. Horum expositionem ad vnguem sequuntur Theodoretus, Cyrillus Hierosolymitanus, Aquinas, Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, & alij recentiores. Nihil est ergo, quòd Hæretici vel hunc, vel alium quemcunque similem locum Catholicis obiiciant.

Li. 2. contr Ioui.

Ambros.

Chrys. hom. 12.

SED dicis, si cibus, qui in os ingeritur, hominem non coinquinat, vt CHRISTO, veritate ipsa attestante non coinquinat, quid est ergo, quod manducantem contaminat? Aliud nihil sanè,

Cibus hominẽ nõ contaminat, sed mala voluntas, vel cibi abusus.

quàm iniquus vel improbus illius animus, qui manducat: Siue ea iniquitas vel improbitas inde proueniat, quòd sciens volensque cibo suo proximum offendat; siue quòd contra legem vel conscientiam eundem ingerat; siue quòd alia quacunq; ratione contra legitimum cibi vsum committat. Perdidit Adamum vniuersamq; eiusdem posteritatem pomum, non quòd pomum illud ex se mortiferum esset; alioqui enim omne pomum mortem adferret; sed quia contra expressum DEI mandatum vsurpatum fuerat. Sic Esau quoque non ipsa per se esca criminis reum fecit, sed esca nimis auidè, hoc est, vsq; ad sacramenti contemptum petita. Sic tandem Hebræum populum non volucris, sed murmur contra DEVM, & mannę contemptus in grauissimum vitę salutisq; discrimen adduxit. Idem statuatur de reliquis, qui contra præceptum, vel contra decorum manducant, vel manducarunt aliquando. De hac coinquinationis ratione D. Augustinus alicubi ita scribit:

Genes. 3.
Num. 12. 21.
Psal. 77.

FASTIDIEBANT Israëlitæ, quod habebant, & quod non habebant, impudenter petebant; quasi non melius peterent, non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio pręstaretur, sed vt ille, qui aderat, sanato fastidio, sumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs DEVM, vt delectent bona, quàm vt concedãtur mala; Non quia malum est, carne vesci, cùm de hac re Apostolus loquens, dicat: *Omnis creatura* DEI *bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur:* sed quia, sicut idem ipse ait: *Malũ est homini, qui per offendiculum manducat.* Et si per hominis offensionem, quantò magis DEI? Cuius in Israëlitis non parua erat offensio, repudiare, quod dabat Sapientia, petere id, quo inhiabat concupiscentia: quamuis illi nec peterent, sed quia deerat, murmurabant. Sed vt sciremus, non DEI creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, sed propter pomum primus homo mortem inuenit. Et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Et hæc ad ea, quæ contra ciborum delectum ex Apostolo adferebantur.

Tract. 73. in Ioan.
1. Tim 4.
Rom. 14
Genes. 3.
Genes. 25.

AD illud autem Lucæ: *Manducate, quæ apponuntur vobis,* respondetur primò, his CHRISTI verbis, si contextus, vnde hic locus petitus est, accuratè, vt par est, discutiatur, ciborum delectum in Catholica Ecclesia vsitatum nequaquam oppugnari, sed vagandi, deque

Luc. 10.
Lege Ambros. li. 6. ad cap. 9. Luc.

déq; domo in domum ventris causa transeundi, ansam Apostolis, eorundemque sectatoribus præscindi. Respondetur secundò, hæc iis dicta indultáque fuisse, qui eiusmodi populo Euangelium denunciaturi erant, qui ciborum delectum ad superstitionem vsque seruabat. Neque enim vllum omnino periculum erat, ne Iudæi, ad quos solos per id tempus Euangelizatum mittebantur, aliquid, quod per Moysi legem interdictum foret, apponerent. Sed neque dubitandum est quoque, si quid fortè eiusmodi apposuissent, frustra apposituros fuisse. Certũ est enim, Apostolos religiosè ab omni eo abstéturos fuisse, quod lex profanum censuisset. Nisi enim ita comparati fuissent, Petrus post acceptum Spiritum sanctum, ad mactandum, & quiduis promiscuè manducandum inuitatus, nunquam dicturus erat: Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.

Quis sensus huius Christi: Manducate quę apponuntur vobis.

Act. 10.

Responderi tertiò potest, hoc Christi dictum, multáque id genus similia, non absolutè aut prę ceptiuè exponendum esse, sed commodè & permisiuè. Neque enim vult ille, multò verò minùs iubet, vt quæcunque tandem apponuntur, ea simpliciter manducent; facit autem iis facultatem, vt ex appositis ea accipiant, quæ accepta animum aut corpus non lædant. Vt ergo ab iis abstinendum est, quæ valetudinem offendunt, esto secundùm se mala, aut inhibita non sint, ita etiam ab iis, quæ conscientiã quouis modo vulnerant, aut contaminant. Qualia vtique sunt ea omnia, quæ pro temporis ratione lege aliqua prohibita sunt, aut sumpta proximum offendũt. Quod porrò eidem illi loco ex Paulo, quasi cognatum adiiciebatur, hoc iam antè solutum est, neque alia solutione, aut expositione indigens est. Solùm enim probat, nihil secundùm se immundum esse, ne illud quidem, quod idolis est immolatum, aut per Moysi legem veluti commune vel immũdum proscriptum; adeóq; scandalo, maiorumq; statuto semoto, quibuslibet hoc rerum statu vesci licere, quod verum est, & sæpe iam antè concessum est. At de primo Argumento satis.

Vt ab iis abstinẽdum est, quę corpus lædunt, esto mala nõ sint, ita etiam ab iis, quæ animã offendũt.

SECVNDVM ANTAGONISTARVM Argumentum.

Nihil recipi debet, quod cum superstitionis, aut erroris, aut valetudinis periculo coniunctum sit; atqui ciborum delectus omnia hæc incommoda secum trahit: Nã & per se sapit quiddam

Iudaicum; & rudes, vt escas quasdam ex se malas vel immundas esse credant, certa quadam ratione inducit; & eos tandem, qui ea, quorum in legitimis ieiuniis vsus esse solet, non ferunt, non parum offendit. Satius proinde videtur, omnia omnibus promiscuè permittere, quàm aliquid eorum, quæ in humanæ vitæ vsum veniunt, cum tanto damno prohibere.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

ET hęc quoque ratio membrorum numero ad victoriam nititur magis, quàm rerum pōdere. Nam ad primum quod spectat, nihil nobis cum Iudæis, multò verò minus cum Manichæis, aut Tacianis, aut aliis quibuscunque hæreticis commune est. Ecquid enim negotij est Christiano homini cū solidis aut multifidis animantium vngulis, aut cum auibus rapacibus, aut cum piscibus squama non contectis, aut cum cæteris à Iudæorum mensa proscriptis? Nihil quicquam; neque enim nos temporum, aut ciborum differentiis insistimus, quò futurum aliquid designemus, aut in moribus erudiamur, aut valetudini consulamus, quæ causæ abstinendi Iudæis erant præpositæ; verùm omnia ad DEVM & Spiritum referimus: quippe qui in hoc abstinendi, vel discernēdi genere aliud nihil spectemus, quàm vt laborum nostrorū interualla diuinorum beneficiorum commemorationi consecremus; nosq; per carnis abstimentiam, ad eadem illa beneficia recolenda vigilantiores paratioresque reddamus; & eam tandem, quam par est, Ecclesiæ obedientiam, proximóque ædificationem præstemus.

Mu'tùm interce dit inter Iudæo rum & Christia norum abstinen tiam.

Triplici de causa Iudæi à quibus- dam abstinebāt.

Cur Christiani statis temporib. à quibusdā escis abstinerent.

AT siue hac, inquis, siue illa, siue alia quacunque de causa à quibusdam abstineas, ea tamen abstinentia non aliunde, quàm à Iudæis originem trahit? Istud iam negatum est, & rectè negatum est: Aliud enim nos nostra abstinentiá spectamus, aliud olim Iudæi. Hebræi adhæc perpetuò à quibusdam abstinebant, nos ad tempus tantùm. Sed & dato quoque, à Iudęis ad nos fluxisse, nunquid ob id statim est Iudaica, aut veluti Iudaica explodenda? minimè verò. Non ideo negligendum est, scribit Leo Magnus, quia de obseruantia veteris legis assumptum est, tanquam hoc ex illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & auium pecudumque hostias esse destiterunt. Illa enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quę significauerunt, finita sunt: ieiuniorum verò vtilitatem noui Testamenti gratia

Ser. 4 de ieiun. 4. mens.

non

non remouit; & continentiam corpori & animæ semper profuturam, pia obseruatione susscepit. Quia sicut permanet apud intelligentiam Christianam: *Dominum* DEVM *tuum adorabis, & illi soli seruies*, &: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, & cætera talium mãdatorum; ita quod in iisdem literis de ieiuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. Hæc Leo; quibus apertè indicat, cùm ieiunium, tùm ciborum delectum, vt quidem ad ius naturæ pertinent, etiamnum robur obtinere, vt verò ad veteris legis ritus & cæremonias, iam dudum exoleuisse. Deut 6. Matth 22.

Ieiunium & abstinentia in iure naturali fundata.

INFRA idem Pater & Pontifex clariùs ea de re differit: Cùm vos, ait, dilectissimi, ad quædam, quæ etiam in veteri Testamento instituta sunt, adhortamur, non Iudaicæ vos obseruantiæ iugo subdimus, nec consuetudinem vobis carnalis populi indicimus. Excellit super illorum ieiunia continentia Christiana; & si quid illis & nobis commune est in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi sua nudipedalia, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia; nos in nullo ad habitus nostri honestatem dissimiles, nec à iustis & necessariis operibus abstinentes, edendi licẽtiam simplici parcitate cohibemus, vt in vsu ciborum modus eligatur, non creatura damnetur. Nihil est ergo quòd Iudæorum superstitionem nobis hoc loco obiiciant aduersarij. Ser. 7. mens. 7.

QVOD porrò de erroris periculo, vel præpostero rudium iudicio adiungunt, id tanti roboris est planè, quanti quod de Iudaica superstitione allegabatur, hoc est, nullius penitus. Etenim nemo mentis compos, quo omnes promiscuè, etsi non semper, vti vesciue cernit, id ex se malum, aut immundum facilè iudicauerit. Et vt maximè talis quispiam comperiretur, non ob id statim lex ad vtriusque hominis salutem tantopere vtilis & necessaria abroganda esset, sed simplicium ruditas erudienda. Extãt enim quàm plurimæ aliæ sanctiones & leges Reipublicæ Christianæ necessariæ, quarum tamen rationes idiotæ perspectas non habent, nec, vt perspectas habeant, vllum est operæprecium: sat illis est, si maiorum legibus & institutis parendum esse non ignorent. Et quod de falsa simplicium opinatione; vel de errandi occasione hîc dicitur, hoc de præuaricatorum multitudine dictum quoque accipiatur. Quandoquidem lex de ieiunio, vel ciborum delectu promulgata,

Non est necessarium, vt subditi legum rationẽ teneant; sed satis est, si iustis legibus parendum intelligant.

mulgata, ideo est abroganda, quia rudes illius vim non assequuntur, vel quia multi passim in eandem præuaricantur, nulla omnino humana lex aut constitutio tuta erit: Imò ne ipse quidem decalogus. Constat enim, quàm plurimos cõtra illum committere, intimamq; eiusdem rationem omnino non penetrare.

Abstinentia cõfert valetudini & vitæ diuturnitati.

VTROQVE ineptius est, quod de valetudinis offensione tertio loco adiiciebatur. Communis enim sapientum vox est, quam certæ quoq; experientiæ fides manifestè confirmat, abstinentiam bonæ valetudini vitæq; diuturnitati plurimùm conferre. Etenim ante diluuium, cùm nullus, vt quibusdam placet, vel infrequens admodum vini & carnium vsus erat, viuebatur ad octingentos & nongentos annos: Postea, rerum luxu paulatim glisscente, decreuerunt etiam vitæ anni, adeò vt hac ætate multò plures comperiantur, qui ante trigesimum, vel quadragesimum, vel quinquagesimum ętatis annum diem suum obeant, quàm qui septuagesimum, vel octuagesimum, vel nonagesimum attingãt. Sed & Eremitæ quoque, qui austerissimam viuendi rationem tenebant, in multos annos sani & incolumes vitam producebant. Quòd si qui eam vitæ diuturnitatem alteri causæ adscribendam existimẽt, cum iis non pugnamus. At scimus interim, præter quotidianam experientiam, complures graues Theologos & Medicos & Philosophos à nobis stare, & inter hos quoque D. Athanasium. scribit is autem in hunc modum:

Eò vita mortalium existit maior, quò vitæ luxus minor.

Lib. de Virg.

QVOD si accedant aliqui & dicant tibi, ne frequenter ieiunes, ne imbecillior fias: ne illis credas, nec auscultes. Istos enim diabolus subornat. Reminiscere eius, quod scriptum est, quod cùm Daniel & tres pueri capti essent à Rege Babylonis Nabuchodonosore, & alij pueruli vnà cum iis, iussumque esset ab eo, vt de sua regia mensa comederent, & de suo vino biberent, Danielem & tres pueros noluisse saturari ex mensa regia, & ad Eunuchum dixisse: Da nobis de seminibus terræ, & vescemur, deditq; illis legumina ad cibum, & aquam ad potum. Et produxit eos ad Regem, & visæ sunt species eorum eximiæ super eos, qui ex mensa regia vescebantur. Vide igitur quid ieiunium faciat, morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, mentem nitidiorem, cor purgatius, corpus reddit salubrius. Hæc ille aliaque complura in eandem sententiã. Quare non est, vt valetudini suæ metuãt, qui moderatè abstinent.

Daniel. 1.

Admirabiles ieiuniorum & abstinentiæ vires.

SED

SED & posito quoque, abstinentiam valetudini aliquod detrimentum adferre, non ideo tamen hinc statim desistendum foret: Siquidem damnum illud per spiritalia emolumenta, quæ inde proueniunt, multis modis compensatur: licet autem modicum aliquod incommodum, propter maius commodum subire. Præterea si licitum est, lucri, honoris, alteriúsue externi boni causa peregrinari, rus colere, literarum studiis assiduò insistere, aliisque duris continuisque laboribus incumbere, quæ omnia sua natura humidum radicale viresque corporis exhauriunt, adeoque aliquot necessariò dies vitæ adimunt; cur pietatis causa nefas erit ieiunare, vel à cibo vitam producere nato abstinere? Certè si id peccatum esset, sancti tam duram vitæ rationem in solitudine nũquam iniissent; neque alios ad iugem carnis mortificationem tantopere animassent. Nam è terræ radicibus, crudisque oleribus victitare, noctes totas in oratione & sub dio transigere, flagris catenisq; carnem subinde concidere, aliaque eiusmodi edomandæ carnis causa præstare, qualia illi communiter præstabant, si rerum naturam, non DEI gratiam spectemus, non potest de vitæ spacio aliquantum non amputare.

Aliquid incommodi propter maius commodum tolerandum.

Non est peccatũ ea tractare, vel tolerare, quæ vitam sua natura abbreuiare nata sunt.

FATEOR tamen, ieiunium vel abstinentiam indiscreta esse non debere: hoc est tanta, vt morbum non leuem, vel vitæ periculum non vulgare adducant, vel sensuum vigorem, vel rationis aciem labefactent, vel aliquod aliud eiusmodi corpori vel animo malum vel periculum procreent. Non enim licet seipsum occidere, aut mutilare, aut grauiter lædere, aut ad munia, quæ ratione officij vel status, incumbunt, inutilem reddere. In idem autem redit, magnóne an paruo tempore te perimas, aut mutiles, aut ad omnia inutilem reddas. Et quod de ieiunio vel abstinentia sponte susceptа hîc asseritur, hoc ipsum etiam de ieiunio vel abstinẽtia præcepta assertum accipiatur. Ecclesia enim vel monastica professio ieiunium vel abstinentiam indicens, non eo rigore illud indicit, sicut nec indicere quoque potest, vt homo eorum causa graue aliquod animi, vel corporis, vel status incommodum incurrat.

Abstinentia nõ debet esse immoderata, hoc est, tanta, vt animo vel corpori detrimẽtum adferat non vulgare.

TERTIVM

TERTIVM ADVERSARIORVM Argumentum.

INSTANT tertiò eiusmodi argumentatione. Illicitus est omnis cultus, qui cum DEI verbo, aut cum libertate, quam sua morte CHRISTVS nobis peperit, pugnat: at ciborum discretio cum vtroque pugnat; scriptum est enim: *Omne, quod in macello venit, manducate.* Item: *Nemo vos iudicet in cibo & potu.* Item: *Qui manducat, nõ manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Tandem: *Vos in libertatem vocati estis, fratres &c.*

1. Cor. 10.
Coll. 2.
Rom. 14.
Gal. 5.

SOLVTIO III. ARGVMENTI.

QVO hæc Apostoli dicta pertineant, ex iis, quæ iam antè ex Augustino, & aliis Patribus in medium allata, & ex locis rursum, vnde petita sunt, absque vlla difficultate colligi potest. Nullum est enim, quod integrè citatum, suam solutionem secum non adferat. Primum nullam non escam sua natura mundam esse docet: Addit nihilominus ab idolothytis abstinẽdum, ne pusilli aliquod inde offendiculum capiant. Secundum neminem ea de causa in ius vocandum prædicat, quòd Iudæorum sabbata, neomenias, festa, ciborumque discrimina non seruet. Tertium temeraria iudicia, cæteraque, per quæ infirmi offendi facilè poterant, vetat. Quartum & postremum, ad qualem libertatem vocati sint Christiani, explanat. Neque enim Christiana libertas, facultas est nihil agendi, aut perperam agendi: nam nihil agere, aut malè agere non est Christianorum, sed dæmoniorum & hominum otiosorum. Est autem quædam immunitas à seruitute peccati, à tyrannide diaboli, ab onere & obseruatione veteris mandati. Ab his enim omnibus per CHRISTVM liberati sumus, non vt otiosè aut luxuriosè ætatem transigamus; sed quò in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ ipsi seruiamus. In summa Christiana libertas non est libertas carnis, sed spiritus.

Cuiusmodi sit Christiana libertas.

VNDE id habes? Ex illo ipso loco, quem ex Apostolo citant. Scribit enim: *In libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis; sed per charitatem spiritus seruite inuicem.* & paucis interiectis subdit: *Dico autem in CHRISTO; spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs*

Galat 5.

uersùs carnem. Et ne clam esset, cuiusmodi fructus hinc inde proueniant, quídue inter carnem & spiritum intercedat, rursum subiungit: *Opera carnis sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Fructus autem spiritus est, Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas &c.*

Vt carnis & spiritus opa inter se sunt admodũ dissimilia, ita etiam carnis & spiritus libertas.

Si ergo Apostoli doctrinam sequimur, Christianam vel spiritus libertatem nequaquam constituemus in fornicatione, aut immunditia, aut impudicitia, aut luxuria, aut sectis, aut dissensionibus, aut ebrietatibus, aut comessationibus, aut id genus aliis, quæ maximè vigent apud noui Euangelij præcones, carnalísque libertatis assertores; (Fatentur enim, qui primatum inter illos obtinent, nusquam gentium plures scurras, adulteros, blasphemos, helluones, ebriosos, impostores &c. inueniri, quàm in illis ipsis locis & oppidis, vbi nouum illud Euangelium proseminatur) sed in modestia & castitate, in fide & charitate, in benignitate & mansuetudine, aliisque similibus virtutibus, virtutumque officiis, quæ res apud sectarios sunt admodum raræ. Non diffiteor, multa ex iis apud multos quoque Catholicos desiderari; verùm inter hos & illos hoc interest, quòd apud hos esse queant, & sæpe esse soleant; apud illos autem esse non possunt; quippe qui omnium verarum virtutum fundamento destituantur. Ieiunium itaque & abstinentia Christianam libertatem non infirmant, sed promouent; vt quæ vitia comprimant, mentem eleuent, virtutem largiantur & præmia.

Maxima carnis licentia apud sectarios.

Greg. in præf.

ARGVMENTVM QVARTVM eiusdemq; solutio.

SCRIPTVRARVM præsidio destituti, ad priuatorum quorundam hominum facta & dicta confugiunt. Inter cætera autem allegant, Spiridionem virum alioqui pium & sanctũ hospiti, qui ieiuniorũ die ad ipsum fortè diuerterat, suillas carnes apposuisse; tùm Alcibiadem quoque ab Attalo illustri martyre, quòd à carnibus abstineret, reprehensum. Verùm vtrumque exemplum nequicquam & deprauatè quoque allegant. Sozomenus de Spi-

Li. 1. ca. 11.

ridione ita scribit: Cùm instaret Quadragesima, ex itinere quidam fortè ad eum venit illis ipsis diebus, in quibus vnà cum suis ieiunia peragere consueuerat, & ad statum diem cibum degustare, cùm interpositis diebus sine cibo omnino remansissent. Cumque Spiridion vidisset hospitem valde de via fessum, age, inquit, ô filia, primùm viri huius pedes laua, deinde ei cibum appone. Vbi verò respondit virgo, neque panem in ædibus esse, neque polentam, (Superuacanea namq; fuisset istarum rerum apparatio propter ieiuniũ) Spiridion cùm precibus DEVM inuocasset, veniamque petiuisset, dedit mandatum filiæ, vt carnes suillas, quas fortè in ædibus habebat, sale conditas coqueret. Quibus coctis hospitem fecit secum accumbere, deque carnibus appositis comedere cœpit, hortatur hospitem, vt ipsum imitetur. Qui cùm illud facere recusaret, diceretque, se Christianum esse: hanc ob causam, inquit Spiridion, minùs recusare deberes; nam omnia munda mundis sacræ literæ pronunciant.

Spiridion statis tantùm Quadragesimæ diebus cibum sumebat.

HAEC Sozomenus. quæ si rectè expendantur ciborum delectum magis confirmant, quàm infirmant: Constat hinc enim, Spiridionem non temerè suillas apposuisse, sed precibus munitum, euidentique necessitate compulsum. Nihil enim in ædibus aliud erat, quod peregrino fame exhausto, & oppidò lasso apponi posset. Qui tamen, ingenti fame & lassitudine non obstante, animosè allegat, se Christianũ esse; neq; tali tempore tali esca vesci posse. Expugnat tamen repugnantem & carnes comedere detrectãtem insignis Spiridionis charitas, euidensque, qua premebatur, necessitas. Nihil est igitur, quòd aduersarij Spiridionis factũ nobis obiectent. Nam quod Spiridion tunc fecit, hoc Ecclesia, simili vrgente causa, omnibus facere permittit, permisitq; semper. Adde, non totum id sanctum & imitabile esse semper, quod faciunt sancti perfectique viri: Nam Spiritus sanctus ita ipsos regit & agit, vt interdum quoque in aliqua errata labi permittat. Quarè etiam Spiridion quasi facti sui rationem non satis exploratam habens, oratione se præmunit, veniamque, si quid forsan erraret, humiliter petit. Nulla est itaque hæc consecutio: Spiridion vel alius quiuis hoc vel illud fecit, vel dixit: ergo rectè fecit vel dixit; tametsi Spiridionem rectè fecisse nihil ambigam.

Nõ est hominis Christiani citra necessitatem vesci carnibus in Quadragesima.

Nõ totum semper sanctum & imitabile, quod faciunt sancti.

AD Alcibiadem porrò quod attinet, fatemur, ab Attalo illustri

stri martyre reprehensum fuisse; at negamus ob id hoc illi accidisse, quòd à carnibus abstineret. Nam & Iohannes Baptista à carnibus & vino perpetuò abstinuit, & multi ante, & post ipsum abstinuerunt, nec ob id tamen peccauerunt, aut ab aliquo notati sunt. Reprehensus est autem, quòd cum aliorum offensione, & cum nonnullo quoque errore & superstitione abstineret. Tenebatur enim eo errore, quo multi alioqui fideles per id tempus adhuc tenebantur; nempe cibos quosdam esse, quibus vesci propter immunditiam vel Mosaicam prohibitionem nefas esset. Hic autem sensus falsus & reprehensione dignus erat. Quod dicimus, ex historiæ serie clarissimum est. Neutrum proinde exemplum, aut veritati, aut instituto nostro quicquam omnino aduersatur.

Lib. 5. ca. 3.

Cur Alcibiades ab Attalo reprehensus.

Alcibiades per errorem à carnibus abstinebat.

ARGVMENTVM QVINTVM & postremum.

At nondum cauillandi finem faciunt homines inquieti; obiiciunt enim; si à carnibus est abstinendum, quò caro spiritui subiugetur, Satanæq; regnũ in nobis debilitetur, itidem à vino, ouis, marinis beluis, multisq; aliis libidinis ardorem incendere natis, abstinere oportebit: at ab illis non abstinetur, ne apud eos quidem, qui cæteris sanctiores haberi volunt.

SOLVTIO POSTREMI ARGVMENTI.

Sane in primitiua Ecclesia, & multos annos postea ieiunantes, Quadragesimæ præsertim tempore, non solùm abstinebant à carne, vino, ouis, lacte, caseo, marinis beluis, grãdioribúsue piscibus; sed à quibusdam quoq; terræ fructibus. Notum est enim illud Augustini: Catholici nõ hæretici edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atq; temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes. Et illud rursum eiusdem:

Christiani quõdam non modò à carnibus, verum etiã à quibusdã terræ fructibus in Quadragesima abstinebant. Lib. 30 cap 5. contra Faust.

Cessent lauacra, vina, & carnes, non quòd creaturam Dei iudicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies viuamus Domino. Et illud item Gregorij: Cæterùm piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis

Ser. 65. de temp.

Deniq; d. 4.

mitatis solatium, non luxuriæ pariat incendiũ. Deniq; qui à carne abstinent, nequaquã sumptuosiora marinarum beluarum cõuiuia præparent. Et illud tandem Hieronymi: Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina, interdumq; piscículos pro summis ducas deliciis. Verùm vt in aliis ieiunij partibus ob humanã imbecillitatem, aliasque causas magna temporis lapsu facta est remissio; ita etiam in victu ciborumq; delectu. Neq; hæc indulgentia vitio verti potest Ecclesiæ; duxit em̃ illa & rectè duxit, satius esse, nonnihil de legis rigore remittere, quàm legem apprimè vtilem & necessariam prorsus abrogare.

Epistola ad Paulinum.

In ieiunij rigore temporis lapsu magna est facta remissio.

Satius salutaris legis rigorẽ remittere, quàm totam legẽ abrogare.

CAETERVM cur in vini potu dispensatum sit potiùs, quàm in carnium esu, non vna à Theologis & Canonistis ratio assignatur; potissima est, quòd carnes vino magis nutriãt, maioremq; humorum copiã generent, adeoq; maiorem fomiti materiam suggerãt. Vinum enim tametsi plusculum sumptum inflammet, facili tamẽ negotio euaporat. Quarè illius vsus faciliùs quàm carnium indulgetur. Imò verò vini potus rarò vniuersè inhibitus legitur. Nam licet feruentiores Christiani ab vtroq; abstinebant olim, à vino tñ ex priuata deuotione abstinebant veriùs, quàm ex vllius præcepti necessitate. Carnes aũt ieiunantibus nunquã indultę comperiuntur: vnde pleriq; omnes monachum profesi à carnibus abstinẽt, à vino autem non item. Sed & multò faciliùs quoq; impetraueris à quopiã ieiunaturo, vt abstineat à carne quàm à vino cęteriscq;, quę cum eo cognationẽ habent; potus enim aquę vt palato, ita stomacho quoq; minùs est gratus. Deniq; primus homo non est lapsus per potum, vini, sed per pomum; neq; diabolus CHRISTVM tẽtauit per vinum, aut aliquid omnino hominem inebriare natum, sed tantùm per cibum; aiebat enim: *Dic vt lapides isti panes fiant.*

Carnes carnem magis saginant, quàm vini potus.

Vini vsus rarò vniuersè prohibetur, etiam ieiuniorum tẽpore.

Aquę potus plerisque parũ gratus.

Matth. 4.

VERVM hę postremę rationes eiusmodi sunt ferè, cuiusmodi est aduersarij argumentum, hoc est, ponderis non admodum magni. Qualis enim est hæc consecutio: Ecclesia non prohibet vinum, vel pingues pisces, quæ ipsa etiam inflammant, carnemq; saginant, ergo nec carnes quoque inhibere debuit? Nam vt iam dictum est, hæc non æquè saginant aut inflammant ac carnes: & vt maximè ex æquo saginarent & inflammarent, adhuc tamen ratio illa nulla esset: Quandoquidem quò plura inflammantia & saginantia consociantur, eò interior flamma maior efficitur: Facilius

Quò plura inflãmãtia coëunt, eò flamma exurgit maior.

cilius est autem, paruam flammam superare quàm magnam. Ad hæc nemo dubitat, satius esse, aliquid ab infirmo, vel inuito obtinere, quàm omnino nihil, legisque rigorem nonnihil mitigare, quàm totam legem refigere, hoc autem hîc locum habet. Denique quæcunque Aëriani contra ciborum delectum obiiciunt, ea, dum rectè expenduntur, eiusmodi sunt, vt rem magis statuant, quàm euertant. Et de prima Christiani ieiunij parte hæc hactenus; duas reliquas, quòd minùs latè pateant, paucioresque difficultates habeant, expediemus paucis.

Satis est aliquid ab ægro impetrare, quàm omnino nihil.

Ieiunium ab Ecclesia indictum constare non posse, si sæpius quàm semel interdiu corpus reficiatur.

CAPVT SEXTVM.

TANTVM cœnandum vel prandendum esse, dum Ecclesiastico ritu ieiunatur, id ex perpetua, constantique Ecclesiæ consuetudine veterumque traditione, necnon ex communi doctorum hominum sensu atque consensu manifestius est, quàm ex vlla synodali aut pontificia, quæ disertis verbis ea de re edita sit, lege aut constitutione.

DE veterum consuetudine nulla est quæstio. Nihil enim hoc scribi, aut dici potest planius: *De vespera ad vesperam affligetis animas vestras.* item: *Per diem affligetis animas vestras:* Atqui non fit probabile, Iudæos, à quibus ieiunationis modus maiorem partem in nos defluxit, præceptum illud eo sensu accepisse, vt interdiu quidem inediam tolerarent, nocte verò tota, Mahometanorum more, genio indulgerēt; siquidem eo ieiunationis ritu incensam DEI iram inflammassent veriùs, quàm placassent.

Leuit. 16.

Iudæi vsque ad vesperā ieiuniū producebāt, adeóque semel tantùm cibū sumebant.

IGITVR per diem ieiunabant, aliasque corporis molestias sponte subibant, luce verò exacta, exhaustas ieiunio vires cibo potúque instaurabant. Id quod primos quoque Alexandriæ Christianos ad Iudæorum exemplum præstitisse commemorat Philo gentis illius scriptor neutiquam ignobilis. Nullus, ait, ibi cibum, aut potum sumit ante solis occasum: nonnulli ex illis vix tertio quoque die famem sentiunt. nec desunt, qui prælauto sapientiæ epulo excepti, perdurent duplum eius temporis. Hæc ille & alia multa in eandem sententiam. Eundem ieiunandi ritum seruasse legun-

Primi Christiani Alexandrini vsq; ad vesperam ieiunabant. Lib. de vit. cont.

Primi monachi ante nostem ieiunia non laxabant, adeoque semel tantùm interdiu manducabant.

leguntur Paulus, Antonius, Hilarion, Pambo, cæteríque, qui ea ætate florebant monachi; tum reliqui religiosiores Christiani; quemadmodum capite proximo fusiùs id declarabitur. Hìc hactenus tantùm eius rei meminimus, quatenus certa coniectura hinc fiat, veteres, dum ieiunio vacabant, semel duntaxat cibum sumere consueuisse.

Ex iure Canonico hoc ipsum quoque vtcunque confirmari potest. Nam etsi ius illud nullum ea de re peculiare statutum ediderit, tulit tamen leges, ex quibus illud non omnino obscurè colligere licet. Nam de Consecratione cap. Quadragesima, seuerè cauetur vti quadragesimę ieiunium summa cum religione obseruetur, exceptis diebus dominicis. Iam cùm hi dies ciborum qualitate ab aliis non secernãtur, consequens fit, vt solo refectionum numero à cæteris secernendi veniant. Cùm itaque dominicis diebus corporis vires bis cibo refici soleant, (accedit enim communi prandio cœna) rectè Caietanus & alij ex eo Canone colligunt, diebus, qui ieiunio consecrati sunt, tantùm cœnare fas esse.

Dist. 5.

Dominici dies solo refectionũ numero à cæteris quadragesimalibus secernũtur.

Can. 13.

HANC collectionem validè confirmat Synodus Turonensis secunda, ætate Pelagij primi in Gallia celebratą. De ieiuniis verò, habet illa, antiqua à monachis instituta seruẽtur, vt de pascha vsq; ad quinquagesimam, exceptis rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. In Augusto, quia quotidie missę Sanctorum sunt, prandium habeant. Hactenus Concilium Turonense. Iam si ieiuniorum tempore non licet prandere, sed tantùm cœnare: Ergo semel duntaxat, dum ieiunio vacatur, cibum sumere fas erit: siquidem apud eos, qui sobriam ciuilemque vitam ducunt, moris non est cœnæ cœnam addere, aut post solis occasum sæpius comedere. Quamuis ergo ius Canonicum semel tantùm ieiuniorum die accumbendum esse disertis verbis non decernat, ea tamen decreuit, vnde istud minimè obscurè inferre licet.

Ipsum cœnæ vocabulũ, quo Cõcilia & Patres vtuntur, semel tantùm ieiuniorum tempore accumbendum esse arguit.

ADDE non minùs ea obligare, quæ ex Apostolica traditione, aut recepta maiorum consuetudine ad nos deuenerunt, quàm quæ certis legibus cauta sunt. notum est enim illud Augustini: Ecclesiasticarum institutionum, quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus; quasdam verò cõsuetudine roboratas approbauit vsus,

Apostolicæ traditiones non minùs obligãt, quã Synodorum Canones.

d. 11. Eccles. Iuo lib. 2.

vlus, quibus par ritus & idem pietatis debetur affectus. Et illud eiusdem: In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi DEI, & instituta maiorum pro lege seruanda sunt: & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum arcēdi sunt. Et illud tandem eiusdem: Quicquid in Catholica Ecclesia tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio vniuersalis, aut certè propria & particularis institutio. Auctoritate tota constringitur; vniuersali traditione maiorum nihilominus tota; priuatis verò constitutionibus & propriis informationibus, vnaquæque pro locorum varietate, prout cuique visum est, & subsistit, & regitur.

Eadem d. in his epist. 16. ad Casulā.

d. 11. Catholica lib. de fide Chri.

Quicquid in Ecclesia obseruat, aut scripturarū authoritate, aut maiorum traditione, aut priuata quorūdam institutione nititur.

CAETERVM dum ieiuniorum diebus tantùm cœnandum esse statuitur, non est id ita scrupulosè accipiendum, quasi cuiusuis rei etiam minimæ ante vel post cœnam sumptio, ieiunij præceptum statim infringat; non ita enim res habet: Nam salua ieiunij lege cùm interdiu, tùm vesperi quoque modicum quid, ne potus stomacho officiat, aut quò somnum, quem absque modico illo inire non poteras, inire valeas, accipere licet. Neque refert panisne id sit, an pomū, quod sumitur, an nux, an aliud quippiam eiusmodi; dummodo & modicum sit, & in fraudem ieiunij sumptum non sit.

Salua ieiunij lege, & ante & post cœnam modicum quid deguſtare licet.

IN fraudem autem ieiunij sumi communiter dicitur, quod famis sedandę causa, hoc est, per modum alimenti sumitur veriùs, quàm per modum medicamenti: Quanquam & hoc modo sumptum à noxa excusari queat; nisi id forsan, quod sumitur, fuerit tantum, vt veri ieiunij rationem omnino soluat. Nulla enim consuetudine à violati ieiunij culpa purgare se possunt, qui circa meridiē pransi, noctu rursum piscibus, vel pultibus, vel aliis eiusmodi obsoniis sub nocturnæ collationis schemate vtuntur, etiamsi tanta quantitate iis rebus non vtantur, vt famem plenè expleant. Nam communi doctorum hominum sententia, ea solùm tragemata ante vel post cœnam conceduntur, quæ de se ad corporis curationem ordinata non sunt, etiamsi aliquam nutriendi vim habeant. Quòd si qua alia sumuntur, ea in tam parua quantitate sumi debent, vt ieiunij legem non labefactent; vel certè vt medicinæ veriùs, quàm escæ rationem subeant.

Quid sit in fraudem ieiunij bibere, vel manducare.

Qualia extra prādiū, vel cœnam saluo ieiunio, ieiuniorum tempore sumere liceat.

ET

Quod vesperi hoc tempore, secundùm Ecclesiæ indulgentiã conceditur, hoc prãdio in cœnã reiecto, circa meridiem accipi potest.

ET quemadmodum vesperi, salua ieiunij lege, panis pauxillum cum vini haustu, aut pomum, aut aliud quodcunque eiusmodi (nisi forsan patriæ consuetudo alicubi reclamet) sumi potest; ita si negotiorum pondus, aut corporis constitutio, aut alia non leuis causa id postulet, eadem illa ieiunij lege integra, modicum quippiam circa prandium accipere licet, & noctu deinde cœnare. Nam hîc quoque refectionis vnitas non labefactatur, & inedia vltra consuetum tempus producitur. Quò autem ieiunium tardiùs soluitur, eò perfectiùs ieiunatur. Attamen quia istud non est admodum vsitatum, soletq; nouitas omnis de vitio suspecta haberi, consultè religioséque faciunt, qui absque pastoris, aut confessarij consilio, receptum ordinem non interuertunt.

Nouitas omnis de vitio suspecta.

AST posito, ieiunium Ecclesiasticum plures accubationes, corporisue refectiones non admittere, vt reuera non admittit, quæstionem adhuc habet, totiésne ieiunij legi obstrictus peccet, quoties sumptam semel cœnam vel prãdium instaurat? Aientem partem tuentur nonnulli. præcipua illorum ratio est, quòd præceptum ieiunij inter ea censeatur, quæ aliquid fieri prohibent. (Complectitur namque tres inhibitiones, puta non esse vescendum carnibus, non bis interdiu, non ante horam, ab Ecclesia præfinitam) quæ autem eiusmodi sunt, ea obligant semper. Constat enim, non solùm peccare, qui primò furatur aut adulteratur; verùmetiam qui secundò, & tertiò, & sic deinceps. Addunt, tertiam & quartam accubationem non minùs contra ieiunij finem, & legislatoris voluntatem facere, quàm secundam. Æquè enim tertia alit vitium, & mentem, ne in DEVM assurgat, deprimit, ac secunda.

Ieiunij lex complectitur tres inhibitiones.

Præcepta, quæ aliquid fieri vetant, toties noxã adducunt, quoties soluuntur.

NEQVE rationis huius neruum euerteris, inquiunt illi, si eos aduersùs legislatoris mentem, indictíq; ieiunij finem æquè committere dixeris, qui multùm, vel opiparè comedunt, vel diu mensæ accumbunt, multúmue cœnam aut prandium producunt, vel pinguia libidinemque inflammare solita obsonia mandunt, atq; eos, qui cœnam vel prandium repetunt. Nam etsi isthæc vitium non minùs alant, nec minùs quoque mentem prosternant, virtutumque vsum & incrementum præpediant, quàm mensa repetita, adeóque in hisce vtcunque conspirent, in cæteris tamen non parum inter se discrepant. Etenim quoties, dum ieiunatur intra

24. ho-

24. horarum ſpacium corpus cibo reficere liceat, aut expediat, id commodè prę finiri potuit; ciborum autem qualitas, & quantitas, cæteræque vnius refectionis circumſtantiæ non item; ſiquidem nec vna corporum omnium eſt conſtitutio, nec eadem omnium valetudo, nec idem omnium palatum. Vnde quod vni ſapit, id alteri deſipit, quod vni multũ eſt, id alteri parum eſt; quod vni prodeſt, id alteri obeſt; Deniq; difficillimum eſt, quantitatis medium punctim attingere. Atque ita non eſt mirum, ſi Eccleſia alterum definierit, alterum indefinitum reliquerit.

Quoties ieiunio rum diebus cibũ ſumere liceat, Eccleſia commodè definire potuit, cibi autem qualitatem & quantitatem cęteraque eiuſmodi non item.

SVNT ſanè hæ rationes non prorſus contemnendę; attamen oppoſita ſententia non modò eſt mitior, ſed rationi quoque conformior. Quandoquidem ieiunio altera accubatione iam ſublato violatóque, nihil illius fit reliquum, quod tertia, vel quarta, aut alia quacunque auferri, violaríue queat. Perinde enim res habet, ac ſi cui præceptum ſit, ne vas aliquod frangat, aut ne præfixam metam tranſiliat; nam vbi vas ſemel confregerit, aut metam præfinitam trãſilierit, in idem redit, in multásne partes comminuat, an in paucas; rurſus multísne paſsibus medium præteruolet, an paucis tantùm. Ad hæc ieiuniorum lex pœnalis eſt, iísque de rebus cauet, quæ ſua natura ſunt mediæ: ſiquidem bis vel ter interdiu cibum ſumere ſecundùm ſe adiaphorum eſt. Eiuſmodi autem leges reſtringi ſolent: nõ ergo vis illius ad quãlibet cibi ſumptionem ſeſe diffundit. Denique ſi tertia, & quarta, & reliquæ omnes, quæ has conſequuntur, eſſent culpę obnoxię, notabiles earũdem partes cum peccato quoque forent coniunctæ: ſiquidem totius & partium, vnde totum conflatur, par videtur ratio; atque ita ieiunium vno die citra cauſam violatum permulta ſimul peccata adduceret, quod non fit veriſimile. Agimus hîc autem de ea ieiunij prævaricatione, quæ contingit citra contemptum; nam qui ſecundam, & tertiam, & quartam, &c. adiungerent primę, in Eccleſiæ contemptum, illi vtique qualibet nouo peccato ſeſe obſtringerent.

Ieiunio per repetitam paſtionẽ ſoluto, nihil illi⁹ reſtat, quod altera ſolui queat.

Ieiunij lex cauet de rebus ſua natura mediis.

Qui in Eccleſiæ contemptũ ieiunium ſoluũt, tot peccata cõflant, quot diſtinctos paſt⁹ eodem die inſtaurant.

AT qui ab altera ſententia ſtant, obiicient hîc fortè: Qui poſt perpetuæ continentiæ votum, matrimonium init, toties peccat, quoties coniugale debitum efflagitat. Sic quoque, qui certo die à vino, vel carne, vel alio quouis eſculenti vel poculenti genere ſe abſtenturum promiſit, æquè dum ſecunda & tertia vice vinum

contra votum bibit, aut carnẽ comedit, culpæ fit affinis, ac dum primæ. Pari modo ſacerdos citra facultatem, aut iuſtam cauſam ſæpius eodem die celebrans, tot noxas capiti ſuo accerſit, quot miſſas poſt primam facit. Ad eundem itaq; modum, qui ieiunium indictum violant, nó ſolùm prima vice peccant, ſed etiam ſecunda, & tertia, & ſic deinceps.

Castitatis voto obstrictus omnẽ viam ad Veneris commerciũ sibi præcluſit.

Ad hæc paucis reſponderi poteſt, inter exempla iam allata, & plures die ieiunabili accubitus, magnam diſparitatem intercedere; Nam qui perpetuo continentiæ voto ſe obſtrinxit, omnem viam ad Veneris commercium ſibi præcluſit. Quare non ſolùm graui peccato ſe obligat, dum matrimonium initum primò conſummat; ſed poſtea quoq;, dum cõiugale debitum exigit; tenetur enim, quod in ſe eſt, ſemper caſtè viuere: per ieiunium autem non proſcribitur omnis manducatio; ſed certus tantùm limes manducationi præfinitur; quem qui temerè tranſiliunt, peccant, quia contra legem committunt. At verò ſemel prætergreſsi, & citra contemptum vltrà progreſsi, nulla noua labe ſe polluunt, quia ea progreſsione contra nullam legem committunt: Siquidem non erat illis prohibitum, ne multis paſsibus limitem tranſilirent; ſed tantùm, ne in limine vel infra limitem conſtituti, limitem ipſum tranſmitterent.

Qui vini potu vltroneo voto ſibi interdixit, toties peccat, quoties vinum bibit.

De abſtinentia à vino par eſt ratio; nam qui certo die à vino ſe abſtenturum promiſit, is toto illo die & quauis illius diei parte ad omnem vini potum oſtium ſibi præcluſit. Quare æquè committit, dum ſecundò, tertiò, vel quartò vinum bibit, ac dum primò. Quod tandem de repetita ſacrificatione adferebatur, illud multò plº diſsimilitudinis habet, quàm ſimilitudinis. Magis enim aduerſatur myſterio & venerationi, quæ tanto Sacramento debetur, tertia ſalutaris hoſtiæ immolatio, quàm ſecunda; & quarta magis quàm tertia &c. Quare niſi grauis neceſsitas vrgeat, & túc quoq; ſuperioris auctoritas accedat, nulli ſacerdotum fas eſt, bis aut ter eodem die incruentum illud altaris ſacrificium offerre. Excipimus hinc diem Seruatoris noſtri natalitiis ſacrum; eo enim ter ſacris operari licet.

Citra facultatẽ & grauẽ neceſsitatem nulli bis vno die ſacrificare licet.

Sunt qui nodi huius ſolutionem ex legiſlatoris mente, non ex ſchola aut ſcholæ argumentis petendam putent. Verùm hi (quod bona illorum venia dictum ſit) principiũ petunt. Siquidem de

de nulla alia re magis, quàm de legislatoris mente hîc disquiritur. Certum est enim, si Ecclesia ieiunium indicens, ita illud indicit, vt omnes epulares accubitus, præter primum ex æquo velit esse interdictos, culpæúe obnoxios, omnes præter primum peccato fore affines. Contrà verò, si solum secundum absolutè prohibet, solum secundum cum peccato fore coniunctum. Vtrum autem horum voluerit aut velit, hoc hîc disputatur; fit autem probabile, imò verò certum est, id voluisse & velle, quod mitius quodque filiorum suorum saluti vicinius est, & à laqueis nihilominus & conscientiæ tricis remotius est; cuiusmodi id est, quod posteriori sententia paulò antè adstructum est.

Ecclesia ieiunij indicens, solùm secundum accubitum sub peccato interdixit.

Facio autem eam coniecturam non modò ex rationibus & argumentis, pro secunda opinione suprà adductis, singulariq; illius erga filios suos benignitate, verùm etiam ex perpetua constantique eiusdem praxi & consuetudine. Neque enim ea, dum pœnitens diei cuiuspiam ieiunium se violasse confitetur, per ministros suos interrogare solet, terne an quater, an bis tantùm illo die cibum sumpserit: Atqui hoc omnino perquirere deberet, si singulæ epulationes peccato secundùm se essent obnoxiæ; alioqui enim pœnitentis statum non satis cognosceret; neque idoneam pœnam, aut satisfactionem eidem præfinire posset; siquidem maior pœna debetur duobus aut tribus peccatis, quàm vni tantùm.

Ecclesia manifesta praxi ostendit se secundam tantùm pastionem, ieiuniorum tempore prohibuisse.

At multò verò minùs scisitari consueuit, neglectúmne ieiunium per alterũ postea compẽsarit. Quod addo, propter quosdam, qui de proposita hîc controuersia verba facientes, tertiam & quartam & reliquas deinceps à peccato absoluunt, modò is, qui ieiunium se soluisse animaduertit, alio die, quo alioqui ieiunandum non erat, ieiunet, vel se ieiunaturũ statuat. Nam etsi vtile est, quod vno die omissum vel neglectum est, altero compensare, non est tamen illud necessarium. Nam si iusta de causa prætermissum est, omissione peccatum non est; sin autem iniusta vel non iusta, peccatum actu iam conflatum est, soláque pœnitentia aboleri potest.

Non est necessum, ieiunium vno die omissũ alio die redintegrare.

Dices forsan: si ratio, quæ ab Ecclesiæ benignitate paulò antè ducebatur, est firma, cõsequens fit, qui in Quadragesima vel alio die, quo per legem id non licet, ter aut quater aut etiam frequentiùs carnibus vescitur, eum vnum duntaxat peccatum admittere.

mittere. Quandoquidem carnibus vesci res est, secundùm se indifferens, credíq; potest, Ecclesiam perinde hîc atque in ieiunio in mitiorem partem inclinare; & tamen oppositum non solùm creditur, sed absolutè quoq; defenditur: puta toties vnumquemlibet fidelium peccare, quoties interdiu citra necessitatem carnibus vel aliis escis, pro temporis ratione inhibitis pascitur.

Tres inhibitiones, quæ in ieiunij legem cadũt, non eodem modo ad illud affectæ sunt.

Non est par vtrobiq; ratio; nam etsi Ecclesiasticum ieiunium tria prohibeat, videlicet ne die, quo ieiunium indictum est, carnem comedas; ne sæpius quàm semel interdiu cibum sumas; ne ante horam ab Ecclesia prę finitam, ieiunium soluas; attamen tres istæ negationes non eodem modo ad ieiunium se habent: Siquidem duæ postremæ non veniunt sub præceptum absolutè; sed tantùm vt sunt partes, vel quasi partes, ieiunium constituentes, prima autem cadit sub præceptum absolutè. Vnde toto illo tempore, quo indictum ieiunium decurrit, vim obtinet, adeóque iuxta præceptorum aliquid vetantium naturam, toties hîc peccatur, quoties esca inhibita interdiu sumitur. Cautum erat enim, vt toto illo tempore à carne abstineret: Sicut cautum quoque extat, vt toto vitæ tempore à rei alienæ contrectatione, aliisque peccatis abstineamus. At verò semel tantùm, vel non bis comedere, vel ante istam vel illam horam nõ comedere, istud non cadit sub præceptum Ecclesiæ absolutè; sed tantùm, vt est quædam conditio ad ieiunij rationem necessaria. Quare sublato iam per alteram manducationem ieiunio, semel comedere, vel non bis comedere, vel ante meridiem comedere, desinit esse cõditio ieiunij, & per consequens tertiò, & quartò, mensam repetere, vel meridiem non exspectare, non adducit nouum peccatum; quia non absolutè prohibitum, sed solùm vt ad seruandum ieiunium erat necessarium. Quapropter si rem rectè expendamus, non contingit hîc propriè à communi negatiuorũ præceptorũ regula exceptio, sed declaratur, quanam ratione eiusmodi negationes sub præceptum cadãt.

Toto tempore, quo indictũ ieiunium decurrit, carnibus vesci nõ licet.

Interdiu semel tantùm, aut non bis interdiu comedere, vel etiã ante meridiem nõ comedere, id non cadit sub p̃ceptum Ecclesiæ absolutè, sed tantùm vt sunt conditiones, vel partes ieiunij. Ieiunio itaq; per alterum accubitũ sublato, nõ amplius obligant.

Hinc iam planum est, quid ad præcipuam oppositæ sententiæ rationem dici queat: Etenim posito, humani iuris præcepta, quibus aliquid vetatur, eodem rigore & latitudine obligare, qua iuris naturalis: (id quod generatim concedi non solet: Interest enim plurimùm inter ea, quę suapte natura sunt mala; qualia sunt, quæ iure naturali inhibentur, & ea, quæ secundùm se sunt adia-

Non parũ interest inter naturalis & humani iuris præcepta.

phora,

phora, sed mala tantùm, quia inhibita) ad propositum argumentum respondetur, nullam hîc à communi illa negatiuorum præceptorum lege exceptionem fieri; sed solùm exponi, quatenus ieiuniorum die sæpius comedere, sit contra præceptum vel præter præceptum. Cui hæc responsio, quæ vera & solida est, non placet, is responsum habeat, id nunquam facere licere, quod lege inhibitum est, verùm Ecclesiam non inhibuisse tertiam, aut quartam accubationem; sed eam tantùm, qua ieiunium soluitur, hoc est secundam.

Ecclesia non inhibuit tertium aut quartum accubitū ieiuniorum die, sed illū tātùm, quo soluitur ieiunium, hoc est, secundum.

AD secundum eiusdem sententiæ argumentum maiori ex parte responsum est iam antè: dictum est namque, finem, propter quem legislator legem condit, non esse de ratione præcepti, sed illud tantùm, quod lege vel præcepto cauetur. Neque enim, si qui mentem ad DEVM non eleuant, aut carnis petulantiam non coercent, aut virtutum suppellectilem nō augent, ideo nō ieiunant, modò tamen omnia, quæ ieiunij lex præfinit, accuratè seruent; Nam tria hæc ita ad ieiunij finem pertinent, vt tamen extra ieiunij substantiam existant. Quòd si legislator æquè obligaret ad legis finem, atque ad legis materiam, hoc est, ad id, quod lege mandatur, aut vetatur, legi plenè satisfacere difficillimum foret. Quod de multo, opiparo, &c. eidem rationi addebatur, admitti potest. Fatendum est tamen, non idem esse prorsus, lautè vel multùm comedere, & sæpe comedere: hoc enim per se carnis fomitem auget, illud tantùm per accidens. Quæ autem eiusmodi sunt, ea ad certā regulam cogi non possunt. QVAE hactenus exposita sunt, semel tantùm ieiuniorum die cibum sumere licere, ostendunt: proximum est, vt paucis nunc exponamus, quánam diei hora eiusmodi cibum sumere fas sit.

Finis præcepti, aut legislationis scopus sub præceptum non cadit.

Difficile foret legi satisfacere, si legislatoris mēs sub præceptum caderet.

Qui Ecclesiastico ritu ieiunant, vel non prandere, sed tantùm cœnare: vel solito tardiùs prandere.

CAPVT SEPTIMVM.

CERTA præfinitaq; soluendi ieiunij hora, Christiano ieiunio vsq; adeò intrinseca est, vt ab ea sola appellationem traxisse videatur; dicimur namq; vsq; ad sextam, vel nonam, vel noctem ieiunare, quasi tota

Ieiunij Ecclesiastici ratio deposcit præfinitam horam.

vel præcipua ieiunij vis in prorogatione inediæ vsque ad tardiorem horam sit posita: Sed & communi quoque piorum omnium sententia eò rectiùs religiosiusque, si cætera sint paria, vnusquilibet ieiunat, quò tardiùs prandet; eò contrà minùs rectè minusq; religiosè, quò maturiùs ieiunium relaxat.

Eò rectiùs ieiunatur, quò cibus tardiùs sumitur.

ECQVAM, inquis, horam lex, vel consuetudo soluendo ieiunio præfinit? Sanè vt temporis lapsu in ciborum delectu, vnaque corporis refectione nonnulla accidit mutatio; ita non eadem apud omnes semper cœnandi hora obtinuit. Hebræi & primi Christiani ad initium noctis ieiunia plerunque producebant. Notum est enim illud Scripturæ: *Omnes filij Israël venerunt in domum* DEI, *& sedentes flebant coram Domino; ieiunauerunt́q; die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt holocausta, & pacificas victimas.* Et illud eiusdem: *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesq; viri, qui erant cum eo, & planxerunt & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul & super Ionatham filium eius, & super populum Domini.* Et infrà rursum: *Cùm veniisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, claro adhuc die iurauit Dauid, dicens: Hæc faciat mihi* DEVS, *& hæc addat, si ante solis occasum gustauero panem, vel aliud quicquam.* De primis Christianis antea similia ex Philone & aliis audiuimus.

Iudæi & primi Christiani ieiunia ad noctẽ vsque producebant.

Iud. 20.

2. Reg. 1.

2. Reg. 3.

EVNDEM ieiunandi ritum seruabãt prisci monachi quoq; & multi præterea alij pij religiosiq; Christiani. Athanasius: Pernoctabat in oratione sæpissime, edebat semel in die post solis occasum: quandoq; biduo ac triduo sic permanens, quarto demum die reficiebatur. Hieronymus: Inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantùm caricis post solis occasum comedens. Idem: Sit vilis & vespertinus cibus. Basilius Magnus: A vino abstines, sed ab iniuriis tibi non temperas; expectas vesperam, vt cibum capias; sed diem totum absumis ad tribunalia. Hæc Basilius non de monachis, sed de vulgaris vitæ hominibus; ex quibus planum fit, trecẽtos annos post CHRISTVM passum, si non passim ab omnibus, certè à pluribus vsque ad noctem ieiunatum fuisse.

In vit. Anton.

In vit. Hilar.

Epist. ad Paulin.

Hom. 1 de ieiu.

Trecentis annis post Christum ieiunium à pleriq; vsq; ad noctis initiũ producebatur.

ATverò post Basilij ætatem, intepescente iam sensim primo illo feruore, cœptum est cœnæ tempus aliquot horas antè capi. Quarta & prosabbato, scribit Epiphanius, statum est ieiunium vs-

Lib. de hæres.

que

que ad horam nonam. Concilium Cabilionense: Solent plures, qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox vt signum audiuerint, ad horam nonã manducare, qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si antè manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium. Concurrẽdum est enim ad missas, & auditis missarum solennibus, & vespertinis officiis, & largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est; si quis verò constrictus fuerit, vt ad missam venire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium soluat.

De cons. d. 1. Solent.

Quondam ieiunio adiungebãtur eleemosynæ, & preces aliaq; eiusmodi.

HAEC porrò vsque ad horam nonam ieiunandi consuetudo inde exorsa, perpetua quadã serie vsq; ad Thomæ Aquinatis ætatem, qui trecentos plùs minùs annos memoriam nostram antecessit, sese porrexit: Siquidem vbi is de hora, qua ieiunium ab Ecclesia indictum soluere licet, disputat, inter cætera ita scribit: Ieiunium ordinatur ad deletionem & cohibitionem culpæ. Vnde oportet, vt aliquid addat supra communem consuetudinem; ita tamen vt per hoc non multùm natura grauetur. Est autem debita & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam: tùm quia iam videtur completa esse digestio nocturno tempore, naturali calore interiùs reuocato, propter frigus noctis circumstans, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei, vsque ad summum solis ascensum; tùm etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget iuuari contra exteriorem aëris calorem, ne humores interiùs adurantur. Et ideo vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat, pro culpæ satisfactione, conueniens comedendi hora taxatur ieiunantibus circa nonam. Conuenit etiã ista hora mysterio passionis CHRISTI, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. Ieiunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni CHRISTI conformantur, secundùm illud Apostoli ad Galatas: *Qui autẽ* CHRISTI *sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hactenus Thomas, à cuius sententia Alexander, cæteriq́ue, qui eo tempore vixerunt & scripserunt, non dissentiunt, hoc solo dempto, quòd quidam ex illis horam nonã in tota sua latitudine accipiunt.

22. q. 147. 7.

Ieiunium ordinatur ad culpæ inhibitionẽ & expiationem.

Ieiunantes passioni Christi cõformantur.

COMPLECTITVR autem ea hora tres partes ex æquo diuisas, harum prima decurrit à duodecima vsque ad primam, media hinc

hinc vsque ad secundam, postrema inde vsque ad tertiam. Quamobrem si nonam in tota sua latitudine acceperimus: & illi hora nona ieiunium soluere haud ineptè dicentur, qui audita duodecima prandium auspicantur; & illi rursum, qui post primam; & illi item, qui post secundam; & illi tandem, qui post tertiam. Neque pugnant cum hac assertione, quæ ex Aquinatis sententia iam allata sunt. Nam etsi D. Thomas ad postremam nonæ partem magis spectasse videatur, quàm ad primam, vel mediam, hoc ipso tamen vtramq; admittit, quòd non asserit, veteres nona finita cœnare solitos, sed circa nonam; constat enim ☽ circa quandam latitudinem complecti. Nec obstat quoque exemplum, quod de CHRISTI perpessione idem autor adducit. Quamuis enim crucis mysterium ad nonæ finem fuerit expletum, fuit tamen ad nonæ principium inchoatum; pependit enim CHRISTVS tres integras horas viuus in cruce, videlicet à duodecima vsque ad tertiam, siue, vt Euangelista loquitur, à sexta vsque ad nonam.

Hora nona, qua olim ieiunium soluebatur, complectitur tres vel quatuor partes, puta initiũ primæ, secũdæ, & tertiæ, & finẽ tertiæ.

Crucis mysteriũ ad nonæ initium, hoc est, ad duodecimã, inchoatum, sed ad finem eiusdem horæ absolutũ.

VERVM vtcunq; veteres nonam horam acceperint, aut ieiunium soluerint (post meridiem autem soluisse, satis compertum est) hoc sanè tempore multò plures comperias, qui vndecima diei hora vertente, hoc est, sub tertiæ horæ finem ieiunium soluant, quàm qui sacro audito, precibusque expletis, & eleemosynis inter egenos distributis nonam aut vesperam expectant. Neque ideo tamen, si cætera bona fide præstant, non ieiunant. Nam consuetudo à maioribus scita & tacitè approbata, in plerisque positiui iuris cõstitutionibus idem ferè robur obtinet, quod lex ipsa. Quandoquidem vt eiusmodi leges vtentium consensu firmantur & inducuntur, ita semel firmatæ & inductæ, contraria consuetudine denuo infirmantur, & tandem omnino abolentur. Porrò sacris interesse, preces fundere, eleemosynas erogare, aliáque, quæ Cabilionense Concilium exigit, præstare, ita est salutare & fructuosum, vt tamen non sit aliquod intrinsecum ieiunij mẽbrum. Quare licet isthæc, si adsint, ieiunij meritum augeant, eiusdem tamen rationem non infirmant, si absint.

Consuetudo à maioribus scita & approbata vel non improbata absoluit eos à ieiunij solutione, qui hora vndecima vel aliquãtò etiam citiùs prandent.

QVAMVIS ergo tempore Epiphanij & Augustini; imò verò ab auorum & atauorum nostrorum memoria, CHRISTI fideles vsque ad horam nonam ieiunium producerent, & nonnulli quoque vsque ad vesperam, hac tamen ętate, appetente vndecima vel duode-

duodecima, hoc est, crassa quadam æstimatione hora meridiana, vbi patriæ consuetudo non reclamat, ieiunium soluere licet; siue iam tum fames adsit, vt plerunq; solet; siue omnino nulla. Quandoquidem inedia aut corporis molestia non est conditio ad ieiunij rationẽ necessaria, multò verò minùs circumstantia ad quodvis præceptum requisita. Fideles autem non obligantur ad circumstantias in lege vel statuto non expressas, nisi illa sit communis, hoc est, talis, quæ ad nullam non legem deposcatur; non est ergo opus cœnam tantisper differre, dum insigniter fameas, aut capitis vertigine labores, aut tam parcè cœnare, vt continua inedia langueas.

Inedia vel fames non est conditio ad ieiunium necessaria. Quare nõ est opus cœnam tantisper differre, dum fames torqueat.

IMO verò vitio quàm virtuti affinius esset, propter eiusmodi causas statutam, aut patria cõsuetudine receptam prandendi horam notabili spacio prorogare. Quum refectionis hora venerit, scribit Cassianus, refectio sumatur, etiamsi homo non esuriat. Siquidem hoc modo parcimonia meliùs seruãtur, quàm si refectio vsq; ad esuriem differatur; quia in magna esurie auidiùs & minùs temperatè sumitur refectio. Hæc ille & rectè quotidianæque experientiæ consentaneè. Addo his, si ieiunium famem aut corporis molestiam necessariò includeret, nullum certum tempus, quo illud soluere liceret, ab Ecclesia præfiniri posse. Sunt enim, qui citra incommodum vsque ad noctem inediam ferant: sunt alij, qui meridianum tempus vix expectant: sunt denique, qui hoc possunt, illud non possunt, prout non omnes vnius eiusdemque constitutionis sunt, sed vnus huius, alter illius, alius rursum alterius.

In patr. coll.

In magna fame cibus sumitur auidiùs & intemperantiùs.

Si inedia de ieiunij ratiõe foret, nulla certa hora, qua illud soluere liceret, cõstitui posset.

NEQVE obstat his, quòd sacræ literæ, ex quibus ieiuniorum origo fluxit, nõ alio quàm afflictionis nomine ieiuniũ designant, quasi tota vel potissima illius vis in cruce, animæue, vel corporis afflictione consistat. Nam cùm DEVS per Moysen afflictionem præcipit, dicens: *Mense septimo affligetis animas vestras, nullumq; opus in eo facietis.* Rursum: *Affligetis animas vestras in eo religione perpetua; & offeretis holocaustum Domino.* Demum: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis*: non præcipit afflictionem secundùm se; Ea enim nec libera est, neq; ad ieiunij rationẽ necessaria est, sed præcipit tantùm opera, quæ ex se nata sunt afflictionẽ adferre, tametsi nõ semper adferant. Cuiusmodi inter cætera sunt ieiuniũ,

Leuit. 11. 16.

DEVS Iudaico populo afflictionem indicẽs, nõ ipsam per se afflictionem indicit, sed opera crucem ciere nata.

& à delicatioribus escis abstinentia, vestitus asper, vigiliæ, chameuniæ, aliaq; id genus complura. Nam vt horum opposita sensum quadam suauitate & voluptate perfundunt; ita hæc ipsa eundem nonnihil plerunq; offendunt.

Iudæi afflictionis vocabulum præposterè, & crassè interpretabantur.

AT verò Iudæi afflictionis notionem crassè, vt cætera solent, accipientes, nullum verum aut propitiatorium ieiunium citra verum cruciatum constare posse persuasum habebant. Quare si quando ex ipsa ieiunatione, nullum doloris sensum hauriebant, ne minùs religiosi haberentur, aut ieiunij fructum perderent, inediam vltra consuetam indicti ieiunij metam prorogabant; aut quædam externa symbola, quæ de interno cruciatu spectatoribus fidem facerēt, adhibebant: quo etiam nomine CHRISTVS Dominus meritò illos notat: *Cùm*, ait, *ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt videātur ab hominibus.* Sed & Esaias quoque eam superstitionem neutiquam obscurè notat; ait em: *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum? & saccum et cinerē sternere?* quasi dicat, nequaquam. Fatemur nihilominus, non de omnibus Iudæis promiscuè hæc accipienda esse; sed de quibusdam tantùm; habebat enim Iudæa suos quoq; Sanctos, tametsi non ita multos.

Matth. 6.

Cap 58.

Ieiunia ad tria conferunt.

FATEMVRęquè (nam hoc quoq;, qui pro Iudęorū consuetudine stant, obiicere solent) domesticum hostem, ne insurgat, per ieiunium comprimendum, DEOq; pro admissis faciendum satis, necnon vitiosis habitibus exturbatis, studiosos inferendos esse. Verùm vt hæc consequamur, non est opus formali aliquo corporis cruciatu, aut carnis afflictione; sed abunde sat est, si ea adhibeantur, quæ eiusmodi effectum ex se progignere nata sunt: Vel quæ ab Ecclesia in hunc finem præfinita sunt. Fatemur tandem cum Gregorio & Bernhardo, quos ipsi etiam in causæ suæ patrocinium aduocant, ventris clamorem, eiusdemque rugitum non semper audiendum, hoc est, non semper id illi deferendum esse, quod postulat, præsertim si superuacanea postulet, vel ante tempus ius suum vrgeat; at hinc non consequitur, ventris rugitum eiusdemúe clamorem, hoc est, esuriem aliamúe corporis afflictionem ad intrinsecam ieiunij rationem pertinere. Aliud est enim, ventrem intempestiuè clamantem audire, aliud tantisper, dum

dum clamet, cœnam vel prandium differre. Licet ergo circa meridiem ieiunium soluere, siue fames tunc aliqua adsit, siue nulla omnino.

Tres de accubationis horæ quæstiones non inutiles.

DVBITABIT hîc fortè quispiam, an, vt refectionis horã vsu receptam, vel lege definitam, ad quantumlibet spacium prorogare licet; (modò ex Iudaica, vel Mahometica supstitione ea prorogatio non contingat) ita quoq; eandem, salua ieiunij lege, quãtocunq; spacio anticipare liceat? Tum rursum, decuerit vel expedieritne, vt Ecclesia aliquod tempus, ante quod prandere vel cœnare non liceret, præfiniret? Tum demum horæne vsu vel legis statuto receptæ obseruatio, eo modo & ratione de Ecclesiastici ieiunij integritate existat, vt ea prorsus neglecta, veri nominis ieiunium nullum èsse valeat. De his quidam disputant prolixè, nos singula expediemus paucis.

Ecclesia nõ præcipit, vt ieiunij hora sexta vel nona soluatur, sed vetat, ne ante illud tempus soluatur.

PRIMVM quæsitum difficultate caret. Nemo enim ambigit, eiusdem rationis non esse, anticipare & producere: siquidem hoc est supererogationis, quia maioris crucis; illud simpliciter transgressionis. Ecclesia enim nusquam præcepit, vt hora nona vel sexta ieiunium soluatur, sed ne ante illud tempus soluatur vetuit. Adhæc non indixit illa ieiunium, quò carnem foueamus, verùm quò illam maceremus, spirituiq; subiiciamus; at quò inedia differtur magis, eò illa affligitur intensiùs; sicut ediuersò quò esurienti stomacho occurritur maturiùs, eò carnis sensus cruciatur remissiùs. Tandem ieiunium ab Ecclesia institutum non solùm complectitur certum ciborum delectum, vnamq; corporis refectionem, vt antè iam dictum est, sed certam quoq; præfinitamq; cœnandi horam. At si cuiq; ita liberum foret anticipare, sicut liberum est prorogare, nullum prorsus certum refectionis tempus fieret reliquum. Non ea itaque libertate cœnæ tempus anteuertere, qua illud differre licet.

Non licet cœnæ tempus anteuertere, dum ieiunio operadatur, sicut licet illud prorogare.

AD alterum respondetur, omnino necessarium fuisse, vt Ecclesia ieiuniorum lege obstrictis præfiniret aliquod tempus, ante quod ordinariè cibum sumere non liceret. Nam si cuique integrum esset, cœnare vel prandere, quando vellet, non solùm magna inter ieiunantes confusio & dissimilitudo obtineret, verùm multi quoque, qui alioqui ieiunaturi erant, ieiunium violarent: ægrè namq; à cœna se cõtinerent, qui summo mane pransi essent;

Necessariũ fuit, vt Ecclesia tempus præfiniret, ante quod ieiuniũ soluere ordinariè non liceret.

quippe cùm illi quoque experientia teſte vix ſeſe contineant, qui circa meridiem ieiunium ſoluerant. Ad hæc cùm extra ieiuniorum tempora communi populi vſu & conſuetudine, ſuæ ſint prandiis & cœnis horæ conſtitutæ, quæ rarò quoque in ciuitatibus benè inſtitutis prætermitti ſolent, cur ieiuniorum ſoluendorum tempora, quę DEo deuotioniq́ue ex profeſſo dedicata ſunt, cuique libera relinquerentur? Deniq; cùm ſtatæ preces ſtatis horis ex Apoſtolorum traditione in DEI Eccleſia ſolitæ ſint perſolui, magnamq́; cum eiuſmodi precibus ieiunia connexionem habeant, (Eſt enim longo iam tempore in Eccleſia vſitatũ, vt veſpertinæ preces in Quadrageſima prandio, nonæ verò horæ aliis ieiuniorum feriis prę̃mittantur,) rationi omnino cõſentaneum erat, vt ieiunio ſoluendo certum tempus determinaretur.

Vt certæ preces certis horis, ita ieiunia certis p̃cibus ſunt accõmodatæ.

DICVNT quidam: non eadem omnium eſt natura corporúmue cõſtitutio, neq; vna omnium occupatio, neq; eadem tandem temporum aut locorum ratio: nõ idem ergo omnibus tẽpus præfiniri debuit, puta ſexta aut nona? Addunt alij; ieiunium eſt opus vel actus abſtinentiæ, abſtinentiæ autem non ſolùm temporis anticipatio aduerſatur, verùm etiam ciborum quantitas & qualitas, nimiaq́; edendi auiditas, & præparandi anxietas. Notum eſt enim illud Gregorij: Quinq; modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando enim indigentiæ tempora præuenit: Aliquando non præuenit, ſed cibos lautiores quærit: Aliquando quæ ſumenda ſunt, procurari accuratiùs expetit: Aliquando autem & qualitas ciborum & tempus congruit, ſed in ipſa quantitate ſumendi, menſuram refectionis excedit. Nonnunquam & abiectius eſt, quod deſiderat, & tamen in ipſo eſu immenſi deſiderij deteriùs peccat. Cùm ergo de quatuor poſterioribus nihil cautum exſtet, videri queat, nihil de primo quoque ſtatui debuiſſe.

D 5. de conſ. Quinque.

Quinque modis gulæ vitium tẽtat hominem.

NEGARI ſanè non poteſt, non vnam omnium corporum eſſe conſtitutionem, nec eandem etiam locorum & temporum omnium rationem; verùm hinc non ſequitur, nullam certam ſoluendo ieiunio horam fuiſſe præfiniendam. Primò nulla vnquam lata eſt lex, ſed nec vlla quoque ferri poteſt, quæ omnibus æquè ſit commoda. Deinde tempus illud tam commodè definitum eſt, vt nemo de illius mora iure conqueri queat. Etenim cùm plurimi paſsim propter occupationes, vel alias cauſas prandium vſque

Nulla omnino lex ſertur, quę omnibus æquè ſit commoda.

que ad vndecimam vel duodecimam sponte differant, quid magni aut quod grauamen est, si Ecclesia caueat, ne quis ante vndecimam vel duodecimam ieiunium soluat? Postremò si quis est, qui tantisper ieiunare commodè non potest, ille cum bona superioris venia prandeat citiùs, & reliquas ieiunij partes seruet.

CAETERVM non est eadem ratio vnicæ accubationis, abstinentiæ à carnibus, & statæ horæ: Quandoquidem vna refectio, ieiunio generatim saltem accepto, est magis intrinseca, quàm abstinentia à carnibus, aut ciborum delectus. Quare Iudæorum vulgus ita ieiunium ad noctem vsque producebat, vt tamen post solis occasum omnia, quæ lex permittebat, promiscuè manducaret. Abstinentia rursum à carnibus magis est de eiusdem substantia, quàm stata præfinitáque hora. Quamobrem si quis ea corporis constitutione est, vt ieiunare omnino non queat, nisi tempestiuè admodum prandeat, vel carnes comedat, faciliùs cum eo dispensabitur, vt tempestiuè prandeat aut cœnet, quàm vt carnes manducet. Imò verò non desunt, qui eos à toto ieiunio liberos pronuncient, qui citra carnium vsum ieiunium ferre non valent. Porrò secundam corporis refectionem ieiunium Ecclesiasticum nullo modo admittit; vnde cuicunque facultas facta est, vt bis interdiu cibum sumat, is à ieiunij lege planè est absolutus. Carne tamen eiusmodi vesci non debet, si sine carnibus viuere commodè potest. Latiùs enim patet lex de abstinentia à carne lata, quàm ieiuniorum præceptum.

Vna accubatio inter ieiunij partes primas tenet, proximas ciborum delectus, postremas stata hora.

Ieiunium Ecclesiasticum nullo modo fert alterâ accubationem.

AD secundum dicitur, de ciborum qualitate & quantitate, de cœnationis modo & ratione, de esculentorũ præparatione aliisq; hisce cognatis non ita procliue fuisse certi aliquid statuere, ac de refectionis tempore; Nam, vt alibi indicatum est, quod vni multum est, hoc alteri parum est, & vice versa. Rursum quod vni sapit aut conuenit, hoc alteri neque sapit neq; conuenit, prout quisq; durè vel molliter est educatus. Non enim eisdem vescuntur viri principes & homines vulgares, plebei & nobiles, pauperes & diuites. Sic quoque cùm cibi auiditas, vel nimia quorundam edacitas oriatur ex interna corporis constitutione, prauáque consuetudine subinde augeatur, nõ potuit certa aliqua lege eiusmodi vitium integrè compesci. Qui enim insigniter fament, vix, quin in appositas escas auidè inuolent, se continent: Sic tandẽ de præparandis

Edacitas, quæ ex corporis constitutiõe nascitur, prauaq; consuetudine paulatim augetur.

dapibus nullum ſtatutum edi potuit, quod æqualiter omnibus conueniret; vt enim homines hominumq; conditiones & ſtatus ſunt varij; ita menſæ & cibi, quibus vtuntur, ſunt diuerſi. Diuerſi autem cibi diuerſum poſcunt præparandi ſtudium. Verùm etſi quatuor poſtremę gulæ filiæ non ſoluant ieiunium, vt ab Eccleſia eſt inſtitutum; quò ad meritum tamen vel fructũ, ſi non in totum ſoluunt ſemper, in totum tamen vel in partem ſoluere poſſunt.

Gulę filię ieiunij meritũ ſæpe ſoluunt, ipſum autẽ ieiunium non item.

AD tertium quęſitum maiorem partem iam antè reſponſum eſt; dictum eſt enim, omnes tres conditiones eſſe de intrinſeca Eccleſiaſtici ieiunij ratione; neque illud ſuis numeris & partibus cõſtare poſſe, ſi vel vna ex iis omnibus defuerit. Dictum eſt æquè, tria illa, quæ ad ieiunij integritatem depoſcuntur, certo quodam ordine ad illud ſeſe habere. Nam vt ex veterum Hebræorum conſuetudine probatum eſt, vna interdiu refectio magis eſt de intrinſeca illius ratione, quàm ciborum delectus, & hic rurſum magis, quàm ſtatuta accubationis hora; quamuis & ea quoque communi Chriſtianorum omnium ſenſu atque conſenſu de illius ratione exiſtat. Quicunque enim eo die, quo ex lege vel conſuetudine ieiunandum eſt, quempiam ſummo mane manducantem cernit, ſtatim eiuſmodi conceptum apud ſe format; ille non ieiunat; neq; peccat eiuſmodi iudicij efformatione; peccaret tamen, ſi talẽ peccati reum pronunciaret; quia forſan habuit iuſtam cauſam, cur tam tempeſtiuè cibum caperet.

Qui manè cibũ ſumit, communi mortalium iudicio non ieiunat.

EX hoc autem, quòd omnes omnino homines vnanimi ſententiâ iudicant, eos non ieiunare, qui tot horas cõſuetum prandendi tempus antecapiunt, euidenter colligitur, horam ieſunio ſoluendo, lege vel conſuetudine definitam, quæcunque tandem illa ſit (accidit namque maior in vna hac re, quàm in cæteris ieiunij partibus mutatio,) de ieiunij neceſsitate, eiuſdemque integritate non minùs eſſe, quàm tectum vel paries de integritate domus. Nam ſi de eiuſdem neceſsitate nõ eſſet, communi omnium iudicio & voce nón negaretur ieiunium eſſe, quod tam tempeſtiuè ſoluitur. Quilibet proinde conſuetam prandendi horam æquè ſeruare obligatur atque ipſum ieiunium; peccantque non minus, qui horam illam citra cauſam iuſtè excuſantem inſigniter anticipant, quàm qui aliam quamuis ieiunij conditionem non ſeruant.

Commune omniũ iudicium non facilè fallit.

EADEM

EADEM hac ratione euidenter quoq; probatur, bis ieiuniorum die cibum sumere, aliud esse, quàm Christianè ieiunare; nam quicunq; videt illum cœnãtem, quem certò antè prandium nouit, statim dicit, & verum dicit; ille non ieiunat. Idem omnino de illo citra temeritatem pronũciare licet, qui ieiunalibus diebus carnibus vesci conspicitur: Quandoquidem si citra vllam necessitatem & dispensationẽ illis vescitur, Ecclesiastico ritu nequaquam ieiunat. Si autem tantæ debilitatis vel tam afflictæ valetudinis est, vt carnem comedere omnino necesse habeat, nulla lex ad ieiuniorum legem illum obligat. Atque ita siue necessitas excuset, siue temeritas incuset, qui carne vescitur, Christianè nõ ieiunat. Quin etiam canone Solent, disertè pronunciatur, eos ieiunare censendos non esse, qui ante nonam, quę tum temporis vsitata erat, ieiunium soluunt. Et vt maximè nulla lege cautum extaret, ne quis ieiuniorum tempore ante sextam aut nonam cibum caperet, adhuc vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ hoc habet, æquè ad eius temporis obseruationem adigeret, ac si certa ea de re lex promulgata foret.

Qui bis interdiu, aut carnem manducat, Ecclesiastico ritu non ieiunat.

De consec. d. 1.

Vniuersalis Ecclesiæ consuetudo legis vim obtinet.

NEQVE, est vt quis hîc cauilletur, per statæ horæ definitionem conscientiis laqueum iniici: Siquidem hora illa non consistit in puncto, sed in quadam ciuili latitudine. Vnde vt de ea constet, non est necessarium, vt quis adhibeat astrolabium, machinaléue aut solare horologium, sed sat est, si commune iudicium in medium adferat; siue iudicium illud sextæ vel nonæ punctum attingat, siue infra illud cõsistat. Nam excedere, nullum est peccatum; imò quò prandium tardiùs sumitur, eò rectiùs ieiunatur. Sed & minùs quoque in horæ anticipatione peccatur, & faciliùs dispensatur, quàm in reliquis ieiunij partibus. Vnde si iter est faciendum, vel opus aliquod statim à prandio inchoandum, si amici vel hospites adsunt, si calor est vehemens, si deniq; aliquid aliud est, quod consuetam prandij horam nonnihil anteuertere suadeat, citra noxam illam nonnihil anteuertere licebit. ATQVE hæc de tribus ieiuniorum partibus, siue eas substantiales, siue integrales appelles, hactenus: Proximum est, vt de eorundem inter se discrimine & partitione nonnulla quoq; in medium adferamus; hanc enim tractandi methodum ipsa rei natura deposcit.

Si adsit causa, licet prandij horã nonnihil anticipare ieiuniorum tempore.

Non

Non vnam ieiuniorum omnium rationem, neque parem eorundem obligationem esse, sed quorundam maiorem, aliorum minorem.

CAPVT OCTAVVM.

Ieiuniorum alia libera, alia necessaria, & cuiusmodi sint vtraque.

IEIVNIORVM alia sunt necessaria, alia libera. Libera vocamus, quę ita cum laude & merito suscipiuntur, vt tamen citra noxam prætermitti queant. Necessaria dicimus, quæ præcepti vim obtinent, adeóque citra causam iustè excusantem inculpatè omitti non valent. Necessaria pleraque omnia certa tempora sibi vendicant; libera non omnia, sed aliqua ex iis tantùm.

Spontaneorum ieiuniorũ quædã communia, quędam priuata.

LIBERORVM, quæ spontanea dici possunt, quædam sunt communia, alia priuata. Priuata appellamus, quæ vnusquilibet, quandocunq; visum fuerit, priuatim vsurpat: Siue illa vsurpet, quò vitium aliquod debellet; siue vt beneficiũ aliquod à DEO Optimo Maximo impetret; siue vt cladem ceruici impendẽtem propellat. Communia vocamus, quæ certo definitóque tempore à religiosioribus Christianis celebrantur, etsi non ab omnibus; tũ ea quoque, quæ cum vniuerso fideliũ cœtu obseruant ij, qui nulla alioqui ieiunij lege tenentur; siue lex ab eiusmodi vinculo eos absoluat, propter ætatis vel corporis imbecillitatem; siue propter laborum magnitudinem aut negotiorum molem; siue propter aliã quamcunque causam iustè excusantem.

Quę ieiunia hoc tempore generatim libera.

INTER ieiunia (nisi votum, aut peculiare statutum, aut peculiaris loci cuiuspiam consuetudo obstet) hac ætate libera censemus ieiunium prosabbati, sabbati, & ferię quartę; ieiunium maiorum litaniarum & rogationum; ieiunium aduentus Domini; ieiunium quolibet mense recurrens; ieiunium D. Ioannis Baptistę natiuitatem dies aliquot antecedens, & alia præterea nonnulla, quorum in sacris Canonibus & quorundam quoq; Patrum scriptis fit mentio. Nam etsi nonnulla ex illis in nascentis Ecclesiæ exordio, & aliquot etiam secula postea, fuerint necessaria; vtpote magna seueritate indicta, communique populi consensu & vsu recepta, nunc tamen multis retro annis, quod ad potiorem sui partem attinet, abierunt in dissuetudinem, adeóq; ex necessariis facta sunt libera.

Multa ieiunia nunc libera, quę olim fuerũt obligatoria.

QVOD

QVOD ea autem ieiunia, quæ obiter hîc nunc attigimus, aliquando non fuerint libera, sed absolutè præcepta, id apud eos, qui in veterum monumentis mediocriter versati sunt, quæstionem non habet; attamen quòd hoc tempore non desint, qui de ieiuniorum multitudine conquerantur; alij, qui omnia ieiunia indiscriminatim Christiano homini libera relinqui volunt, placet hoc loco pauca quædam ex veteribus Canonibus & Scriptoribus repetere, quæ ieiunia illa, quæ paulò antè hac hominum memoria libera esse diximus, olim obligatoria, magnáque seueritate præcepta fuisse clarè ostendant. Nam si aliud nihil, minimùm discemus hinc, quantum à primo illo primorum Christianorum feruore, mortificationisque studio paulatim recessum sit.

Iniusta hoc tempore querela de ieiuniorũ multitudine.

DE ieiunio itaque prosabbati & feriæ quartæ octauus supra sexagesimum Apostolorũ Canon ita loquitur; Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit, deponitor; præterquàm si imbecillitate corporis impeditur: Si laicus sit, cõmunione priuator. En grauissima pœna Apostolorum ætate in eos cõstituta, qui prosabbati & feriæ quartæ ieiunium citra causam violassent. Neq; enim ob rem leuem, aut Clericus exauctorari, aut laicus communione priuari solet, sed ob peccatum longè grauissimum.

Ieiunium prosabbati & feriæ quartæ tempore Apostolorũ sub anathemate indictum.

HVC quoque pertinet illud Clementis principum Apostolorum discipuli: In quarta feria & parasceue nobis ieiunium indixit (Petrus); in illa ob proditionem, in hac ob passionem. Iussit & in ipso quoque sabbato ieiunare. Et illud Innocentij primi: si sexta feria propter Domini passionem ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam & lætitiam temporis illius videtur inclusum: Nam constat Apostolos biduo illo, & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse. Vtique non dubium est, intantùm eos biduo memorato ieiunasse, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta non celebrari. Et illud Epiphanij:

Lib. 5. cap. 16. Apost. const.

D. Petrus ieiunium sabbati, prosabbati & feriæ quartæ indixit.

Epist. 1. ad Dec. cap. 4.

Cur Ecclesia sacro parasceues die & sabbato proximo, Sacramenta non celebret.

COMMVNIONES ordinatæ sunt fieri ab Apostolis quarta & prosabbato & dominico. Quarta verò & prosabbato ieiunium statutum est vsque ad horam nonam. Et paucis interpositis subdit: Apostoli statuerunt vt in his diebus ieiunia fierent, ita vt impleatur dictum hoc; *Cùm ablatus ab ipsis fuerit sponsus, tunc ieiunabunt in*

In doctrina compen. de fide Catho.

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Hō. 10. in Leui. *illis diebus.* Et illud Origenis; Habemus Quadrageſimæ dies conſecratos ieiuniis. Habemus quartam & ſextam ſeptimæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Et illud Damaſceni: Aërius nulli Arrianorum ſecundus, adiecit quædam de ſuo; negat enim quicquam offerendum eſſe pro mortuis. Ieiunium feria quarta & ſexta, & & quadraginta diebus ſeruari, & paſcha celebrari prohibet; ſtata hæc dānat omnia. Et illud Apolonij: Ieiunia legitima, id eſt, quarta & ſexta feria non ſunt ſoluenda, niſi grandis aliqua neceſsitas fuerit; quia feria quarta Iudas de traditione Domini cogitauit, & ſexta feria crucifixus eſt Saluator. Videbitur ergo, qui in his diebus ſine aliqua neceſsitate ſoluerit ſtatuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cum crucifigente crucifigere. En omnes iſti idem ſtatuunt de ieiunio ſabbati, proſabbati, & feriæ quartæ, quod de ieiunio Quadrageſimæ; hoc autem ſtrictè obligauit ſemper.

Lib. de Hæreſ.

d. 3. de conſe. ieiunia.

Cur feria quarta & ſexta ieiunandum.

Epiſt. ad Caſulanum.

PERTINET huc quoque illud Auguſtini: Cur ſexta & quarta maximè ieiunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quòd conſiderato Euangelio ipſa quarta ſabbati, conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi. Intermiſſo autem vno die traditus eſt nocte, quæ iam ad ſextam ſabbati, qui dies paſsionis eius manifeſtus eſt, pertinebat. Et illud Iſidori:

Lib. 6. cap. vlt. etym.

Quid ſtatio proprie.

Luc. 18.

STATIO eſt obſeruatio ſtatutorum dierum vel temporum; Dierum, vt feriæ quartæ & ſextæ ieiunium ex veteri lege præceptum, de qua ſtatione in Euangelio dixit ille: *Ieiuno bis in ſabbato*, hoc eſt, quarta & ſexta ſabbati. Et alio rurſum loco idem: Præter hæc autem legitima ieiuniorum tempora omni ſexta feria propter paſsionem Domini à quibuſdam ieiunatur. Sed & ſabbati dies à pleriſque propter quòd in eo CHRISTVS iacuit in ſepulchro, ieiunio conſecratus habetur; ne ſcilicet Iudæis exultando præbeatur, quod CHRISTVS ſuſtulit moriendo. Hæc ætiologia eſt planior: Neque enim ideo ieiunamus feria quarta & ſexta, quòd Iudæi illos dies ieiunio conſecratos haberent, ſed quòd CHRISTVS altero venditus, altero cruci affixus, altero rurſum ſepultus eſſet. Eadē ad verbum repetit Rabanus. Et illud Theophylacti:

Lib. offic. ca. 42.

De cle. inſt. c. 23.

Ad ca. 14. Marc.

FERIA quarta conciliū conuenit, propterea nos ieiunamus quartis feriis. Et illud tandem hiſtoriæ tripartitæ: Perdurabat

Lib. 11. cap. 17.

Theodo-

Theodosius in frigore & similiter in æstu, plerunque ieiunabat & maximè quarta & sexta feriis. En quanta de ieiuniis sabbati, pro sabbati, & diei Mercurij testimonia, quæ omnia, Ecclesiæ pastoribus conniuentibus, vitiisque & carnis illecebris paulatim crescentibus, iam olim vsque adeò sunt laxata & eneruata, vt ex tribus ieiunij partibus solam à carnibus abstinentiam reliquam habeamus; quamuis ne hanc quidem satis integrè. Paucæ enim prouinciæ reperiuntur, quæ die Mercurij à carnibus abstineant, imò non desunt, quæ sabbato quoque carnes manducent, etsi id ex sedis Apostolicæ gratia & condonatione magis, quàm ex lege.

Theod. Imp. ieiunat feria quarta & sexta, perduratque in frigore & æstu.

Erat priscis temporibus feria secunda in ieiuniis quoque, verùm id non apud omnes promiscuè; sed apud monasticen professos, publicæque pœnitentiæ mancipatos præcipuè. Presbyter, habet Gangrensis Synodi decretum, si fornicationem fecerit, vsque ad expletionem septimi anni omni quidem tempore (exceptis paschalibus diebus) tres legitimas ferias in vnaquaq; hebdomada in pane & aqua ieiunet; expleto septimi anni curriculo, si fratres, apud quos pœnituerit, eius congruam pœnitentiam laudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta beati Calixti auctoritatem, eum reuocare poterit. Sanè sciendum est, quòd secundùm feriam, vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, si opus fuerit, redimere poterit. Simile ieiunium Ioannes, eius nominis octauus, iniũxit illis, qui excommunicati sacrum ministerium contingere ausi fuerant. Sanctio illius, citante Gratiano, ita habet:

d. 82. Presbyter.

Pœnitẽtia sacerdotis in fornicationem lapsi.

De illis presbyteris, qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri Domini Papæ Nicolai excommunicati, sacrum ministerium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis (sicut Canones statuerunt) sententiam intulerunt: tamen quia miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illius, hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione saginati, studeant tribus annis continuis per hebdomadam omni tempore secunda & quarta & sexta feria à vino & carne penitùs ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere. Quòd autem veteres Monachi feriam secundam in ieiuniis habuerint, id ex Turonensi Synodo audiuimus antè, idem ex eadem paulò pòst denuo audituri.

11. q. 3. de illis.

Veteres Monachi feria secunda plerunque ieiunabant.

De litaniarum ieiunio pauciora minusque solennia prodita extant, extant tamen & de illis nonnulla quoque synodalia decreta. Etenim Concilium Aurelianense primum tempore Hormisdæ in Gallia celebratum, non solum triduo illo ieiunium, sed vacationes quoque à seruilibus operibus indicit; cauet enim: Rogationes, hoc est, litanias ante ascensionem Domini placuit celebrari; ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ ascensionis solennitate soluatur. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat: Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.

Can. 29. Dies rogationũ quondã solenni ieiunio celebrati.

Concilivm porrò Moguntiacum Carolo Magno adhuc imperante celebratum ieiunio, & precibus cinerem quoq; & cilicium adiungit. Sanctio illius ita sonat: Placuit nobis, vt litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, non preciosis vestibus induti, sed discalciati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impediuerit. Non fit hîc expressa ieiunij mentio, nihilominus ex adiunctis res est manifesta; siquidem cilicia, & cineres, & nudipedalia à ieiunio & abstinentia antiquitùs nunquam ferè seiungebantur. Accedit huc quoq; quòd Canon se referat ad maiorum statuta; atqui trecentos annos ante id tempus vulgò per illos dies ieiunia obtinebant.

Can. 33.

Quo ritu veteres Germani celebrarint maiores litanias, rogatio numque dies.

Qvod si veteres Germani rogationum dies tanta deuotione & pietate celebrabant, facile est, diuinare quo animi sensu, quantaque religione Quadragesimæ ieiunium obseruarint. Cæterùm ex hoc Rogationum ieiunio idem fere nobis relictum est, quod ex ieiunio sabbati, prosabbati, & diei Mercurij, abstinentia nimirum à carnibus; quanquam istud quoque non omnino plenè; siquidem quibusdam locis dies illi, quod ad ciborum delectum spectat, à cæteris nihil discrepant. Alicubi primò & vltimò abstinetur, interiecto autem, hoc est, die martis non abstinetur. Alibi solus vltimus inter ieiunales habetur. Denique quæuis regio suos hîc habet ritus & consuetudines, à quibus, si bonæ sunt, indigenis recedere non licet. Interim verum est, quod diximus, nempe rogationum ieiunium secundùm se absolutè hac ætate nõ esse præcepti, sed tantùm consilij.

Magna hac ætate varietas in dierum rogationũ obseruatione.

Ad

AD Dominici aduentus ieiunium pertinet illud Innocentianum: Ieiunium apud nos in aduẽtu Domini agitur. Hoc ieiunium in solis ferè monasteriis hac tempestate obtinet, cùm æquè tamẽ ab Apostolis institutum credi queat, ac ieiunium Quadragesimę. Quod si qui extra monasteria ętatem agentes, illud seruant, nullo legis vinculo compulsi seruant, sed solo virtutis amore pietatisq; studio ducti.

De obserua. ieiunij consilium.

Romæ in aduẽtu Domini quõdam ieiunatum.

DE ieiunio menstruo Concilium Elibertinum ita cauet: Ieiunia vel abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Iulij & Augusti ob eorundem infirmitatẽ. Hæc Elibertinæ Synodi Canon vigesimustertius, qui subobscurus est: Siquidẽ ex hoc decreto certò colligi non potest quotoquolibet mensis die ieiunaretur, aut quot intra mensem diebus ieiunaretur; nam toto mense ieiunatum fuisse non fit verisimile; nisi quis forsan sanctionem illam non ad omnes, sed tantùm ad monachos pertinuisse existimet: Quandoquidem Synodus Turonensis secunda, toto anno excepto tempore paschali, & mense Augusto monachos ad stata quædam ieiunia obligat. verba Canonis sic habent:

Cano. 23.

Canon. Con. Elibertini de ieiunio mẽstruo sub obscurus.

DE ieiuniis antiqua statuta à monachis seruentur; vt de pascha vsque ad Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, fratribus omni die prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. Postea vsque ad Calendas Augusti ter in septimana ieiunent, secunda, quarta, & sexta die, his exceptis, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto quotidie prandium habeant. In Septembri toto & in Nouembri ter in septimana ieiunent. In Decembri vsque ad natalem Domini omni die ieiunent: inter natalem & Epiphaniam excepto triduo item prandebunt. Post Epiphaniam vsque ad Quadragesimam ter in septimana ieiunent: Hactenus Turonense Concilium de monachorum ieiuniis, quæ hac ætate non ita frequentem vsum habent. Nam etsi monachi frequenter ieiunent, non vbique tamen eum ieiunandi ritum obseruant.

Cano. 18.

Ieiuniorum ritus & modꝰ monachis in Turonensi Synodo ꝓfinitus, maiorẽ partẽ in dissuetudinem hoc tẽpore abiit.

QVATVORDECIM dierum ieiunium ante Ioannis Baptistæ natalem omnibus Christianis indicit Synodus Salegunstadiensis, ante quingentos annos in Oppido Selgenstad vulgò appellato celebrata. Synodi decretum ita sonat: Volumus, vt quatuor-

Cano. 1.

Ieiuniũ quatuor decim dierũ ante D. Ioannis festum quondam indictum & celebratum.

decim dies omnes Christiani ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solennitate. Quòd autem non de sola à carne & sanguine abstinentia, sed de perfecto ieiunio agat, id, quæ in eodem illo Canone mox subiungũtur, planum faciunt; sequitur enim: & ante natiuitatẽ Domini similiter, & in vigilia Epiphanię, & in omnibus vigiliis Apostolorũ, & in vigilia assumptionis S. Mariæ, & in vigilia S. Laurentij, necnon etiam in vigilia omnium Sanctorum. Hæc sanè de sola abstinẽtia à carne & sanguine commodè exponi non possunt: Constat enim plerasq; vigilias hoc loco recensitas integrum ieiunium deposcere. Huius mense Iunio indicti ieiunii nullum, quod equidem sciam, hoc tempore extat vestigium: Vnde multò magis est liberũ, quàm cętera, quorum hactenus meminimus. Tantam in statuendis & abrogandis legibus vim habet consuetudo. At iam ad ieiunia necessaria reuertamur; de his enim ex instituto in hoc opere disserimus.

Magna vis consuetudinis in statuẽdis & abrogandis legibus.

Ieiuniorũ legitimè indictorum quædã sunt cõmunia, quædam loci alicuius ꝓpria.

IEIVNIORVM porrò necessariorum seu prĕceptorum, quędam sunt communia, quædam propria. Propria appellamus, quæ non passim per Ecclesiam celebrantur, aut præcepti vim obtinẽt; sed in certis tantùm prouinciis, Diœcesibus, Collegiis, vel Ecclesiis. Cuiusmodi sunt ea ferè, quę ob peculiarem aliquam causam, peculiarium prouinciarum, Diœcesium, Ecclesiarum, vel Collegiorum Rectores, in locis, iurisdictioni suæ subiectis, instituũt, vel olim instituerunt. Nam vt vnusquilibet sui compos voto vel iuramento ad certum ieiunium seipsum obstringere potest; ita Metropolitani vel Diœcesani, populi consensu antecedente, ob illustre aliquod beneficium toti prouinciæ vel diœcesi diuinitùs collatum, in gratiarum actionem, vel ad propulsandam præsentem aliquam pestem, aut cladem impendentem, aliquod peculiare ieiunium vel festum instituere possunt.

Metropolitani & Diœcesani populi cõsensu accedente ieiunia & festa indicere possunt.

COMMVNIA è diuerso ea dicimus, quæ non in hoc vel illo priuato loco; sed passim per orbem Christianum obtinent. Nec hunc rursum vel illum populum seorsim ad sui obseruationẽ obligant; sed omnes, qui aliâs à ieiunij lege non absoluuntur, promiscuè. Nec ab hoc demum, vel illo priuato Episcopo vel Prælato indicta sunt; sed à supremo totius Ecclesiæ magistratu. Cuiusmodi est ieiunium Quadragesimæ, quatuor temporũ, & quarundam vigilia-

Communia & propria ieiunia in tribus discrepant.

vigiliarum: Atque tria hæc sunt potissima, in quibus communia & propria ieiunia inter se discrepant. In aliis autem maiorem partem conspirant.

ETENIM tria illa, quæ intrinsecam ieiunij rationē absoluunt, communibus & propriis ex æquo conueniunt, nisi quis forsan de hoc q̄tionem moueat, quòd ciborum delectus in Quadragesima aliquātò est accuratior, quàm extra Quadragesimā. Nam in Quadragesima, nisi patriæ cōsuetudo vel pontificis indultū aliud permittat, non solùm à carnibus abstinendū est, verùm etiam ab ouis & lacte & caseo, cæterisq; , quę ex carne originem trahunt. At verò in extraquadragesimalibus ieiuniis, nisi mos patriæ alicubi reclamet, lacticiniis vti licet. Consentiunt hoc rursum, quòd vtraq; inculpatè violantur, cùm iusta rationiq; cōsentanea adest violandi causa; aut eiusmodi, quæ bona fide iusta censetur, esto reuera iusta non sit, aut dubia quoque, superioris tamen auctoritate approbata. Nam qui ratione vel superioris auctoritate nititur, siue agat, siue ab opere cesset, non facilè fallitur.

Communia & propria ieiunia in tribus conueniunt.

CONSENTIVNT hoc tādem, quòd neutra citra culpam temerè soluuntur. Neq; enim ij solùm peccāt, qui communia citra causam iustè excusantem, vel piam necessitatem violant, sed ij etiam, qui loci alicuius propria infirmant. Vnicuique, scribit Rabanus, vt lubet, ieiuniorum modum habere licet, seu inediam extendere: seruata præ omnibus constitutione legitimorum ieiuniorum, quæ suprà commemorauimus, quæ generaliter sancta & Apostolica seruat Ecclesia: Sed & illa quoque seruare oportet vnumquemque, quæ cōmuniter omnibus facere, siue pro tribulatione, siue pro gratiarum actione proprius Ecclesiæ mādat Episcopus. Quia qui constituta & demandata ieiunia seruare neglexerit, peccat; qui autem expletis legitimis priuata superaddiderit, propriam mercedem habebit. Hæc Rabanus, quæ planum faciunt, non tantùm communia obligandi vim obtinere, violataq; noxam adducere, sed loci quoq; cuiusque propria.

Lib. 2. ca. 25. de Cler. instit.

Peccant, qui cōstituta ieiunia negligunt, siue ea propria fuerint, siue communia.

VERVM enimuerò licet omne omnino ieiunium obligatorium absq; causa calcatum noxam adducat, non quoduis tamen semper parem: Quandoquidem ea maiorem adducere solent, quæ à maiori auctoritate sunt profecta, ea contrà minorem, quæ à minori potestate sunt indicta. Cùm ergo maior sit auctoritas Aposto-

Non omnia ieiunia paris sunt obligationis.

Apostolorum & totius Ecclesiæ, quàm cuiuscunq; Metropolitani; & huius rursum potior, quàm cuiusuis Diœcesani aut alterius cuiusque inferioris Prælati; fit, vt cæteris exæquatis, magis peccent, qui citra iustam causam frangunt vel contemnunt communia, quàm qui propria: Siquidem communia omnia ab Apostolis vel sede Apostolica, vel, quod in idem ferè redit, ab vniuersalis Ecclesiæ auctoritate sunt orta, & promulgata. Et inter eos, qui soluunt propria, magis offendunt, qui ea flocci faciunt, quæ religiosè obseruantur in tota prouincia, quàm qui ea, quæ in vno solo Episcopatu, vel in vna tantùm parochia, aut in vno solùm Collegio.

Communia ieiunia maiorem partem ab Apostolis orta.

Svnt qui inter communia & propria hoc quoque intercedere asserunt, quòd hæc illis plerunque sint minùs diuturna. Nam etsi propria perpetua esse queunt, sicut propria quoque festa; ferè tamen eiusmodi non sunt, siue id inde eueniat, quòd causas habeant plurimùm momentaneas; siue inde etiam, quòd priuatæ Ecclesiæ rector facili momento id soleat euertere vel antiquare, quod alius instituerat. Communia autem quòd maiori ex parte perpetuas vel graues certè causas habeant, non ea facilitate abrogantur, quamuis per contrariam consuetudinē abrogari queāt: Quemadmodum multa iam, quæ in primitiua Ecclesia piè & religiosè obseruabantur, nunc in dissuetudinē abierunt. Quare nulla simpliciter sunt perpetua, hoc est, ita firma, vt opposita consuetudine vel alio modo labefieri non queant.

Communia ieiunia plerunq; magis diuturna, quàm propria, & quare?

Nullum ieiuniū ita firmū, quod cōtraria consuetudine abrogari non queat.

Caetervm inter communia ieiunia hoc præter cætera intercedit, quòd præferiarum pleraque omnia ab Ecclesiæ Hierarchis, post Apostolorum consummationem sunt instituta. Quadragesima autem ab ipsis Apostolis est nata. Idem affirmant quidam de ieiunio, tertio quoque mense recurrente. Alij aliud de illius origine statuunt. Vtcunque res habet, certum est æquè in veteri Testamento adumbratum esse atque ieiunium Quadragesimæ. Scriptum est enim: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras.*

Quid intercedat inter cōmunia ieiunia.

Zachar. 8.

Vt ergo Apostoli ad Moysi, Eliæ, & Christi exemplum instituerunt ieiunium Quadragesimale; ita, vt quibusdam placet, ad similitudinem ieiunij, quod Iudæi quarto, quinto, septimo, & decimo

decimo mense celebrabant, quatuor temporum ieiunia instituerunt. Verùm de hac re loco magis idoneo postea: hîc enim de Ecclesiasticorum ieiuniorum qualitate, eorundemq; inter se discrimine solùm disputamus. Porrò de communium ieiuniorum generibus non est quòd aliquam peculiarem tractationem hîc instituamus: Siquidem ex iis, quæ hactenus dicta sunt, satis exploratum est, omnia communia ieiunia ad tria capita reduci, nempe ad ieiunium Quadragesimæ, ad ieiunium quatuor temporum, ad ieiunium præferiarum, seu vigiliarum. Quòd si quid adhuc superest, quod explicatione indiget, id, dum de singulis seorsim disseremus, palàm fiet.

Omnia communia Ecclesiæ ieiunia ad tria capita referuntur.

Inter communia ieiunia, quodcunq; tandem spectare lubeat, principem locum obtinere ieiunium Quadragesimæ.

CAPVT NONVM.

SACROSANCTVM Quadragesimæ ieiunium in tanta apud veteres veneratione fuit, vt quidã primi nominis Theologi non humanam institutionem, sed diuinam traditionem esse scribere nõ dubitauerint. Sed & illi ipsi quoq;, qui illius originem & institutionem ad Apostolos referunt, vt pleriq; omnes referunt, non absq; secreta DEI inspiratione ab iisdem institutum disertè asserunt.

Ieiunium Quadragesimale in magna apud veteres veneratione fuit.

CAETERVM Quadragesimæ nomine aliud nihil hoc loco accipimus, neq; deinceps accepturi sumus, quàm quadraginta dierũ ieiunium; siue illud ordinarium fuerit, humanæq; naturæ viribus aptum; siue extraordinarium, communesq; naturę vires excedẽs. Ordinarium fuit Niniuitarum; nam etsi primo triduo, cuius solius scripturæ meminerunt, fuerit quodãmodo extraordinarium, (abstinebãt enim homines & pecora ab omnibus) reliquis tamen 37. diebus (quadraginta enim totos dies ieiuniis, aliisq; pœnitẽtię muniis vacasse creduntur, non tres tantùm) fuit communi ieiunantium legi consentaneum. Prodigiosum & quasi extraordinarium fuit Moysi, Eliæ, & CHRISTI. Transegerunt hi enim 40. dierum interuallum absq; vllo omnino cibo & potu, id quod solis naturæ viribus instructi, præstare non poterant.

Quid accipiatur nomine quadragesimæ.

Ionæ 3.

Moysi, Eliæ, & Christi ieiunũ prodigiosum.

QVIN post CHRISTVM quoque, Moysen, & Eliam comperti sunt, qui peculiari DEI spiritu adiuti corroboratiq;, tantum dierum interuallum absq; vllo naturali alimento transmitterent. Nam vt de aliis, quorum alij meminerunt, nihil dicam, Theodoretus peruetustus scriptor refert, Simeonem quendam insignem DEI seruum, Moysi & Eliæ diuinorum virorum exemplo 40. dies sic ieiunasse, vt post eos sacram communionem, & postea lactucas, aliaq;e ægrè admitteret. Id ipsum ter præstitisse commemorat idem auctor Maranam & Cyram sanctas mulieres. De ieiunio hebdomadario absque vllo cibo transacto extant plura exempla, quàm vt paucis referri queant. Quæ sanè ieiunia si prodigiosa extitisse negas, miraculi certè manifesti expers non erat, quòd tali ieiunio se affligentes æquè vegeti comperiebantur die vltimo, quo ieiunandi finem faciebant, ac primo, quo ieiunare cœperant.

In Philo. ca. 26.

Comperti post Christũ & Moysen, q totos 40. dies absque vllo cibo & potu trãsmitterent.

Cap. 29.

Admirabile ieiunium Simeonis Maranæ, & Cyræ.

DE numeri huius quadragenarij mysteriis & symbolis multi multa adferunt. Nos Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, aliosq; veteres ea de re differentes audire malumus, quàm priuatam sententiam depromere. Ambrosius: Quadraginta dies mysticum numerum agnoscis. Tot enim diebus aquas abyssi effusas esse meministi. Tot ieiunio dierum sanctificato refusam cœli serenioris esse clementiam. Tot dierum ieiunio Moyses perceptionem legis emeruit. Tot annos in eremo constituti Patres panem Angelorum & cœlestis alimoniæ gratiam consecuti sunt. Nec antequam mystici numeri tempus replerent, terram promissionis intrare meruerunt. Tot dierum ieiunio ad Domini Euangelium nobis patescit ingressus. Vnde si quis Euangelij gloriam fructumq; resurrectionis optat adipisci, mystici ieiunij præuaricator esse non debet.

Ad c. 4. Luc.
Genes. 7.
Genes. 8.
Exod. 34 v. 4.
Matth. 4.
Lucæ 4

HIS cognata sunt hæc Augustiniana: Salutaris & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo DEVS effusis de cœlo imbribus, vniuersam terrã diluuio superfudit. Vides ergo in illo tempore mysterium in figura depositum. Nam sicut tunc 40. diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc 40. diebus miseretur ad hominem purificandum. Et alio rursum loco idem: Quadraginta dies sepulturæ, quos commemorat scriptura, fortè signi-

Ser. 67. de temp. Genes. 7.

Lib. 1. c. 169. q. sup. Genes.

significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Non eñ frustra 40. dies ieiuniorum sunt cõstituti, quibus Moyses & Elias & ipse Dominus ieiunauit. Et Ecclesia præcipua obseruatione ieiuniorum Quadragesimam vocat. Vnde & in Hebræo de Niniuitis apud Ionam Prophetam scriptum perhibent: Quadraginta dies, & Niniue subuertetur: Vt per tot dies pœnitẽtium humiliationi accommodatos, intelligatur in ieiuniis sua defleuisse peccata, & impetrasse misericordiam DEI. Hæc ea diserte confirmant, quæ paulò antè de Niniuitarum ieiunio ad quadraginta dies porrecto asserebantur.

Gen. 50.

Exod. 24. 34. 3. Reg. 19. Ionæ 3.

Niniuitæ ad 40. dies ieiuniis, aliisque pœnitentiæ operibus vacarunt.

SED & Hieronymus quoque locum iam citatum exponens, idem neutiquam obscurè confirmat; scribit enim: Quadragenarius numerus conuenit peccatoribus, ieiunio, & orationi, & sacco, & lachrymis, & perseuerantiæ deprecandi. Ob quod & Moyses quadraginta diebus ieiunauit in monte Syna, & Elias fugiens Iezabel 40. dies ieiunasse scribitur. Ipse quoque Dominus verus Ionas missus ad prædicationem mundi, ieiunauit 40. dies; & hæreditatem nobis ieiunij relinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero animas nostras præparat. Nam si Niniuitæ triduum tantùm ieiunassent, aliisque pœnitentię officiis sese occupassent, parum omnino ad rem facerent, quæ de quadragenario pœnitentialium dierum numero, de Moysi, Eliæ, & CHRISTI veri Ionæ ieiunio hic adfert Ionæ interpres. Constat enim, hos omnes non tres tantùm, sed 40. totos dies ieiunasse.

Ad c. 3. Ionæ.

Exodi 34. 3. Reg. 19. Matth. 4. Lucæ 4.

IDEM Hieronymus de numeri huius symbolis, eiusdemque mysteriis alio loco ita scribit: Numerus quadragenarius afflictionis & pœnitentiæ est; vnde & Moyses, & Elias, & ipse Saluator 40. diebus & noctibus ieiunarunt; & per 40. annos populus errat in solitudine, vt postea circumcisus in Galgalis, opprobrio & ignominia Aegypti liberaretur: in cuius numeri Sacramento & hic Prophetæ Ezechiel pro tribu Iuda 40. dies dormit in dextero latere; & quadringentis annis populus seruiturus in Aegypto indicatur, qui faciunt 40. decades, siue quatuor hecatondades. Pluuiæ quoque diluuij 40. diebus inferunt orbi naufragium. Iustum enim erat, qui per quatuor elementa, quibus omnia constare dicuntur, DEVM offenderat, in ipso numero puniretur.

Ad c. 29. Ezech. Exod. 24. 34. 3. Reg. 19. Lucæ 4. Iosue 5.

Gen. 15.

Gen. 7.

Hom. 16. in Euangel.

BEATVS Gregorius 40. dierum ieiunium, quasi anni decimas à nobis exigi alicubi tradit. A prima Dominica Quadragesimæ, scribit ille, vsq; ad pascha Dñi sex hebdomadæ computantur, quarum videlicet 42. dies sunt, ex quibus dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, nõ plus in abstinentia quàm 36. remanent. Verbi gratia, si per 365. dies annus voluitur, deinde per 36. affligimur, quasi anni decimas DEO damus; sed vt sacer numerus 40. dierum adimpleatur, quem Saluator noster sacro suo ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum 40. dierum, id est, quarta feria, quę est caput ieiunij, subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta feria, & sabbatum. Nisi enim istos dies quatuor 36. superioribus adiunxeris, 40. dies in abstinentia non habemus. Iubemur autem ab Omnipotente omnium bonorum nostrorum decimas dare. Hactenus Gregorius.

Per Quadragesimæ ieiunium anni decimas DEO persoluimus.

EANDEM quadragenarij ieiunij rationem, post Gregorium, assignat etiam Isidorus. Cassianus cæteris mystici numeri huius symbolis addit etiam 40. mãsiones, quas populus Israëliticus habuit in deserto. Quatuor adiectitias dies, quæ quadragenarium numerum iuxta B. Gregorij expositionem explent, quidam ad eorum peccatorum punitionẽ referunt, quæ ex inordinato creaturarum, quæ ex quatuor elementis cõflantur, amore proficiscũtur. Alij ad eorum, quæ ex quatuor capitalibus animi affectionibus oriuntur. Nonnulli ad expletionem quatuor temporum, quę in Quadragesimam incidunt. Alij aliô, prout in eiusmodi symbolis quilibet in suo sensu abundare solet.

De quatuor diebus, qui sex quadragesimæ hebdomadib. ad 40. dierum numerũ expletdum adiiciantur, variæ sententiæ.

IEIVNII porrò quadragesimalis ritus, siue ciborum delectum, siue dierum numerum, siue ieiunationis initium spectes, non idem fuit apud omnes semper, sed alius frequẽter apud alios populos & nationes: De vario ciborum delectu agunt hæc Socratis Scholastici Constantinopolitani: In ieiuniis ciborum abstinẽtiam non similem habent. Nam alij ab animatis omnino abstinent: Alij ex animantibus pisces solummodo comedunt: Quidam cum piscibus vescuntur etiam volatilibus, dicentes hæc secundùm Moysen ex aqua habere substantiam: Alij verò etiam à carnibus & ouis abstinent: Quidam sicco tantùm pane vescuntur: Alij ne hoc quidem. De diuerso autem dierum numero hæc D. Irenæi differunt.

Nõ eodem ritu, modo & tempore Quadragesimæ fuit celebrata apud oẽs. Lib. 9. cap. 38.

In eiscis tempore Quadragesimali magna apud veteres varietas.

NON

Non de die paschali solùm, sed etiã de ieiunij ratione & modo est ista constituta controuersia. Quidam namque vnum diem se ieiunare existimant, alij duos, non pauci plures, multi 40., atq; diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis diem suam metiuntur & statuunt. Atque eiusmodi eorum, qui hæc obseruabant ieiunia, varietas & discrepantia non nostra ętate cœpta est, verùm etiam longè antè apud maiores nostros, qui, vt coniectare licet, non accuratè consuetudinem illorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate, aliquid in posterum tempus statuissent, obseruarunt. Hucusque Irenæus.

Epistol. ad Vict. Pont. Max. Euseb. li. 5. c. 24.

Ætate Irenæi & de Quadragesima & de paschatis ratione controuersia nõ parua.

Non multùm ab his discrepant hæc Hermiæ Sozomeni: Iam illam, quæ hinc processit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus ieiunat, alij in sex dierum septimanas computant, vt Illyrij & qui ad occidentem siti sunt, nec non & vniuersa Lybia & Ægyptus cum Palęstinis: Alij in septem, vt Constantinopolitani & nationes circumiacentes vsque ad Phœnices: Alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant: Alij tres pascha immediatè præcedentes continuant: Alij duas, vt Montani Sectatores. Hæc Sozomenus.

Lib. 7. c. 19.

De diuerso tandem exordiendi modo & hæc ipsa agunt. (certum est enim, qui septem hebdomadas ieiunãt, citiùs inchoare Quadragesimam, quàm qui sex tãtùm: & qui sex, citiùs rursum, quàm qui tres solũ; & qui tres septimanas, citiùs quàm qui vnam solùm aut duos dies ieiunant. Statuimus hîc enim, omnes ad solennitatem paschalem, ieiunium absoluere, illudque eodem vbiq; tempore celebrari.) Et ea rursum, quæ venerabilis Beda ea de re annotauit: Siquidem libro de offi. Ecclesiæ inter cætera docet, alios Quadragesimã à Septuagesima auspicari solitos, alios à Sexagesima, alios à Quinquagesima, alios à Quadragesima, alios tãdem à die cinerum, hoc est, à feria quarta ante Dominicam Quadragesimæ.

A Septuagesima ieiunandi initium faciunt nonnulla religiosorum hominum collegia. Auspicabantur inde quoque, si historię Polonicę fides est, veteres Sarmatę. A Sexagesima, tempore venerabilis Bedæ, plærique Græci. A Quinquagesima religiosi & clerici, qui Thelesphori sanctioni paruerunt; & multi etiam nunc Orientalis Ecclesiæ Christiani. A Quadragesima Mediolanenses

Varius ritus exordiendi Quadragesimam.

& Hellas vniuersa, si vera sunt, quæ ea de re commemorat Socrates. A die cinerũ tandem quotquot ferè Romanæ Ecclesiæ ritum & fidem æmulantur, & iam inde ab initio æmulati sunt. Falluntur enim, qui dies illos quatuor, qui Dominicam Quadragesimę proximè antecedunt, Gregorium adiecisse nugantur. Extant namq; Augustini & aliorum vetustissimorum Patrũ sermones Quadragesimales in diem cinerum, & alios tres ordine consequentes habiti, in quorum vno Augustinus suos ita affatur:

Lib. 9. c. 38. hist. trip.

Falluntur qui B. Gregorium quatuor dies Quadragesimæ adiecisse opinantur.

Rogo vos, fratres charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi forsan ille, quem infirmitas ieiunare non permittit. Quia aliis diebus ieiunare remedium est, aut præmium: In Quadragesima autem non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam: & tamen qui ieiunare non prævalet, secretiùs sibi soli, aut si alius infirmus est, cum ipso in domo sua præparet, quod accipiat, & illos, qui ieiunare prævalent, ad prandium non inuitet. Quia si hoc fecerit, non solùm DEVS sed etiam homines possunt intelligere, illum non pro infirmitate, sed pro gula ieiunare non velle.

Sermon. in sabb. ante Quadrag.

Qui in Quadragesima non ieiunat, pœnam sentiet.

AT magis fallitur Socrates, qui populum Romanum tres tantùm hebdomadas ante sacrum pascha ieiunare consueuisse commemorat. Nihil enim certius, quàm Romanos id studiosè & religiosè obseruasse, quod à D. Petro, eiusdemq; successoribus acceperant. Ab illis autem non vigesimam aut vix vigesimam (Admittis enim cuilibet septimanæ duos dies, sabbatum nimirũ & Dominicam; sed eadem fide, qua alterũ illud: Cõstat namq;, Romanos nõ solùm intra Quadragesimam, sed extra Quadragesimã quoq; sabbatum in ieiuniis habuisse) sed acceperant Quadragesimam; compertum enim habebãt illud commune Apostolorum decretũ: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Quadragesimã nõ ieiunauerit, deponitor; si laicus sit, cõmunione priuator. Tum illud rursum Ignatij: Quadragesimam nolite pro nihilo habere, imitationẽ enim continet DEI conuersationis. Tum illud denique Clementis Romani, aut D. Petri veriùs per Clementem promulgatum: Seruandum est à nobis ieiunium Quadragesimæ, quod continet memoriam conuersationis & legislationis Domini.

Lib. 9. c. 38.

Can. 68.

Lib 5. c. 13.

QVOD

QVOD si quis Theleſphorum, qui ſextus à Petro Romanam cathedram obtinuit, non quadraginta, ſed quadraginta duos dies ieiunio conſecraſſe obiiciat: is paucis reſponſum habeat, prędictũ pontificem quadragenarium numerũ, quem ab Apoſtolis accepe rat, non mutaſſe; ſed clericos, quò ab aliis ſecernerentur, cõmune omnium ieiuniũ biduo anticipare voluiſſe. Quod dicimus, ex illi⁹ conſtitutione manifeſtum eſt; ait enim: ſtatuimus, vt ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes clerici, id eſt, in ſortem Domini vocati, à carne ieiunẽt. Quia ſicut diſcreta debet eſſe vita clericorum à laicorum conuerſatione; ita & in ieiunio debet eſſe diſcretio. Hęc ſanè commune ieiunium, quod ante Teleſphorum in Romana Eccleſia receptum erat, non mutant, ſed clericis, quid cæteris amplius præſtare debeant, inſinuãt, & hoc ipſum adhuc per modum conſilij veriùs, quàm abſoluti præcepti; nam ſi abſoluto præcepto id cauiſſet, non ſolùm Monachi & regulares clerici huic decreto paruiſſent, ſed cæteri omnes, quotquot ordinis extitiſſent Eccleſiaſtici, quod tamen ordinariè non fit, neque antè quoq; factum fuit. Imò verò ne fieret, alicubi inhibitum videtur. certè Aurelianẽſis Synodus quiddam eiuſmodi præ ſe fert; ait enim: Id ſacerdotibus omnibus eſt decretum, vt ante paſchæ ſolennitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur.

d. 4. c. ſtatuimus.

Theleſphori ſanctio de Quadrageſima anticipãda nõ obtinuit.

Can. 16.

ALLEGANT alij, Orientales pleroſq; ſeptẽ vel octo hebdomadas ante paſcha ieiuniũ ordiri, adeóq; quadraginta dierũ numerũ accuratè non obſeruare. Sed neq; hi quoq;, q̃ de numero quadragenario dicta ſunt, infirmant: Quandoquidẽ octo dominicis, totidemq; ſabbatis, quibus ipſi ieiunare nõ ſolent, ab octo hebdomatibus ſublatis, 40. tantùm dies ieiunio conſecrati manent reliqui. Inſtas: ergo qui ſeptẽ ſolùm ſeptimanis ieiunant, tantùm 38. dies ieiunabiles reliquos habent. Reſpondet Damaſcenus duplex eſſe ieiuniũ, alterũ quod à veſpera ad veſperã vſq; in παρτελὲ ἀσιτία producitur, quod plenum perfectúmue appellari poteſt; alterum quod in τινῶν ϱεωμάτων ἀποχῇ poſitũ, conſtituit quoddã ſemiplenũ, ſiue portionale ieiuniũ. hoc obtinebat, & etiam nunc obtinet apud Orientales die ſabbati; illud in quinq; reliqs diebus. atq; ita habemus quadragenarium dierũ numerũ plenum, vel aliquid etiam eò amplius. Hac diſtinctione illorũ quoq; ieiunium, quod quidem ad dierũ numerũ attinet, Quadrageſima appellari poteſt; qui

Duplex ieiuniũ, plenum & ſemiplenum.

qui feria secunda post Dominicam primam Quadragesimæ ieiunare incipiunt. Nam & ipsi quoq; reliquis Dominicis τινῶν βρωμάτων ἀπέχονται, hoc est, à carnibus, ouis, cæterisque eiusmodi abstinent.

ἐν τοῖς ἑορτ. Ser. cont. ebriosos
ἐν τῷ ὁσίῳ. Lib. 5. c. 15.

Sive ergo Orientales Quadragesimam suam auspicentur à Quinquagesima, vt eam inde inchoari volunt Athanasius, Petrus Martyr Patriarcha Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Anastasius Antiochenus, imò ipsæ quoque constitutiones Apostolicæ; siue à Sexagesima, vt eandem ex quorundam sententia exordiendam existimat sanctus Dorotheus; siue à Quadragesima; siue à die Cinerum; siue à quocunque alio certo præfinitóque die, ad vnum omnes ieiunium illud Quadragesimæ nomine designant, eiusq; vim & vsum amplissimis verbis deprædicant. Origenes: habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos. Theophilus Alexandrinus: Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiremus, neque in prælio, vbi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur. Cyrillus; Illi ieiunant, qui perdiderunt sponsum, nos ieiunare non possumus, habentes nobiscum sponsum. Neque hoc tamen dicimus, vt abstinentiæ Christianæ frena laxemus; habemus enim Quadragesimę dies ieiunio consecratos.

Li. de Ieiun.

Serm. 3. Pasc.

Lib. 10. in Leuit.

Marc 2. Lucæ 5. Hom. 1. in Genes.

Chrysostomvs: Hodie ingenti alacritate surrexi, vnà vobiscum lætitiæ illius spiritalis particeps futurus, & volens aduentus sanctæ Quadragesimæ, remedij, inquam, animarum nostrarum vobis annũciator esse. Communis enim noster omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ vnquam peccauimus abluere, hanc nobis, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit. Augustinus. Adest nobis venerabile tempus Quadragesimæ, charissimi, per quod ieiunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus. Quantum ergo sit bonum ieiunium, breui sermone, exemplis additis, disseramus. Moyses primus 40. diebus & noctibus cùm ieiunasset, legem Domini accipere meruit, per quam populus imperaret. Impetrauerũt vnius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat.

Ieiuniis abluuntur peccata.

Ser. 15. de temp.

Ieiunio peccatorum vulnera sanantur.

Exodi 24 34.

Ambrosivs: Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes, quod Christvs, & ipse facere. Ille, qui peccatum non habebat

Sermon. 25. de Quadr.

habebat, Quadrageſimam ieiunauit, tu non vis Quadrageſimam ieiunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, ſed pro noſtris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conſcientiam tuam Chriſtianus es? cum CHRISTO pro te eſuriente, non ieiunas? Non igitur, vt dixi, leue peccatum eſt, indictum violare ieiunium.

Idem: Bonum eſt quidem, cunctis temporibus ieiunare, ſed melius ieiunare Quadrageſimam cum CHRISTO. Hanc enim nobis Quadrageſimam Dominus ſuo ieiunio conſecrauit. Et infrà: Superiori Dominica prædicauimus, quòd ſanctam Quadrageſimam abſtinendo ipſe Dominus conſecrauit, quam in totum non obſeruare, ſacrilegium eſt, ex parte violare, peccatum eſt.

Serm. 34. Non leue peccatum eſt, indictũ ieiunium violare. Serm. 37.

BASILIVS Magnus: Nulla eſt inſula, nulla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non ſit auditum ieiunij edictum: Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & ſummo gaudio accipiunt. Ne quis igitur ſe excludat à numero ieiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formę cenſentur. Angeli ſunt, qui in ſingulis Eccleſiis deſcribunt, ac recenſent ieiunantium capita. Hæc Baſilius de Quadrageſimæ ieiunio; de eo enim ibi verba facit.

Hom. 2. de ieiu.

Angeli obſeruãt & deſcribũt ſingulorũ ieiunantium capita.

BERNARDVS: Hodie ſacrum Quadrageſimę tempus ingredimur, tempus militiæ Chriſtianæ. Non nobis ſingularis eſt hæc obſeruatio, vna omnium eſt, quicunque in eandem fidei conueniunt vnitatem. Et infrà: Hactenus vſque ad nonam ieiunauimus ſoli, nunc vſque ad veſperam ieiunant nobiſcum vniuerſi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in vnum diues & pauper. Hinc patet, non modò Baſilij, ſed D. Bernhardi quoq; tempore, qui ſecula aliquot Baſilium conſecutus eſt, pauciſsimos à ieiuniorum lege fuiſſe exemptos; Tum eadem illa ætate Quadrageſimæ ieiunium, ſi non paſsim, certè in Galliis, ad noctem vſque produci ſolitum fuiſſe. Scribit enim: hactenus vſque ad nonam ieiunauimus ſoli, nunc vſq; ad veſperam ieiunant nobiſcum vniuerſi.

Ser. 1 de Quadr. Quadrageſima tempus militiæ Chriſtianæ.

GREGORIVS Nazianzenus: CHRISTVS paulò ante tentationem ieiunauit, nos ante paſcha. Ieiunium vnum & idem eſt, at vtriuſq; temporis non parua eſt differentia. Ille enim ieiunium aduerſus tentationum impetus obiecit; nobis autem hoc ieiunio

Hom in ſ. Bapti. Alio Chriſtus, alio tẽpore nos ieiunium celebramus.

significatur, cum CHRISTO emoriendum esse: Ille 40. totos dies à cibo abstinuit, vtpote DEVS, nos autem ad virium nostrarum modulum attemperamus.

Epist ad Marcel. HIERONYMVS: Nos vnam Quadragesimam secundũ Apostolorum traditionem toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus; illi tres in anno Quadragesimas faciunt, quasi tres pasi sint Saluatores; non quòd per totum annum, excepta pentecoste, ieiunare non liceat; sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.

Toto anno licet ieiunare.

Ser. 1. de Quadr. Magna vis fructusque ieiunij quadragesimalis. LEO Magnus: Scientes dæmones, nos agere sacratissimos dies Quadragesimę, in quorum obseruantia omnes præteritę desidiæ castigantur, omnes negligentiæ diluuntur, ad hoc totam suę malignitatis vim intendunt, vt celebraturi sanctũ Pascha Domini in aliquo inueniamur indigni; & vnde nobis obtinenda erat propitiatio, indę cõtrahatur offensio. Et infrà: Quando opportuniùs, dilectissimi, ad remedia diuina recurrimus, quàm cùm ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ, temporum lege referũtur? quę vt digniùs celebremus, saluberrimè nos 40. dierum ieiunio præparemus.

Serm. 5.

Ep. ad omnes Ep. c. 10. In Quadragesima ab amplexibus abstinẽdum vigiliisq; & orationibus vacandum, LIBERIVS Pont. Max. Abstinendũ est his sacratissimis 40. diebus à coniugibus, & castè & piè viuendum est, vt sanctificato corde & corpore isti dies transigantur; donec perueniatur ad diẽ sanctum Paschæ; quia nihil penè valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant. Hæc diligenter obseruent tùm cæteri omnes, tùm ij maximè, qui non solùm totam Quadragesimam, sed totam penè vitam in publico concubinatus sacrilegio summóque luxu & obscœnitate transigunt.

Lib. 1. off Eccl. ISIDORVS: Primum ieiunium Quadragesimæ est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysis & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, monstrans Euangelium nõ dissentire à lege & Prophetis. In persona quippe Moysis lex; in persona Eliæ Prophetæ accipiuntur; inter quos in monte CHRISTVS glorioſus apparuit, vt euidentiùs emineret, quod de illo dicit Apostolus: Testimonium habens ex lege & Prophetis.

Lib. 2 cap. 18. Instit. cle. RABANVS? Statio est obseruatio statutorum dierum vel temporum: Dierum vt quartæ & sextæ feriæ ieiunium: Temporum vt obser-

obſeruatio Quadrageſimę, quę in vniuerſo orbe inſtitutione Apoſtolica ſeruatur, circa confinia Dominicę paſsionis. En omnes hi patres ex inſtituto agunt de Quadrageſima, eiuſdemque vſu, inſtitutione, antiquitate, ſanctitate, generali obligatione &c. Agunt eadem de re quoque Concil. Nicenum, Conſtantinopolitanum, Martinianum, Agathenſe, Cæſarauguſtanum, Matiſconenſe, Toletanum quartum, Toletanum octauum, Laodicenum, & alia prętera non pauca, quorum decreta, vbi de ieiuniorum vtilitate & obligatione ex propoſito diſſeremus, quatenus neceſſarium vel opportunum videbitur, in medium adferemus.

Quadrageſima eſt inſtitutio Apoſtolica.

CAETERVM quid Apoſtolos mouerit, vt ieiunium hoc inſtituerent, id peculiari explicatione nō indiget; ſiquidem ex iis, quæ hactenus expoſita ſunt, ſuóq; adhuc loco exponētur, ſatis clarè id patet: Vno verbo dici poteſt, hoc ipſum illos mouiſſe, quod illos mouit vt alias leges & ſanctiones ederent; nempe publicam vtilitatem certamque membrorum Eccleſiæ neceſsitatem. Nam vt paulò pòſt planum fiet, ieiunium eſt res ſaluberrima, vitæque ſpiritali ita neceſſaria, vt abſque ea diu ſalua conſiſtere vix queat. Quòd ſi vnicuique liberum relictum foret ieiunare, quando vellet, & quantum vellet, temporis lapſu vel nulli vel certè pauciſsimi in ſancto illo ſalutarique opere ſeriò ſeſe exercuiſſent. In confeſſo enim eſt, ſpontanea ieiunia vſque adeò rara hac tempeſtate eſſe, vt pauci admodum comperiantur, qui ea accuratè ſeruent, quæ ſeueriſsimis legibus olim indicta ſunt. Quid ergo futurum erat, ſi nulla omnino fuiſſent præcepta?

Ieiunium res ſaluberrima.

Spontanea ieiunia mirè infrequentia.

CVR autem 40. & non plurium vel pauciorum dierum ieiunium inſtituerunt, explicatū eſt iam antè: Addo nihilominus, quò carnis impetus magis miteſceret, pleniorque purgatio & ſatisfactio obueniret, opus fuiſſe plurium dierum abſtinentia. Neque enim vt inſitam illam carnis concupiſcentiam vtcunque edomes, vitioſosque habitus expugnes, aut DEO pro peccatis ſatisfacias, adeóq; ad dignam ſacramenti Euchariſtiæ ſuſceptionem, (adhanc enim ieiunium Quadrageſimale præcipuè ordinatur) idoneè te præpares, ſat eſt, ſi ſemel aut iterum abſtineas; ſed opus eſt diuturna quadam corporis exercitatione, vt, quod vno aut altero ieiunio obtentum non fuerat, id obtineatur tertio, aut quarto.

Ieiunium Quadrageſimale ad dignā ſacramenti Euchariſtiæ ſuſceptionē ordinatur.

Humane naturę imbecillitas non fert perpetuum ieiunium.

NEQVE hinc tamen sequitur, perpetuò ieiunandum esse: siquidem humanæ naturæ imbecillitas perpetuũ ieiunium vel non fert, vel ægrè admodum fert. Adhæc in omni re, maximè verò in spiritalibus exercitiis cauendum est, ne quod tædium obrepat; at perpetua eiusdem semper operis continuatio fastidium & nauseam generare, deuotionisque aciem retundere solet. Denique licet caro, ne temerè contra spiritum insurgat, continuò comprimi debeat; non est tamen necessarium, vt per continuatum ieiunium istuc fiat: Sunt enim alia multa, per quæ idem obtineri queat, etsi non æquè commodè, vt ostensum est.

Causæ, cur Quadragesimæ ieiunium, ineunte vere potiùs, quàm vllo alio anni tempore celebrari voluerint. Constat enim, peccatum, quod nos perdidit, totóque vitæ curriculo miserabiliter affligit, verno tempore conflatum fuisse; eodem quoque tempore CHRISTVS Redemptor noster cùm pro hoc ipso, tum pro cæteris omnibus mortem pertulit. Constat nihilosecius, propter crescentem calorem, gliscentemque humoris copiam, carnis libidinem, quam ieiunio oppugnamus, circa id tempus maiorem in modum intendi. Constat denique, resurrectionis Dominicæ festum, quod ob Eucharistiæ sumptionem, peculiarem præparationem exigit, in vernam tempestatem perpetuò cadere. Quæ causa tanti moměti est, vt Chrysostomus alicubi tradiderit, Quadragesimale ieiunium ob vnam hanc potissimùm institutum esse.

Causæ, cur Quadragesima ineũte vere celebretur, plures.

Hom de ieiun. pri. pas.

MVLTI, scribit ibi, olim accedebant ad mysteria ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε, hoc est, promiscuè ac sine vlla prę paratione, eo præsertim tempore, quo CHRISTVS tradidit seipsum. Quare cùm patres (Apostolos designat) intelligerent, secumq; reputarent incommodum & detrimentum ex negligenti illo accessu, congregati, ἐτύπωσαν, sanxerunt, vel decreuerunt 40. dies ieiunij, precationum, auditionis verbi DEI, ac conuentus ad Ecclesiam, vt his diebus purgati omnes diligenter per preces, per eleemosynas, per ieiunium, per vigilias nocturnas, per lachrymas & compassionem & per cætera alia, sic pro viribus nostris cum pura conscientia accedamus. Hæc Chrysostomus de præparatione ad mysteriorum susceptionem per ieiunia aliáque pietatis officia ex Apostolica sanctione.

Præparatio ad digną Eucharistiæ sumptionẽ plura requirit quã ieiunium.

SIVE

SIVE ergo in ieiunio Quadrageſimali dierum numerum ſpectes; ſiue tempus vel modum, quo illud celebrari ſolet, cõſideres; ſiue aliam quamcunque eiuſdem circumſtantiam examines, nihil prorſus in eo comperies, quod certam iuſtamq; cauſam non habeat, quodque iure reprehendi queat. Porrò autem de ieiunij huius vtilitate & obligatione, cæterisque ſimilibus nihil hîc ex inſtituto tractandum exiſtimaui, ſicut neque de reliquorum ieiuniorum vinculo quoque; pertinent hæc enim ad locum, vbi de obligatoriorum ieiuniorum vi & ratione ex propoſito diſputabitur. Nunc quæ de quatuor temporum & vigiliarum ieiunio explananda adhuc reſtant, pari breuitate expediantur.

Nihil circa quadrageſimale ieiunium obſeruatur, quod iuſtã cauſam non habeat.

Quatuor temporum, & quarundam præterea vigiliarum ieiunium heri non eſſe natum, ſed vnà cum Eccleſia inchoatum.

CAPVT DECIMVM.

DE quatuor temporum ieiunio, primaq; eiuſdem origine non idem omnium eſt iudicium: Quidam perinde ac Quadrageſimæ ieiunium ab Apoſtolis profectum autumant: Alij poſt Apoſtolorum cõfirmationem ab Eccleſiæ proceribus inſtitutum prædicant: Nonnulli Apoſtolorum ætatem anteceſsiſſe affirmant.

De quatuor tẽporum ieiunio, eiuſdemque origine non idem omnium iudicium.

VNVM hîc certum eſt, nempe aliquam illius vmbram in veteri Teſtamento extitiſſe: Neque enim doctiſsimi ſanctiſsimiq; viri noſtrum hoc ad illud referrent, quod Iudæi menſe quarto, quinto, ſeptimo, & decimo celebrabant, ſi nullam prorſus cum illo communionem haberet: At plures ex illis eô referunt. Quod ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumq; noſtrorũ ieiunium ſeptimi mẽſis aſſumimus, ſcribit Leo Magnus, non legalibus vos oneribus ſubiicimus; ſed vtilitatẽ continentiæ, quæ CHRISTI Euangelio ſeruit, amplectimur. Eadem ad verbum penè ſer. quarto, de ieiunio ſept. menſis repetit.

Ieiunij quatuor temporum vmbra in vet. Teſt. anteceſsit.

Serm. 7. de ieiu. 7 menſis.

QVIN Iſidorus Hiſpalenſium Antiſtes, hoc ipſo cum Leone facit, quòd ieiuniorum tempora ſecundùm ſcripturas ſacras quatuor eſſe definit, in quibus per abſtinentiam & lamentum pœnitentiæ, Domino ſupplicandum ſit. Conſtat namque Scripturas

Lib. 1. ca 36. & 37. cap off.

de eo ieiuniorum genere, quod nos quatuor anni temporibus celebramus nihil prorsus statuere', sed de eo tantùm verba facere, quod Iudæi quarto, quinto, septimo, & decimo mense solenni ritu peragebant.

Zachar. 8.

AT verò vt nostrum hoc ieiunium maximè ab illo fluxerit, non est tamen eadem vtriusque ratio. Nam neque ieiunia hæc iisdem anni temporibus; neq; eodem dierum numero; neq; eodem ritu aut modo; neq; iisdem quoq; de causis celebrantur. Neq; enim nos mẽse Iulio, Augusto, Octobri & Ianuario ieiunamus; sed quatuor anni temporibus ex æquo penè diuisis; Etsi non iisdẽ semper mensibus; neq; septem diebus ieiunamus, sed tribus tantùm; neque de vespera ad vesperam ieiunamus, sed vsque ad nonam vel meridiem solùm; neq; propter confractas legis tabulas, aut propter ruptos ab hoste sanctæ ciuitatis muros, aut propter obortam ex exploratorum narratione in populo seditionem, diuturnamq; in deserto peregrinationem, aut propter euersum profanatumque à Nabuchodonosore templum, aut propter dissipatas vnà cum duce suo Golodia tribus Iudæ reliquias, aut ob alias quascũq; eiusmodi causas acceptásue clades ieiunamus; sed propter solam pietatem: Nempe quò debita, quæ negligentia nostra conflauimus, exoluamus, Deoque operum nostrorum primitias consecremus, ac CHRISTI tandem cruci eiusdemq; perpessioni hac qualicunq; corporis afflictione nos conformemus.

Plurimũ intercedit inter quatuor temporum ieiunia, quæ olim celebrabant Iudei, & quę modò Christiani.

SED & certum est quoque, sacras solennesque ordinationes ante mille quingentos annos circa hæc tempora fieri consueuisse; neque vllum citra statum ieiunium ordinaria lege sacerdotio initiatum esse; nemo enim, qui Apostolorum acta vel obiter tantùm inspexit, nescit Paulum & Barnabam præmisso ieiunio in sacerdotum numerum cooptatos fuisse. Scriptũ est enim: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων, hoc est, *ministrantibus*, vel sacrificantibus *illis Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus dimiserunt illos.* Ad hæc, vt ex capite proximè consequente manifestum est, Paulus & Barnabas sacris iam initiati, ita per singulas ciuitates Episcopos & Sacerdotes ordinant, vt tamen ieiunia non omittant. Denique cùm idem Apostolus ad Titum scribens, eundem hortatur, vt per ciuita-

Solennibus ordinationibus iã inde ab Apostolorũ ætate præmissa ieiunia.

Actor. 13.

ciuitates & loca presbyteros & Episcopos constituat, vtiq; eo ritu & modo id eum facere voluit, quo ipse initiatus fuerat, vtique in tali re consueuerat: ipse autem absque ieiunio ordinatus non fuerat, neq; citra ieiunium & orationem sacros ordines conferre solitus erat.

FACIT huc quoq; illud Leonis Magni: His, qui consecrandi sunt, ieiunis & ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Nam præter auctoritatem cõsuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiã sacra doctrina manifestat, quòd cũ Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus; vt intelligamus, quãta & dantium & accipientium deuotione curandũ sit, ne tantę benedictionis Sacramẽtum negligenter videatur impletum. Hæc Leo, quæ satis clarè ostendunt, ieiunia, quæ statis solẽnibusq; ordinationibus de more prę-mittuntur, ex Apostolica doctrina & traditione descendisse, eorundemq; ętate celebrem vsum obtinuisse. Tum illud æquè, quod in B. Lini Pont. Max. actis habetur. Legitur hîc enim mensis Decembris ieiunio (quod vnum est ex illis quatuor, quibus ordines publicè administrantur) bis illum ordinationes fecisse, duoq; de viginti presbyteros, & quindecim Episcopos duabus illis ordinationibus consecrasse. Similia in aliorum veterum Pontificum rebus gestis passim occurrũt. Dubium proinde nullum est, brumale ieiunium ab Apostolis ortum traxisse.

Epist. ad Dios. Alex.

Actor. 13.

Sacra ordinatio Sacramentum.

Brumale ieiuniũ ab Apostolis ortum.

ET quia par omnium est ratio, idem cum Leone Magno de cæteris tribus statuere licebit. Certè de ieiunio, quod hoc tempore ꝑpetuò cadit in Quadragesimã, & de eo rursum, quod post pentecostes festum celebratur, res est certa, quippe cùm in Apostolicis constitutionibus expressa illius fiat mentio. Verba constitutionis ita habent: Post festum pentecostes celebrate vnam hebdomadam, post quam ieiunate alteram hebdomadam; ęquum est enim, & lætari de DEI dono, & ieiunare post hilaritatem. Etenim Moyses & Elias ieiunarunt quadraginta dies, & Daniel hebdomadas dierum tres panem cupiditatum non comedit, nec caro, nec vinum in os eius intrauit. Hæc Clemens vel Apostoli ipsi. Neque enim is suam de ieiunio, quod post solennes pentecostes ferias peragitur, sanctionem refert, sed Apostolorum,

Ieiunium, quod post festum pẽtecostes celebratur, ab Apostolis institutum.

Lib. 5. cap. vlt.

Exodi 24. 34.

3. Reg. 19.

Daniel. 10.

NEC

Nō vno ſemper tempore ieiuniū tertio quoque menſe recurrēs celebratum eſt.

NEC quicquam præiudicat cauſæ, quòd ieiunium illud non intra pentecoſtes hebdomadam, vt noſtrum ſolet, Apoſtolorum tempore fuerit celebratum, ſed hebdomada, quæ pentecoſtes ſolennitatem proximè conſequebatur. Nam etſi quatuor temporum ieiunium iam inde ab Apoſtolorum ętate in Eccleſia Dei fuerit vſitatum; attamen vt ex iis cognoſcere licebit, quæ exempli maiorisque lucis cauſa ſubiicere hîc placet, non vno ſemper modo & tempore vbique celebratum fuit.

D. 76. Conſtituimus.

SYNODVS Moguntiaca, Imperante Carolo Magno celebrata: Conſtituimus, vt tempora anni ab omnibus cum ieiunio obſeruentur, id eſt, menſe Martio hebdomada prima. Et feria quarta & ſexta & ſabbato veniant omnes ad Eccleſiā hora nona cum Litaniis ad miſſarum ſolennia. Similiter in menſe Iunio hebdomada ſecunda, feria quarta & ſexta & ſabbato ieiunetur vſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in menſe Septembrio hebdomada tertia, & in menſe Decembrio hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.

D. 76. Can. de ieiunio.

AB hac temporum ratione nonnihil degenerat Concilium Salegunſtanum tempore Henrici ſecundi in eadem Moguntiaca diœceſi celebratum. Decretum illius ita ſonat: De incerto ieiunio quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus; vt ſi Cal. Martij, in quarta feria, ſiue antea euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Calend. Martij in quintam aut ſextam feriam, aut ſabbatum diſtendantur, in ſequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo ſi Cal. Iunij in quartam feriam aut ante inciderint, in ſequenti hebdomada ieiunium celebretur. Et ſi in quintā feriam, aut ſextam, aut ſabbatum contigerint, ieiunium in tertiam hebdomadam reſeruetur. Et hoc ſciendum eſt, quòd ſi quando ieiunium menſis Iunij in vigilia pentecoſtes, ſecundùm prædictam regulam euenerit, nō ibi celebrandum erit, ſed in hebdomada ſolenni pentecoſtes. Eodem modo de Septembris ieiunio conſtitutum eſt, vt ſi Calen. in quarta feria euenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomada celebretur, & ſi in quinta, aut ſexta feria, aut ſabbato contigerint, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud obſeruandum erit, vt proximo ſabbato ante vigiliam natalis Domini

mini celebretur ieiunium; quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

CVM neutro horum satis conuenit quoddam Gerondensis Synodi decretum, quod etiam de his ipsis temporibus cauet, etsi nõ de omnibus, sed de æstiuo aut autumnali tãtùm. De ęstiuo hæc decernit: Expleta solennitate pentecostes, in sequenti septimana à quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur. De autumnali verò hæc: Secunda Litania faciẽda est Calend. Nouembris, ea tamen conditione seruata, vt si iisdem diebus Dominica interceſſerit, in alia hebdomada secundùm prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta feria incipiatur, & in sabbati vespere missa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum. Can. 2.

NON defuere, qui æstiuum ante pentecosten celebrarent. Hoc ieiunium, scribit Isidorus, à plerisque ex auctoritate Euangelij post Ascensionem Domini completur, testimonium illud Domini historialiter accipientibus, vbi dicit: *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Dicunt etiam post resurrectionem Domini 40. illis diebus, quibus cum discipulis conuersatus est, non oportere ieiunare, nec lugere, quia in lætitia sumus. Postea verò cùm illud tempus expletur, quo CHRISTVS auolans ad cœlos præsentia corporali recesſit, tunc indicendum est ieiunium, vt per cordis humilitatem & carnis abstinentiam mereamur Spiritum sanctum susscipere. Hæc illi referente Isidoro, & post illum Alexandro Alensi. Parui itaq; roboris est, quod à temporum dissimilitudine contra Apostolicam cõstitutionem à quibusdam adfertur. Li. 1. c. 27. offi. Luc. 5. Mar. 2. 4. p. q. 100. m. 4.

CAETERVM tantæ huic disparitati, quæ inde potissimùm nata videtur, quòd alij alio modo ieiuniorum, de quibus hîc sermo est, ortum & scopum acciperent, nec mentis aciem in id, quod Apostoli tradiderant, coniicerent, finem tandem imposuit Vrbanus Pont. Max. Eius sanctio ita sonat: Statuimus, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur, primum in initio Quadrageſimæ, secundum in hebdomada pentecostes, tertium verò in Septembri, quartum in Decembri more solito fiat. Hæc Vrbanus; cum quibus, quę apud Leonem Magnum eiusdem Apo- D. 76. Statuimus.

ſtolicæ ſedis Epiſcopum ea de re leguntur, per omnia conſentiũt. ſcribit is autem in hunc modum:

D. 76. Huius.

HVIVS obſeruantiæ vtilitas in Eccleſiaſticis præcipuè conſtituta eſt ieiuniis, quę ex doctrina Spiritus ſancti ita per totius anni curriculum diſtributa ſunt, vt lex abſtinentiæ omnibus adſcripta ſit temporibus: Siquidẽ ieiunium vernum in Quadrageſima, æſtiuum in pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hibernum autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus, intelligentes, diuinis nihil vacuum eſſe præceptis, & verbo Dei ad eruditionẽ noſtram omnia elementa ſeruire, dum per ipſius mundi cardines, quaſi per quatuor Euangelia inceſſabili tuba diſcimus, quod & prædicamus & agimus.

D. 76. Ieiunium.

Quo ſenſu Calixtus Pontifex ante ſuam ætatẽ tria tantùm ieiunia extitiſſe aſſerat.

NEC pugnat cum his pontificibus Calixtus, cùm ante ſe tria tantùm ieiunia tertio quoquo menſe recurrẽtia obtinuiſſe commemorat. Decretum illius ita habet: Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrari didiciſtis, conuenientiùs nunc per quatuor tempora fieri decernimus; vt ſicut annus per quatuor voluitur tempora, ſic & nos quaternum ſolenne agamus ieiunium per quatuor anni tempora. Nam quod de tribus ieiuniis intra anni ſpacium celebrari ſolitis hîc aſſerit, illud eo ſenſu accipiendum non eſt, quaſi quartum aliquando defuerit, nunquam enim abſolutè defuit; ſed quia vnum ex quatuor quadrageſimali ieiunio permixtum erat, ſicut eidem etiam nunc permixtum eſt; voluit is illud inde ſegregare, ſed ſanctio illius non obtinuit, vel certè vbiq; nõ obtinuit. Nam apud eos, qui vernũ ieiunium à Cal. Mart. aut à die Cal. Mart. viciniore auſpicabãtur, hactenus obtinere potuit, quatenus Calendę illæ commune Quadrageſimę ieiunium interdum anteuertebant. A Martiis aũt Cal. veteres Germanos vernum ieiunium auſpicari conſueuiſſe ex Conc. Moguntino & Salegunſtano oſtenſum eſt iam antè. Sed & Anglicanos quoque inde exordium feciſſe ex cano. quinto Concil. Oxonienſis coniicere licet; ait enim: In Martio prima hebdomada ieiunandum eſt feria quarta, ſexta, & ſabbato: In Iunio in ſecunda, quod dupliciter obſeruatur à pluribus: In prima hebdomada poſt Litanias, hoc eſt, hebdomada pentecoſten proximè antecedente; aut in hebdomada pentecoſtes: In Septembri per tres dies: In proxima ſeptimana integra ante natalem Domini.

QVAE

QVAE hactenus in medium allata sunt, ea quatuor temporũ ieiunium antiquissimum esse ostendunt, siue illud ex antiqua lege dimanârit, vt putant multi; siue ex Apostolica traditione proximè ortum sit, vt defendunt alij; siue ex vtroq; simul, quod videtur satis verisimile; siue vndecunq; aliunde: ostendunt nihilosecius, non in vno aliquo orbis angulo, vt solēt quædam vigiliarum ieiunia; sed passim per Christianum orbem religiosè semper celebratum & obseruatum esse. Ostendunt tandem, in obseruationis eiusdem ritu & tempore, ita quibusdam ætatibus & locis variatum esse, vt nullo tamen loco aut tempore à quatuor primariis anni solisue mutationibus multùm vnquam recessum fuerit. Etenim vbique locorum primum semper fuit celebratum circa æquinoctium vernum, proximum circa solstitium æstiuum, tertium circa æquinoctium autumnale, quartum & postremum circa solstitium hibernum.

Ieiunium quatuor temporum antiquissimum & communissimum.

Ieiunia quatuor temporum vbique semper celebrata circa præcipuas solis versiones.

QVAERIS, cur ea ieiunia circa præcipuas solis versiones obseruentur, & hucusq; obseruata sint semper, & non mense Iulio, Augusto, Octobri, & Ianuario, quibus Iudæi suum quadripartitum ieiunium peragere soliti erant? Cur Iudæorum ritum hîc non æmulemur, expositum est iam antè; & qui latiorem eius rei explicationem quærit, is legat Hieronymi commentarium ad cap. octauum Zachariæ, vel Gratianum d. 76. ca. Ieiunium. Cur porrò CHRISTI Sacramentis initiati, ea ieiunia non quouis anni tempore obseruent, sed circa præcipuas solis conuersiones, plures cùm mysticæ tum naturales quoque rationes assignari solent, nobis vnam aut alteram assignasse sat fuerit; harum autem prima & præcipua est eiusmodi:

CERTVM est, vitę nostræ momenta per dies & annos decurrere: Solaris autem annus constituitur ex quatuor partibus, ex æquo ferè diuisis, circa quas ob varium solis motum & positum in his inferioribus, (inter quæ etiam corpora nostra continentur) variæ plerunque mutationes contingere solent. Igitur circa singularum maiorum istarum mutationum exordia, triduanum DEO Opt. Max. ieiunium offerimus, vel in gratiarum actionē, quòd præterito trimestri spacio nos nostraque pro sua clementia prosperè gubernare non est dedignatus; vel certè in propitiatorium sacrificium, quò nimirum ineunte nouo iam anni tempore,

Cur circa æquinoctia & solstitia ieiunetur.

noſtras actiones noſtraq́; ſtudia clementer promoueat, proſperè dirigat, ac fœliciter abſoluat.

Dies ieiuniorũ quatuor temporum exprimũt 12. Iudæorum neomenias, totidemq́ue minores Solis mutationes.

SORTITVR autem quodlibet ieiunium tres dies, qui exæquo reſpondent tribus cuiuſque partis menſibus, adeoq́ue toto anno habemus duodecim dies ieiunio conſecratos, qui vtcunq; exprimunt duodecim Iudæorum neomenias: Siquidem illi ſingulis Solis & Lunæ cõiunctionibus in gratiarum actionem, futurorumq́; malorũ cautionem neomeniarum feſtum celebrabant. Reſpondent hi dies quoq; duodecim minoribus Solis mutationibus. Quandoquidem ſingulis menſibus Sol ſignum vnum percurrit, aliudq́; communiter efficere conſueuit, dum verſatur ſub vno, quàm dum ſub alio. Producimus autem vnumquodq́; ex his quatuor ad triduum: Siquidem ita omnes gubernamur ab vno, vt tamen tres ſint, quibus laudem & honorẽ, & gratiarum actionem debemus. Quòd autem feria 4. 6. & ſabbato ieiunamus potiùs quàm 2. 3. & 5. in cauſa eſt CHRISTI Redemptoris noſtri paſsio, cui vel in partem nos conformare ſtudemus. Conſtat namque, CHRISTVM Dominum die Mercurij fuiſſe venditum, die Veneris crucifixum, die Sabbati mortuum requieuiſſe in ſepulchro. Et hæc eſt prima & præcipua ratio, cur quatuor temporum ieiunia illis diebus & temporibus obſeruamus.

Cur ieiunium quatuor temporum porrigatur in triduum.

OFFERIMVS nihilominus quatuor illa ſtata & triduana, intra anni curriculum, ieiunia DEO conditori noſtro, in qualemcunq; peccatorum, quæ qualibet anni parte admittimus, expiationem & ſatisfactionẽ. Poſt ſanctæ lætitiæ dies, ſcribit Leo, quos in honorem Domini à morte reſurgentis, ac deinde aſcendentis exegimus, poſtq́ue acceptum Spiritus ſancti donum, ſalubriter & neceſſariò conſuetudo ordinata eſt ieiunij, vt ſi quid fortè inter ipſa feſtiuitatis gaudia negligens libertas, & licentia immoderata præſumpſerit, hoc religioſæ abſtinentiæ cenſura caſtiget. Hæc Leo de ieiunio æſtiuo. De reliquis par eſt ratio; neque enim ſolùm peccamus in vere, vel æſtate, verùm etiam in autumno & hyeme. Tum rurſum, vt planum hinc fiat, toto anni tempore, piè, ſobriè, iuſteq́ue viuendum eſſe: Siquidem partium anni principia oſtendunt, cuiuſmodi eſſe debeant eiuſdem fines & media. Hanc cauſam inſinuat idem Leo, inter cætera de his ieiuniis ita ſcribens:

D. 76. Igitur.

HVIVS

HVIVS obseruantiæ vtilitas in Ecclesiasticis præcipuè constituta est ieiuniis, quæ ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni curriculum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Tum denique vt quemadmodum DEO Opt. Max. ex dierum nostrorum numero per ieiunium Quadragesimæ offerimus decimas; ita ex eodem illo numero per ieiunia quatuor temporum eidem offeramus primitias. Alij alias huius quaternarij ieiunij causas assignant, sed iam assignatæ magis ad rem faciunt. Hęc igitur de ieiunij quatuor temporum causis, eiusdemq; origine & institutione breuiter dicta sint: Superest, vt pauca quoque de vigiliarum seu præferiarum ieiunio in medium adferamus. D. 76. Huius.

Per ieiunia quatuor temporum offerimus DEO primitias, sicut per Quadragesimam decimas.

DE solenniorum quorundam festorum vigiliis, quas inter cætera Ecclesiæ ieiunia suprà commemorauimus, non est quòd prolixè hîc agamus. Sunt enim ieiunia hæc Christiano populo plæraque omnia perspecta; nec alio ferè à cæteris distincta, quàm quòd hęc in vnum tantùm diem indicantur; illa in plures. Significantur autem hæc præferiarum ieiunia vigiliarum nomine, non quòd vigiliæ, aut preces, vel eleemosynæ, vel aliud quippiam eiusmodi de intrinseca horum, vel aliorum quorumlibet ratione sit, (Nam ad ieiunij Ecclesiastici substantiam tria illa tantùm, quorum suprà meminimus, exiguntur) sed quòd Apostolorũ ætate & longo etiam postea tempore vigiliæ, & preces & eleemosynæ ieiuniis adiungi fuerint solitæ.

Cur præferiarũ ieiunia appellẽtur vigiliæ.

IN omnibus, scribit Paulus, *exhibeamus nosmetipsos sicut* DEI *ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis.* 2. Cor. 6. Et alio rursum loco: *Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus.* 1. Thess. 6. Et ad Timotheum: *Tu*, ait, *vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.* 2. Timoth. 4. Et Apostolorum coryphæus: *Sobrij estote & vigilate; quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Petri 5. Sunt sanè hæc generalia; attamen à re præsenti non prorsus aliena.

PROPIVS ad hunc locum spectant, quæ libro quinto constitutionum Apostolicarum de hoc ritu legũtur; quamuis ea ipsa quoque non de quauis, sed de vna duntaxat paschæ solennitate concionentur. A vespera quinti diei, habet constitutio, vsque ad Cap. 20.

gallicantum vigilantes, atque in Ecclesia conuenientes, vigilate orantes & rogantes DEVM, legentes in vestra pernoctatione legem, Prophetas, Psalmos, vsque ad gallicantum. Nullam hîc Apostoli ieiunij faciunt mentionem, nec id opus erat, iam antè enim cauerant, quomodo tota Paschę hebdomada, hoc est vltima Quadragesimæ septimana ieiunio transigenda foret.

HVNC excubandi orandíque ritum in aliis itidem ieiuniis seruari solitum, non vno loco indicat Leo Magnus; qui mille propemodum supra ducẽtos annos ætatem nostram antecessit. Sermo. 2. de Pente. inter cætera ita scribit: Quarta feria & sexta ieiunemus, Sabbato autem apud D. Petrum Apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem spiritu orationibus nostris, vt in omnibus misericordiam DEI obtinere mereamur. Et alio rursum sermone: Hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ obseruantiæ consuetudo, quam vtilissimam semper omnes sancti experti sunt, & ad quam sedulò celebrandam pastorali vos sollicitudine exhortamur; vt si quid macularum proximis diebus, negligentia incauta contraxerit, id & ieiunij censura castiget, & deuotio pietatis mundet. Quarta igitur & sexta feria ieiunemus, sabbato autem in idipsum consueta deuotione vigilias celebremus. Hęc Leo; à quibus non multùm dissident, quę Eusebius Cęsarienſis de Essæorum cæterorumque, qui sua ætate pietatem colebant, ieiuniis, nocturnisque vigiliis commemorat.

Ser. 1. de Pentec.

Lib. 2. cap. 16. Hist. ecc.

QVID, ait, commemorare attinet frequentes in vnum congressus, virorum in vno, mulierum autem in altero loco congregatarum exercitationes & seueram disciplinæ rationem, quæ de more adhuc obseruata est à nobis? Quanquam eam potissimùm in festo salutaris Domini passionis non ieiuniis solùm & vigiliis, sed attenta quoque sacrarum scripturarum auditione excolere & celebrare consueuimus. Sed & satis quoque cum iisdem consentiunt, quæ Oxonienſis Synodus ea de re tradit, nisi forsan vigiliarum nomen non pro nocturna statione, vel peruigilatione, sed pro ieiunio festi solennitatem proximè antecedente vsurpet: quo sensu hac tempestate plerunq; vsurpari assolet. Decretum Synodi ita habet:

Hebdomada sacra religiosissimè à veteribus, celebrata & obseruata.

Can. 4.

VOLVMVS, vt vigilia Natiuitatis, Paschæ, Pentecostes, litania maior, tres dies Rogationum, vigilia Ioannis Baptistæ, Apostolo-

stolorum Petri & Pauli, S. Laurentij, Assumptionis B. MARIAE, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Apostolorum Simonis & Iudæ, omniũ Sanctorum, S. Andreæ, S. Thomæ, in obsequio & laude diuina deuotissimè celebrentur. Omnes hæ vigiliæ secundùm potiorẽ sui partem, vbi pietas & verus DEI timor stationem suam constanter adhuc tuentur, etiam nunc obtinent. Verùm nocturni ad Diuorum Basilicas conuentus, propter flagitia, quæ eiusmodi vigiliarum occasione frequenter committebantur, magna iam ex parte in desuetudinem abierunt.

CAETERVM quæ vigiliæ, hoc est, præferiarum ieiunationes sint liberæ, quæ rursum obligatoriæ, id ob varios prouinciarum & diœcesium ritus & consuetudines regula, quæ nusquam fallat, nulla definiri potest. Quod enim hîc religiosè seruatur & colitur, id alio loco remotè posito, sæpenumero ignoratur. Quàm multos Diuos colit Græcia, quos planè ignorat Ecclesia Romana, & vice versa? Quamobrem qui eiusmodi in rebus non vult errare, neque alios, quibuscum versatur, offendere, Ambrosiani illius memor, (cùm, inquit ille, Romæ sum, die sabbati ieiuno, cùm Mediolani sum, non ieiuno. Et tu quoque, ad quamcunque Ecclesiam veneris, eius morem seruato, si pati scandalum non vis, aut facere) loci vel prouinciæ, in qua versatur, consuetudini sese accommodet: Hoc tamen non de omnibus promiscuè accipiendum est; sed de indigenis, vel diutius in vno aliquo loco hærentibus. Nam vt iter facientes, vel obiter transeuntes, loci, per quem fortè transeunt, priuilegiis & immunitatibus nõ gaudent; ita neque eiusdem quoque legibus & cæremoniis tenentur. Secludimus hinc semper scandala & alia externa, quæ aliud interdum postulant.

Non eadem vbique ratio vigiliarum & festorũ.

In ieiuniis, festis, aliisq; similibus, quilibet sese accommodare debet cõsuetudini loci, in quo versatur.

VERVM ENIMVERO si ieiuniorum numerum ex communi iure, vel consuetudine definire velimus, vt velle omnino debemus, (agimus hîc enim non de priuatis ieiuniis, sed de communibus) paucis dici potest, præter Quadragesimam & quatuor anni tempora, de quibus iam antè disputatum est, omnium Apostolorum præferias, (Philippi duntaxat, Iacobi, & Ioannis Euangelistæ exceptis) natiuitatis item Domini, & Pentecostes, & Ioannis Baptistę, & assumptę ad cœlos Virginis, & Laurẽtij Martyris, & omnium deniq; Sanctorum, solenni ieiunio cõsecratas esse.

Quam-

Quamuis ne horum quidem omnium meminerint antiqui scriptores, aut Romanæ Ecclesiæ Pontifices; at meminerunt tamen ferè omnium.

Serm. 25. ad fr. in ere.

AVGVSTINVS; si is tamen sermonum ad fratres in eremo germanus auctor extitit: Scitote, fratres, quòd antiquitùs patres nostri fideles ieiunare consueuerunt in vigiliis magnarum solennitatum vsque ad noctem, quod laudandum erat & bonum. Aliquod tamen est ieiunium deuotionis, vt ieiunare vigiliam sanctorum Cypriani compatriotæ nostri, & Geruasij & Protasij & similium. Aliud est ieiunium institutionis, vt assumptionis B. MARIAE, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, S. Apostolorum Petri & Pauli, Simonis & Iudæ, Matthæi & Andreæ, & Iacobi maioris. Istorum vigilias ieiunare semper debemus; vt sicut ieiunando cum iis patimur, ita & in futurum cum eis pariter gloriemur. Hęc Augustinus de præcipuis præferiarum ieiuniis sua ætate receptis, etsi fortè non de omnibus.

Aliud deuotionis, aliud institutionis ieiunium.

SED neque Innocentius quoque, vbi ea de re agit, vigiliarum numerum ab Augustino assignatum multùm excedit; Siquidem ad dubium de quarundam vigiliarum ratione à Bracharensis Ecclesiæ Episcopo propositum, ita rescribit: Consultationi tuæ respondemus, quòd omnium Apostolorum vigilię sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ, præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangelistæ, quoniam ipsorum solennitas intra solennitatem paschalem, istius autem intra natalem Domini celebratur. Sanctorum quoque vigiliæ, quorum festiuitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sabbato sunt ieiunandæ. De festiuitate verò B. Bartholomæi Apostoli, de cuius celebratione dubietas oritur apud quosdam, respondemus, quòd in hoc tuæ consuetudinem regionis obserues. Hæc de vigiliarum numero Innocentius, sed diminutè; nisi generali quadam ratione, quas non exprimit, per hoc complexum dicamus, quòd vigilias Diuorum, quorum festa cadunt in diem Lunę, die sabbato celebrandas definit.

De ieiunij obseruatione consiliũ.

Vigilię festorum secundæ feriæ p̃cedenti sabbato sunt celebrandę.

VERVM Concilium Oxonienſe, Salegunstanum, & alia præterea cùm Diœcesana tum prouincialia non pauca, nullam prorsus ex iis, quas paulò antè assignauimus, omittũt. Et vt nihil quicquam in vllo omnino Concilio ea de re cautum extaret, adhuc sola

sola Christiani populi cõsuetudo, ad quamlibet vigiliam firmandam sat esset. Nam vt D. Augustinus rectè monet, in iis rebus, in quibus certi nihil statuit scriptura diuina, mos populi DEI, & instituta maiorũ pro lege tenenda sunt. Quamuis ergo ius commune de vigilia Pentecostes, Ioannis Baptistæ, B. Laurentij, Assumptionis virginis matris, & omnium Sanctorum, nihil disertè decreuerit; attamen quòd longo iam tempore ab vniuerso populo Christiano æquè religiosè obseruentur, ac cæteræ, de quibus expressè in iure statutum est, non minùs obligant quàm reliquæ certa lege iunctæ. At de intrinseca ieiuniorum ratione, communique eorundẽ partitione satis, nunc ordinis ratio postulat, vt de illorum vi, vtilitate & vinculo nonnulla quoque in medium adferamus.

Epist. ad Casulanum.

Ius cõmune plurium vigiliarum nõ meminit, quę tamen ob populi cõsuetudinem æquè obligãt, ac cæteræ.

Ieiunia cùm in boni procuratione, tum in mali rursum depulsione insigni vi pollere, fructusq́, si pio castóque animo suscipiantur & perficiantur, admirabiles de se fundere.

CAPVT VNDECIMVM.

DISPVTATVM est hactenus de internis externisque Christiani ieiunij partibus, proximum est, vt quædam quoque de propriis eiusdem viribus & fructibus exponamus. Nam cùm ieiunium actus sit abstinentiæ, vel peculiaris quædam eiusdem species, non potest suas quoque vires & vsus non sortiri. Nouatores duo hæc inter se confundunt, sed id absq; omni ratione & auctoritate; imò verò contra omnem rationem & auctoritatem. Constat enim, alium ieiuniorum legem esse & finem, alium abstinentiæ. Nam, vt alibi explicatum est, abstinentiæ lex obligat ad vnum omnes, & semper, & vbique: (nunquam enim plus comedere aut bibere licet, quàm pro tuenda valetudine manducandum vel bibendum esse recta ratio dictat) ieiunium autem nec omnes obligat, nec semper obligat, neque vbique obligat, sed loco & tempore tantùm. Lex rursum & regula abstinentiæ est ratio humana; hæc enim est, quę pro loci, temporis, personæ, reliquorumque, quæ rem circumstant, qualitate & conditione dictat, quid, quomodo, quoties, quantum &c. comedere conueniat. Lex autem & regula ieiuniorum est

Nouatores citra rationem & auctoritatem ieiuniũ & abstinentiã confundunt,

Lex abstinentiæ obligat omnes, vbiq; & semper, ieiunium autem nec omnes nec semper.

Regula abstinẽtiæ est ratio humana: lex autem seu regula ieiuniorũ est voluntas diuina per Ecclesiã patefacta.

voluntas diuina per Ecclesiam nobis patefacta. DEVS enim est, qui per Vicarios suos docet, quomodo, quãdo, quantũ &c. Christianum hominem ieiunare oporteat, vt hoc vel illud bonum impetret, aut hoc vel illud malum euadat. Finis tandem & scopus abstinentiæ est corporis sanitas, bonáque eiusdem constitutio: Finis autem & scopus ieiuniorum est mentis in DEVM eleuatio, vitiorum compressio, virtutum adeptio, aliáque eiusmodi, de quibus hoc capite tractatur ex instituto.

Fines ieiunij & abstinentiæ diuersi.

AD abstinentiam pertinet illud Ecclesiastici: *Noli auidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram.* Et illud eiusdẽ: *Qui abstinens est, adiiciet sibi vitam.* Et illud Ezechielis: *Cibus tuus, quem vescēris, erit in pondere.* Et illud Pauli: *Iuuenes hortare, vt sint sobrij.* Et illud Augustini: Nõ interest, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat; dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. Et illud Chrysostomi: Nihil sic iocundum est, sicut cibus bene digestus, nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio.

Cap. 37. In multis escis non deest infirmitas.
Cap. 37.
Cap. 4. Ad Tit. 2. de quæst. Euang.
d. 5. de conf. Nihil. Mirabiles vires sobrietatis.

AD ieiunium autẽ illud CHRISTI: *Tu autem cùm ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; & pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi.* Et illud eiusdem: *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis die.* Et illud Apostoli: *In fame, in siti, in ieiuniis multis.* Et illud Actorum: *Ministrantibus & ieiunantibus illis, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum &c.* Et illud Prophetæ regij: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* Item: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* Et illud tandem Lucæ: *Et hæc vidua vsq; ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte & die.* Nam hæc aliáque similia, quæ passim in scripturis occurrunt, ad solam moralem abstinentiam rectè transferri non posse, id nemo dubitat, nisi Apostolos post ablatum sponsum intemperanter quandoq; vixisse persuasum habeat. Missis proinde eorum nugis, qui semper ieiunandum esse vociferantur, cùm ipsi tamen nunquam verè ieiunent, ad id, quod capitis huius proprium est, stylum vertamus.

Matth. 6.
Marc. 2.
2. Cor. 11.
Cap. 13.
Psal. 34.
Cap. 2.

Sectarij nunquã verè ieiunant, & tamẽ semper ieiunandum clamant.

PRIMVM igitur propriumque ieiuniorum opus est, carnem inordinatosq; eiusdem motus, ne vehementiùs contra spiritum insur-

Primum ieiunium opus carnẽ

insurgant, comprimere, peccatíq; regnũ in nobis euertere. Nam etsi Baptismi Sacramentum omnem noxam expiet, CHRISTIque meritum & satisfactionem liberaliter nobis communicet, carnis tamen stimulum non tollit; neq; ea quoq; vi illam constringit, vt ad illicita, diuinæque & rationis legi dissentanea interdum non allectet. Suppetunt sanè multa strenuis CHRISTI militibus præsidia & arma, quibus domestico huic hosti, internóque Iebusæo obsistere, eiusdemq; impetum compescere valeãt, & compescere quoq; soleant; experientia tamen teste nullũ ex omnibus est præsentius, nullum efficacius, quàm frequens ieiuniũ: Siquidem moralis abstinentia, quam Philosophi profesi sunt, quamque vnam, dum de ieiunio agitur, Sectarij admittunt, per se ad hunc tantum hostem debellandum non est satis. Imò quò quisq; temperantiùs, naturæque conuenientiùs viuit, eò efficitur vegetior & sanior, adeóq; ad generandum & quiduis aliud præstandum potentior.

eiusdemque motus cõprimere.

Moralis abstinẽtia non sat est ad debellãdam carnis concupiscentiam.

QVARE fomiti membrorúmue legi propriè non opponitur abstinentia Philosophica, sed parsimonia Christiana; quæ vtinam ita nota & vsitata foret, vt Christianæ vitæ est necessaria, primisque Christiani nominis hominibus domestica erat. Neque enim illi menstrua tantùm & hebdomadaria, eáque triplicia ieiunia habebant, verùm tot spontanea, vt tota illorum vita aliud nihil esse videretur, quàm statum quoddam ieiunium. Practicabatur per id tempus illud Hilarionis: Ego, asine, faciam, vt non calcitres; neque te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam & graui siti onerabo; traham te per æstus & frigora, vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites.

Primi Christiani ieiuniis, & carnis mortificationi deditissimi.

Hier. in vita Hilar.

ET quia ieiunia primis Christianis multò quàm huius ætatis hominibus erant familiariora (vix enim adoriebantur arduum aliquod negotium, cui ieiunia & orationes non præmitterent) fiebat, vt multò per id tempus pauciora in populo essent vitia, multóque rariora scandala in clero, quàm sunt hac infœliciss. ætate: Siquidem vbi caro commodè nutritur, molliterque tractatur, ibi carnis quoque vitia nutriuntur & propagantur. Contrà verò, vbi eadem edomatur, spirituique, vt par est, subiicitur, ibi etiam flagitia & peccata, quæ hinc, veluti ex perpetua quadam scaturigine, promanare solent, comprimuntur & extinguuntur. Quapropter licet proximus ieiuniorum effectus sit carnis mortifi-

Proximus ieiuniorum effectus carnis mortificatio, principalis carnalium vitiorum eliminatio.

ficatio, principalis tamen est vitiorum, quæ ex carne oriuntur, restinctio. Quod etsi nemo sanæ mentis negare queat, conuincitur enim experientia, attamen quò veritas hæc illustrior euadat, carnisq; mancipia ad sui amorem potentiùs rapiat, quid veteres ea de re literis prodiderunt, paucis hoc loco repetere placet.

Serm. de Ieiun.

CYPRIANVS: Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluntates, extinguitur ardentis Ætnæ incendiũ, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecùs, montes conterminos non adurit. Ieiunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, seruos DEI, mundi efficit contemptores. His nihil dici potest grauius, nihil ad id, quod de ieiunij energia in expugnandis carnis vitiis assertum est, accommodatius.

Insignis ieiuniorum virtus in debellandis vitiis carnalibus.

Lib. contra Psychicos.

TERTVLLIANVS: Nos certò scimus, quòd qui in carne sunt, DEO placere non possunt, non in substantia, sed in cura, in affectione, in operatione, in voluntate. Macies non displicet DEO, nec datum est nobis corpus ad pondus, sed ad opus. Saginentur pugiles olympici, qui corporis curam habẽt, & porci, si vultis, Epicuri de grege, qui omnia cum corpore perire putant. Nobis vtinam carnis curam non facere contingeret; alia sunt Ecclesię robora & certamina, aduersùs scilicet carnem & sanguinem, sed spiritu & virtute pugnare oportet. Disce hinc pugnæ necessitatem, disce aduersarium, disce arma & robora, quibus pugnandum est. Ecquænam sunt arma ista, si non sunt ieiunia?

Corpus nobis datum ad opus, non ad pondus.

Saginare carnẽ pugilum & porcorum proprium.

Ser. 65. de temp.

AVGVSTINVS: Princeps humani generis Adam, quamdiu ieiunauit, seruans mandatum, in paradiso, fuit; vbi verò comedit, eiectus est de paradiso. Et qui in paradiso DEI virgo fuerat, eiectus de paradiso, cognouit vxorem. Semper enim saturitati coniuncta est lasciuia; vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Alibi idem pater ita scribit: Semper caro nostra subdita sit animæ nostræ, sicut ancilla famulatur dominæ; non præbeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum crudum aduersùs spiritum nostrum, non incrassari permittamus ancillam, ne superbiat in dominam.

Saturitati coniuncta lasciuia.

Epistol. 111. ad Bonifac.

Dome-

Domemus ieiuniis vigiliis, orationibus, imponamus frenũ equo feroci; simus boni aurigæ, ne per præcipitia labamur, vt per viam rectam possimus incedere; temperemus ab escis, quæ non solùm animam, verùm corpus plerunque lædunt & deliciis mundi, quæ trahunt homines, vbi gutta aquæ desideratur, nec datur. Et hæc quoq; ieiuniorum vim aduersùs carnem carnisq; vitia luculenter admodum explicant.

Esca & corpus, & animam lædunt.

HIERONYMVS: Ventris ingluuies tàm animæ quàm corpori ministrat materiam, ideo medicinale ieiunium omnem auferat languorem, & omnem tribuat virtutem & gratiam. Quid verò virtutis contineat sacrum ieiunium, à vestro inuestigemus sponso, qui quadragenario peracto ieiunio, Diaboli vicit tentationem. Viri Niniuitæ non sileant, qui ieiuniis commune euaserunt exilium. Sed sit tale, ne dicatur à Domino: Non est hoc ieiunium quod elegi: Castigate membra, sed nolite interficere: non causet ieiunium verecundiam, vt scandalum sit cæteris. Non dolore capitis sacræ omittantur lectiones, & alia sancta exercitia. Sit ieiunium medicina; frangatur corpus, castigentur membra verberibus, multiplicentur abstinentiæ. Et si adhuc adsit concupiscentia illicita, adhibeantur grauissimæ disciplinæ, quousq; erigatur Domina & seruiat serua. Quòd si iterum erigitur, iterum fatigetur, sed non vltra modum, nihil enim habere potest virtutis, quod indiscretio facit, quod improuisio docet.

Epist. ad Eustoc.

Medicinale ieiunium omnem aufert languorẽ, & omnẽ tribuit virtutem.
Lucæ 4.
Ionæ 3.
Esa. 58.

Membra castiganda nõ interficienda.

BASILIVS Magnus: Quemadmodum vermes, qui in puerorum intestinis generantur, pharmacis quibusdam acerbis & amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus habitans extinguit enecatque, simulatq; in animum superuenerit, ieiunium; ob hoc ipsum suo dignum nomine, quòd inedia purget animæ viscera. Quòd si ieiunium carnis vitia intimis infixa visceribus potest expellere, multò magis ne in animam illabantur, poterit impedire. Facilius est enim hostem, ne ciuitatem occupet, arcere, quàm iam admissum expellere.

Ser. 1. de ieiun.

Ieiunium peccatum intimis visceribus infixũ expellit.

CHRYSOSTOMVS: Abstinentia à cibis propter hoc recepta est, vt vigorem carnis refrænet, & equum moderanti facilè parere faciat: adest ieiunium, de quo loquimur, quod vt cum fructu fiat apud DEVM, adiungendum est illi alterum ieiunium, puta à vitiis: oportet enim ieiunantem ante omnia iram refrænare,

Hom. 8. in Gen.

Vt ieiunium fructuosum existat, ieiunium à vitiis adiunctum habeat, oportet.

manſuetudinem & lenitatem addiſcere, habere cor contritum, & quod abſurdas cõcupiſcentias repellat, ante oculos continuò ponere oculum ęterni iudicis; liberalẽ eſſe in dando eleemoſynã, nullum malum aduerſùs proximũ in cor admittere. Et infrà: Propter hæc abſtinentiam à cibis præcepit Dñs, vt refrenantes carnis laſciuias eam obediẽtem faciamus, & ad mandata Dei implenda ſequacẽ. Ieiunium corpus cõprimit, laſciuias inordinatas refrænat, animam clariorem efficit, & ſublimem & leuem facit.

1. Cor. 9.

Idem exponens illud Apoſtoli: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, ita ſcribit: Si ille, cui tanta contigit gratia, poſt tanta & talia opera opus habebat, vt caſtigaret & in ſeruitutem redigeret, & ſubiiceret poteſtati & dominio animæ corporis laſciuias: (caſtigat enim, quod inſurgit, & in ſeruitutem redigit, cui frænum imponit) quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus deſtituti, omnibus peccatis onerati ſumus; & præterea magnã ignominiam

Dæmones & fomes nullas indulgent inducias.

præ nobis ferimus? nunquid inducias habet hoc bellum? num tempus aggrediẽdi dilatum? omnes nos vigilare & ſobrios eſſe oportet, & nunquam in ſecuritate eſſe. En vt ſanctus hic vir nemini, dum in hoc mortali corpore verſatur, ſecuritatẽ promittat? En vt oẽs, vti ſemper in acie conſiſtant, ieiuniiſq; & aliis piis operibus vacent, nec non aſsiduò cum carne & dæmone, qui nunquam non infeſtant, bellum gerant, ſtudioſè admonet?

Lib. 10. in Gen.

Cyrillvs: Eſt certè libertas Chriſtiana per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiæ ſuperſtitione, ſed virtute continentiæ ſuffulta ſubſidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt? Quomodo ſapientiæ & ſcientiæ ſtudebunt? nónne per continentiam ventris & gulæ? Quomodo ſeipſum quis caſtrat propter regnum cœlorum, niſi cibariorum affluentiam reſecet? niſi abſtinentia vtatur miniſtra. Hæc Cyrillus, quæ paucis eò tendunt, vt intelligamus, neque victoriam contra carnem abſque ieiunio obtineri, neq; aliud quicquam præclarum abſque eiuſmodi adminiculis præſtari.

Ieiunium eſt inſtrumentum ad omne opus bonum, gula autẽ ad omne vitium & peccatum.

Serm. 6. de coll. ſer. 8.

Leo Magnus: Oratione propitiatio Dei quæritur, ieiunio verò concupiſcentia carnis extinguitur. Et infrà: Quamuis ſine anima caro nihil deſideret, & inde accipiat ſenſus, vnde ſumit & motus; eiuſdem tamen eſt animæ, quædam ſibi ſubditæ ſubſtantiæ negare, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora

Ieiunio cõcupiſcẽtiæ carnis extinguuntur.

frę-

frænare; vt à corporis cupiditatibus libera in aula mentis posit diuinæ vacare sapientiæ: vbi omni strepitu curarum silente, meditationibus sanctis in deliciis lætetur æternis. Quod si in hac vita difficile est continuari, potest frequenter assumi, vt sæpius ac diutius spiritualib. potiùs quàm carnalibus occupetur. Et paucis interiectis subdit; Huius obseruantiæ vtilitas in Ecclesiasticis est præcipuè constituta ieiuniis.

QVAE hucusque ex Patribus allata sunt, ea disertè probant, ieiunium inter omnia, quæ inordinatos carnis motus comprimere carnaliaque vitia extinguere nata sunt, primas facilè obtinere. Probat nihilominus, ieiunia generatim accepta, omni quoq; lege secluſa, medicamentum esse Ecclesię membris vsq; adeò necessarium, vt absq; illius præsidio salua consistere, vel non queant, vel ægrè admodum queant. Nam etsi singulis necessaria non sunt (comperiuntur enim multi infirmi; multi rursum, qui præ miseria alimento indigent magis quàm ieiunio; nonnulli etiam peculiari DEI gratia, longaque exercitatione id consecuti sunt, vt domestici hostis importunitatem non magni faciant,) in omni tamen hominum statu, ætate, & genere, semper inueniuntur aliqui, qui isthoc antidoto indigent, & ita quidem indigent, vt absq; eo commodè sanari non valeant.

Ieiunia Ecclesiæ membris necessaria, etsi non singulis.

SEQVITVR hinc quoque, qui generatim & indiscriminatim eos omnes à ieiunij lege eximunt, qui infra vigesimum primum ætatis annum constituti sunt, iudicio egere, ne quid grauius dicam. Etenim Ecclesia, quæ humanæ salutis auidissima & studiosissima est, nec vult, nec iustè velle potest, eos ab omni ieiunij lege absolutè absoluere, qui tali animi morbo tenentur, vt citra ieiunium sanari, vel non possint, vel ægerrimè possint. Atqui adolescentes pleriq; omnes, vbi decimum quartum, vel quintum, vel sextum ætatis annum excesserunt, nonnunquam tam acribus Veneris stimulis perurgentur, vt solo ieiunio à tam infesto & pertinaci malo liberari posse videantur. Eos itaque à tam salutari, præsentaneo, & necessario præsidio arcere, aliud nihil est, quàm salutis eorum reum se constituere; arcent autem non obscurè, qui ab omni ieiuniorum lege & obligatione simpliciter illos liberos pronunciant.

Ieiunia non solùm adultis, sed ephebis quoque sæpenumero sunt necessaria.

ALLE-

ALLEGANT qui ab illis vel contra illos veriùs ſtant, ieiunia iuſto corporum robori & incremento nonnullum detrimentum adferre. Verùm hæc cauſa (dummodo illorum ieiunia modum non excedant) neque vera eſt, neque quæ admittatur ſatis idonea eſt. Conſtat enim, ętate Bernardi & Baſilij Magni, & multos quoque annos antè, homines eodem corporis robore polluiſſe, quo noſtro hoc tempore: & tamen, vt ſuprà audiuimus, nullus illorum ætate ſexus, nulla ætas, nulla hominum conditio à communibus Eccleſiæ ieiuniis eximebatur, nedum ab iis, quas dictat lex naturæ. Conſtat nihiloſecius, plerasq; Eccleſias Orientales nullos ex illis (niſi morbus forſan vel aliud impedimentum aliud ſuadeat) à communi ieiuniorum lege abſoluere, qui corpori & ſanguini dominico communicarunt, vel decimum quartum ætatis annum expleuerunt; & tamen regionis illius hominibus, neq; iuſta corporis moles, neq; iuſtum quoq; corporis robur deeſt; quod ſi cui alterutrum deeſt, non deeſt propter ieiunium, ſed propter aliquam aliam cauſam. Conſtat tandem, ieiunia non ordinari ad robur vel ſalutem corporis; ſed ad ſalutem & robur animæ. Quare ſi hæc citra ieiunium ſalute potiri non poteſt, vel commodè non poteſt, (id quod ſæpe vſu venire ſolet) contemnendum eſt, quod de corporis incommodo allegatur; Maximè verò cùm eiuſmodi incommodum vel nullum ſit, vel tam exiguum ſit, vt nulla eius ratio habenda videatur.

Baſilii et Bernardi ætate nulla ætas à ieiunii lege generatim eximebatur.

MITTO hîc, illos ipſos, qui iuniores ab omni omnino ieiunii lege ſimpliciter abſoluunt, haud grauatim fateri, conſultè eos facere, qui adoleſcentes, imò etiam pueros inducunt, vt ſemel aut iterum quauis Quadrageſimæ hebdomada ieiunent. Iam ſi citra vllam naturæ offenſionem aut incrementi iacturam, (hanc vnicam enim illi vrgent, qui vigeſimo primo anno minores generatim ab omni ieiunio excuſant) bis aut ter ſingulis hebdomadis ieiunare poſſunt, poterunt vtiq; omnia extraquadrageſimalia ieiunia citra vllam valetudinis offenſionem obſeruare; vt quæ communiter ad vnum tantùm, aut alterum diem protendãtur. Saluo proinde grauiſsimo Eccleſiæ iudicio, cenſerem adoleſcentes, vbi decimũ quartum vel quintum annum expleuiſſent, non ad ea tantùm ieiunia minis & cohortationibus adigendos, quæ lex naturæ ab illis exigit, ſed ad quædam quoq; Eccleſiaſtica; nam

Iuniores ad quædam Eccleſiæ ieiunia inducendi & compellendi.

nam ad omnia ſtrictè obſeruanda illos compellere, fortè non expediret.

SEQVITVR ex prædictis rurſum, nullũ omnino mortalium, quantacunq; tandem auctoritate polleat, aut præeminentia fulgeat, ieiunium abſolutè acceptum vniuersè abrogare, vel ita cum omnibus & ſingulis ſuper ieiuniorum lege diſpẽſare poſſe, vt nullus ampliùs ad vllum prorſus ieiunium obligetur. Solus autem vniuersè diſpenſare hîc poteſt, qui ſolus omnem ieiunandi cauſam, omnemque animi morbum præſcindere per ſe poteſt, nempe DEVS Opt. Max. Cederet enim vniuerſalis illa ieiunij abrogatio in apertum iuris diuini & naturalis præiudicium, & in manifeſtam quoque infirmarum animarum perniciem. Oboleretur namque ea ratione præſentaneum, & ordinarium, & ad ſpiritalis vitæ cõſeruationem omnino neceſſarium alexipharmacum. Dixi, neminem ieiunium abſolutè acceptum abrogare poſſe: Siquidem ieiunium, quod iam olim obſeruatur in Eccleſia, ſi cauſa adeſſet, mutari, vel abrogari quoque poſſet.

Nullus mortalium ieiuniũ abſolutè acceptum vniuersè abrogare poteſt.

CONSEQVITVR hinc tandem, nouos illos Phyſicos, qui totum penè Euangelium à vero legitimoq; ſenſu & ſcopo in carnalem quandam libertatem transferunt, prę nimia mentis cæcitate ſi non apertè pugnantia, certè admirabilia ſtatuere ac ſcribere: Fatentur enim, magnisque vocibus deblaterant, poſt ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum vſque adeò atrocem incenſamque carnis libidinem in regeneratis adhuc ſupereſſe, vt totus homo quaſi caro, vel quædam carnalium vitiorum ſentina effectus, aliud nihil cogitare, nihil dicere, nihil facere queat, niſi peccatum. Sed neque diffitentur quoque, fidelibus perpetuò cum hoc hoſte dimicandum, & congrediendum eſſe; imò verò potiſsimam perfectionis Chriſtiani hominis partem in eo obnixu & pugna conſiſtere, palàm prædicant. At cùm vtrumque agnoſcant, publiceque doceant; præcipuum tamen validiſsimumque telum, quo contra hunc hoſtem digladiandum erat, Sanctique & ſapientes omnes digladiari ſolent, & digladiandum eſſe monent, puta ieiunium, Chriſtiano populo è manibus eripere enixè contendunt.

Sectariorum doctrina ſibi planè diſſentanea.

ADMITTVNT ſanè illi quoddam ieiunium, ſed illud planè commentitium, multisq; nominibus mutilum & mancum. Tra-

Cuiusmodi ieiunia admittant & statuant sectarij.

dunt enim, eos demum verè & Christianè ieiunare, qui contra abstinentiæ legem nihil committunt. Addunt, nihil referre, semelne comedas, an bis, carnémue an piscem, vel aliud quodcunque vores, dummodo valetudini rectè consulas, & intra morales abstinentiæ limites te contineas; & tamen clarè iam antè ostensum est, & apud eos, qui cor & oculos habent, palpabile est, aliud esse ieiunare, vt CHRISTVS per Apostolos ieiunandum esse docuit, & totus fidelium cœtus iam inde ab Apostolorum tempore ieiunare semper consueuit, aliud abstinentiæ leges non excedere. Dicũt tandem, nullum ieiuniorum tempus vlli omnino præscribendum esse, sed vnicuique, quando ieiunare velit, & quantum velit, & quomodo velit, liberum relinquẽdum. Sed hoc æquè absurdè & dissentaneè ac primum: Nam si vnusquilibet debet & potest sibi certum tempus deligere, quando ieiunio operã dare velit; ergo non semper est ieiunãdum; quod prima illorum sententia disertè profitetur: Nam, vt ipsis placet, aliud nihil est ieiunare, quàm abstinẽtiæ leges accuratè obseruare; at illas semper seruare oportet.

Sectariorum sentẽtia semper est ieiunandum.

AD hæc si omnino ieiunandum est, vt ieiunandum esse Antagonistæ non diffitentur, quæro ab iis, sempérne ieiunandum sit, an aliquo certo tempore. Si omni tempore ieiunandum est; ergo eo etiam tempore, quo ab Ecclesia ieiunium indictum est: Siquidem omne tempus nullam temporis partẽ excludit. Si aliquo certo tempore; ergo aliquo tempore intemperanter viuere fas erit: Idem enim apud illos est ieiunare, quod naturæ conuenienter viuere. Rursum si non omni, sed aliquo certo & definito tempore; ergo cùm, vt ipsi ponunt, non sit maior ratio de vno, quàm de altero, illud obseruandum erit, quod à lege vel consuetudine præscriptum est. Quandoquidem si quid secundùm se adiaphorum aut indefinitum ad certum tempus vel modum determinandum est, si rationem ducem sequamur, plus apud nos valere debebit maiorum statutum, vel communis populi cõsuetudo, quàm priuata cuiusque libido.

DICENT ad hæc forsan, omni tempore ieiunandum esse, adeoque illo etiam, quo Ecclesia ieiunium indicit, verùm non eo modo, quo iubet Ecclesia. At hæc exceptio nulla est; siquidem vt extet aliquod veri nominis ieiunium, modum à communi

muni abstinentia diuersum habeat oportet. Talem autem modum illi nullum assignant; sed neque vllum quoque, qui eo, quem designauit Ecclesia, sit moderatior, omniq́ue statui & ætati conuenientior assignare possunt. Excipient alij fortassis, & dicent: In modo, in tempore, aliisque similibus ab alterius præscripto dependere, Christianæ libertati non satis consentaneum esse. Verùm hoc quoque nihil est: Sæpe enim iam dictum est, & per se satis quoque manifestum est, Euangelium non prædicare carnis licentiam, sed crucem, sed propriæ voluntatis abnegationem, sed obedientiam, sed omnem virtutis actionem. Notum est enim illud CHRISTI: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Item: *Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Rursum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; aliaque multa eiusmodi. Ad hæc nullum potest esse ieiunium, quod omni modo & lege sit prorsus destitutum: Inepta sunt ergo, quæ de modi vel temporis libertate allegant Sectarij. Verùm de primo præcipuoq́; ieiuniorum effectu satis.

Scripturæ inter abstinentiam & ieiunium manifestè secernunt.

Matth. 16.

Luc. 9.

Matth. 10. Matth. 19.

CAETERVM ex carnis carnaliumq́; desideriorum & vitiorum mortificatione, quam ieiunium per se primò efficit, naturali quadam σωφροσύνῃ, sequitur alius eiusdē fructus æquè ferè illustris ac is, de quo hactenus egimus, nimirum mētis ad DEVM eleuatio. Nam cùm caro & spiritus veluti opposita perpetuò inter se colluctentur, consequens fit, vt eò spiritus magis assurgat & floreat, quò carnis sensus magis deprimitur, & conculcatur; è diuerso verò vt spiritus eò magis langueat, prostratusque iaceat, quò caro commodè molliterque habita, petulantiùs contra ipsum insurgit. Alter proinde ieiuniorum effectus est mentis ad DEVM ascensus, cæteraque omnia, quæ cum hac mentis eleuatione naturalem connexionem habent, vt sunt cœlestium rerum gustus, orationis feruor, petitorum impetratio, diuinorum secretorum præceptio, pluraque id genus alia, quæ Scripturæ & Patres ea de re produnt. Constat enim, Danielem non priùs ea, quæ genti suæ olim euentura erant, & alia præterea multa, quæ ad CHRISTI regnum pertinebant, diuino spiritu mentem illius collustrante, & subuehente hausisse, mundoque patefecisse, quàm trium hebdomadarum ieiunio se maceraſſet. Neque ELIAM rursum priùs ad DEI visionem,

Ex carnis compressione naturaliter consequitur mētis seu spiritus in DEVM eleuatio.

Dan. 10.

Ieiunium subleuat mentem ad DEVM, rerumque cœlestiū notitiam & gustū conciliat.

quanta homini in hac mortali vita obtingere potest, admissum esse, quàm 40. dierum ieiunio ad eiusmodi spectaculum se præparasset. Neque Moysen tandem antè legis tabulas, quibus secreta DEI voluntas continebatur & exponebatur, in monte Syna accepisse, quàm 40. dies non absque miraculo ab omni cibo & potu abstinuisset. Verùm præstat, ea de re veteres Patres differentes audire.

Exod. 24 34.

Serm. de Ieiun.

CYPRIANVS: Ieiunium carnes azymas mundat & solidat, & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Ieiunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio egrediũtur incendio. Moyses in monte 40. diebus cum Domino perseuerans, & DEI familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Elias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum, temporibus Christianis clariùs patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quoties viri virtutum aliquid à DEO obtinere conati sunt, ieiuniis incubuere & lachrymis; & pernoctantes in orationibus ciliciis carni adhærentibus supplices beneficia postularunt: nec defuit prouentus. Hæc Cyprianus de ieiuniorum vi, dum aliis pietatis officiis non destituuntur.

Dan. 2, 3.

Exod. 24 34. 3. Reg. 19.

Apol. cont. Genes. 40.

TERTVLLIANVS: Nos ieiuniis aridi, & omni continentia aspersi, in sacco & cinere volutãtes, DEVM tangimus, & cùm misericordiã extorserimus, honoramus. ATHANAS: Quisquis immũdo spiritu vexatur, certum habere debet, spiritus malos ieiunio afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes; valde enim Dæmones oblectantur crapula & otio corporis. Magna vis ieiunij, magna & præclara fiunt per illud. Alioqui quomodo fieri posset, vt homines tam mirifica præstent, vt Dominus per eos vel signa faciat, vel sanitatem laborantibus donet, nisi planè ob deuotas meditationes, & humilitatem animi, & conuersationem bonam? Ieiunium enim est cibus Angelorum, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est. Atqui Angeli perpetuò in diuinorum mysteriorum contemplatione versantur, mentemque iugiter in DEVM erectam habent.

Lib. de virg.

Dæmones oblectantur crapula & corporis otio: ieiunium autem vehemẽter metuunt.

BASI-

BASILIVS: Ieiunium reſtrinxit vim ignis, obturauit ora leonum; ieiunium preces noſtras ſubuehit in cœlum, dum illis alarumvice fit, quo ſurſum ferantur. Ieiunium familiarum eſt incrementum, iuuentutis pædagogus, ornamentum ſenibus, bonus comes viatori, tutus conuictor coniugatis. Ieiunium Prophetas generat, potentibus robur addit. Ieiunium legumlatoribus ſapientiam ſubminiſtrat. Ieiunium eſt bona animæ cuſtodia, corporis tutus conuictor, armatura fortiter belligerantium, ſobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem; atq; vt ſemel omnia dicam, reperies quotquot fuere Sancti, omnes per ieiunium ad vitam DEO dignam fuiſſe inſtitutos.

Serm. 1. de ieiun. dam. 2. 6.

Ieiunium Prophetas generat, & ſapientiã adminiſtrat.

AMBROSIVS: Magna virtus eſt ieiunij, tam ſpecioſa militia eſt, vt ieiunare delectaret & CHRISTVM; tam valida, vt ad cœlum homines eleuaret. Et vt humanis magis, quàm diuinis exemplis vtar, Heliæ ieiuni ore vox emiſſa cœlum clauſit ſacrilego populo Iudæorum. Quid reliqua eius contexam? Ieiunus filium viduæ ab inferis reſuſcitauit; ieiunus pluuias ore depoſuit; ieiunus ignes de cœlo deduxit; ieiunus curru raptus eſt ad cœlum, & 40. dierum ieiunio diuinam præſentiam acquiſiuit; tunc deniq; plus, quando plus ieiunauit. Et infrà: Quid eſt ieiunium niſi ſubſtantia & imago cœleſtis? Ieiunium eſt refectio animæ, cibus mentis. Ieiunium vita eſt Angelorum. Ieiunium eſt culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis; hoc ad DEVM gradu citiùs peruenitur.

Lib. de cti. & ieiun c. 2.

3. Reg. 17.
Iacob. 5.
4. Reg. 1.
4. Reg. 2.

Cap 3.

Ieiunium eſt radix gratiæ, caſtitatis fundamentum.

AVGVSTINVS: Aduertamus, quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis æſtuantes. Moyſes quia ieiunauit, vidit Dominum; populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus eſt. Eiuſdem ferè ſententię ſunt hæc Hieronymi: Sed neque ſecunda conſcriptio tabularum, abſque ieiunio potuit impetrari: quod ebrietas perdiderat, inedia reperit; ex quo oſtenditur poſſe nos per ieiunium redire ad paradiſum, vnde per ſaturitatem fueramus eiecti.

Ser. 65. de temp.

Li 2. con. Iouin.

Per ieiunium patet reditus ad paradiſum.

LEO Magnus: In omni agone certaminis Chriſtiani, vtilitas continentiæ plurimùm valet; ita vt quidam ſæuiſsimorum ſpiritus Dæmonum, qui ab obſeſsis corporibus nullis exorcizantium imperiis fugantur, ſola ieiuniorum & orationùm virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in ieiunio*

Serm 2. de ieiun. 7. ment.

Matth 17.

Ieiunātis oratio DEO grata dæmonibus terribilis.

& oratione. Grata est ergo DEO, & terribilis dæmonibus ieiunantis oratio. Nec latet, quantum acquirit suæ saluti, quæ tantum præstat alienæ.

Qui sanctè ieiunat, à mūdo alienatur & spiritalis efficitur.

ISIDORVS: Quis parsimoniam non laudet? ieiunium non prædicet? ieiunium res sancta est, opus cœleste, ianua regni, forma futuri, quod qui sanctè agit, DEO coniungitur, alienatur à mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, Diaboli tentamenta vincuntur. BERNARDVS: Non est magnum, si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Et infrà: Ieiunium corporis est vnctio capitis, & carnis inedia, est refectio cordis. Quid ni dixerim vnctionem, quæ & medetur vulneribus, & exasperatas conscientias lenit?

Serm. 1. de ieiu. Quadr.

Serm. 43.

PETRVS Chrysologus: Mala tempora facit nobis contemptus temporum, cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiuniis consequamur, animas nostras ieiuniis immolemus, quia nihil est, quod DEO præstantius offerre possimus, Propheta probante, cùm dicit; *Sacrificium DEO spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEVS non spernit*. Homo offer DEO animam tuam, & offer oblationem ieiunij, vt sit pura hostia, sacrificium sanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & DEO sit data. CHRYSOSTOMVS: Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentium schola, continentium magister, qui omnem ætatem & sexum quasi diademate quodam ornat.

Psal. 50.

Hom. 1. in Gen.

Ieiunium omnē ætatem & sexū, quasi diademate coronat.

EN omnes hi patres alio alióque orationis genere; alia rursum aliáque via & ratione illustribus sententiis & verbis probant, quod hîc probatum volebamus; nempe ieiunij opus esse, mentem ad DEVM eleuare, rerumq; cœlestium amore eandē inflammare, Dæmonibus imperare, ad diuinorum arcanorum cognitionem viam munire, ieiunantiū preces cœlesti numini gratas acceptasq; reddere, aliáq; id genus non vulgaria virtutum ornamenta à DEO Opt. Max. impetrare. Ecquidni virtutes impetret ieiuniū, vel eas dem augeat, cui vnum hoc munus incumbit maximè, vt carnis vitia ex animæ regno profliget, eandemque spiritui subiuget? Constat enim, eiusdem esse vitia profligare, & virtutes inducere; quippe cùm in hoc rerum statu anima alterutrius, prorsus expers esse nō queat.

Eiusdem est vitia profligare & virtutes inducere.

SED

SED & ipsum quoque ieiunium, vt pium & iustum, nullâque vitiosa circumstantia deformatum est, præstantis cuiusdam virtutis actus est; neque enim bonos viros facere posset, si aut virtus, aut præcellentis alicuius virtutis actus non esset: efficit autem optimos. Quotquot viros virtutis vidimus, scribit Cyprianus, sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magni moliti sunt, nisi abstinentia præcessisset. His consentiunt hęc Basiliana; Comperies, quotquòt fuere Sancti, omnes per ieiunium ad vitam DEO dignam fuisse institutos. Ad hæc suprà ostensum est, ieiunium vel opus esse abstinentiæ, vel peculiarem abstinentiæ speciem; abstinętia autem inter virtutes temperantiæ annexas primatum tenet. Actus rursum & habitus ad idem virtutis genus pertinent. Denique quiuis actus humanus ex eo studiosus dici solet, quòd per rationem ad finem honestum ordinatur, ieiunium autem Christianum per fidei aut rationis lucem refertur ad carnis mortificationem, ad cœlestium rerum contemplationem, ad vitiorum expiationem, aliâque eiusmodi, quæ omnia constat esse honestissima, rectæq; rationi quàm maximè consentanea. Ieiunium itaque non modò virtutum causa, sed præclaræ quoque virtutis actus est.

Serm. de ieiun.
Ieiunium bonos & sanctos viros efficit.
Ser. 1. de ieiun.
Ieiuniũ est actus abstinentiæ, hæc autẽ species temperantiæ.

IAM cùm omne omnino iusti veréque studiosi hominis opus vitæ æternæ sit meritorium, sequitur, ieiunia non modò vitiorum expiatoria, multorumq; illustrium donorũ conciliatoria esse, sed cœlestis quoq; glorię meritoria. Neque hoc CHRISTVS Dominus, vbi legitimum ieiunandi modum præfinit, quicquam dissimulat; ait enim: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, & pater tuus, qui videt in abscondo, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ*, hoc est, reddet vel retribuet tibi in aperto. Atqui omnis iusta redditio ponit debitum, hoc aũt meritum. Ea namq; reddimus, quæ iusto titulo aliis debemus. Pertinet huc quoque, quod Hieremiæ 35. legitur de Rechabitis, Ionæ tertio, de Niniuitis, Iudith 4. & Esther 3. & 4. de Iudæis morti destinatis, Matth. 17. de Dæmonibus soli ieiunio & orationis vi cedentibus, & alibi alia de aliis.

Ieiunium æternę vitæ est meritorium.
Matth. 6.
Debita merces ponit meritum.

DE veterum Theologorum & Patrum super hac re sententia nulla est quęstio. Nihil enim ęquè apud illos vsitatum est, ac ea adscribere ieiuniis, q̃ inter vera rationis merita vel primas obtinent.

Constat

Constat enim, peccata expiare, delictorum veniam impetrare, infernum claudere, cœleste regnum patefacere, filios DEI ex filiis iræ efficere, mentem cœlesti cibo pascere, animam purificare, hominem ex morte redimere, aliáque id genus complura, quę prisci Theologi ieiunio passim tribuunt, res esse tales, quæ citra illustre meritum ordinariè nō obueniunt. Porrò autem quo sensu, quáue ratione ieiuniis tanta hæc verè tribui queant, id alibi iam explicatum est, & suo fortasis loco denuo explicabitur, hîc solùm ostendere lubuit, Patres hæc aliáque eiusmodi ieiuniis familiariter tribuere.

Sermo. de ieiun. de ieiun. & eli.

CYPRIANVS: Ieiuniis ardentis Ætnæ incendium extinguitur, vitiorum sentina siccatur. AMBROSIVS: Ieiunium est mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, refectio animæ, cibus mentis, purificatio animæ, charitatis illecebra, alimentum salutis, reconciliationis sacrificium, incrementum virtutis. Isidorus: Ieiunium est res sancta, opus cœleste, ianua regni: per ieiunium prosternuntur vitia, diaboli tentamenta vincuntur.

Ser. 4. de ieiun.

BERNARDVS: Bonum & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum redimuntur hoc modo peccata. Non solùm autem est abolitio peccatorum, sed extirpatio quoque vitiorum. Non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura quæ committere poteramus.

Lib. de virg.

ATHANASIVS: Magnum munimentum est ieiunium; Oratio item & eleemosyna, cùm ex morte hominem liberēt. Vt enim ob escam & inobedientiam deturbatus est Adam ex paradiso; ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradisum, qui volet, redibit. Basilius: Ieiunium peccatum in intimis secessibus habitans extinguit enecatque, ieiunium tentationes depellit, ieiunium ad pietatem vngit, & vim ignis extinguit. Hæc patres illi de ieiuniorum vi & robore, quibus nihil dici potest clarius, aut ad reuincendum aduersarium potentius.

Hom. 1. de ieiu.

Ieiuniū est satisfactoriū, promeritarumque pœnarum expiatorium.

PORRO autem cùm communi doctorum hominum sententia omnis omnino actus meritorius, simul quoq; soleat esse satisfactorius: ieiunium verò pio animi studio susceptum perfectumq; vitæ æternæ sit meritorium; consequens fit, vt idem quoque promeritarum pœnarum sit expiatoriū: Siue illud ab Ecclesia fuerit indi-

indictum; siue à Confessario iniunctum; siue sponte quoque susceptum. Nam etsi ieiunia à Confessario iniuncta cæteris expient efficaciùs (sortiuntur enim hæc non solùm ex se internáque ieiunantium qualitate vim & energiam, verùm etiam ex clauibus Ecclesiæ): cætera tamen sua satisfaciendi efficacitate non carent. Quandoquidem vt opus aliquod verè propriéque sit satisfactorium, sat est, si ex charitate sit ortũ, carníq; sua natura molestiam adferre natum, etiamsi propter aliquam causam molestiam actu non adferat. Eiusmodi autem sunt tam ea, quæ vltrò suscipiuntur, vel maiorum auctoritate indicuntur, quàm ea, quæ sacerdotis arbitrio pœnitenti præfiniuntur. Ad hæc satisfacere idẽ est quandoque, quod peccatorum radices exscindere, eorundemque suggestionibus aditum non præbere; eam autem vim non illa tantùm ieiunia habent, quæ à confessario iniunguntur, verùm ea etiam, quæ ab Ecclesia indicuntur, vel sponte à pœnitente suscipiuntur. Deniq; quando Theologi de satisfactionis officiis disputant, propriumque inter illa locum ieiuniis assignant, nihil secernunt inter indicta & non indicta; sed absolutè omnia ieiunia pio castóq; animi proposito suscepta satisfactoria esse pronunciant, & rectè pronunciant; singula enim eiusmodi vi pollent.

Ieiunia à confessario iniũcta præ cæteris satisfactoria.

Gregor.

Omnia ieiunia, nisi in ieiunante hæreat impedimentum, sunt satisfactoria.

Enimvero quòd ieiunium à Confessario indictum, sit satisfactorium, id nemo negat, nisi qui errore deceptus, vel malitia occœcatus tertiam sacramenti pœnitẽtiæ partem in dubium vocat. Nam si vllum omnino opus verè est satisfactorium, vt citra omnem controuersiam est, certè ieiunium à sacerdote absoluente indictum, maximè est eiusmodi. Quãdoquidem ieiunium illud est opus genere suo bonum & voluntarium, est nihilosecius externo homini sua natura molestum, & charitate, vt hîc ponimus, informatum; (Nam de iustorum ieiuniis præcipuè hoc loco agimus) est tandem ab eo, qui auctoritatem habebat, iniunctum & præfinitum. cur ergo nõ esset satisfactorium? Mitto hîc, pœnitentes miserrimè delusum iri, idque ab Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, si illiusmodi ieiunia non essent verè satisfactoria. Constat enim, per ministros suos ieiunia satisfactionis loco peccata confitẽtibus iniungere. Constat æquè, seriò pœnitentes ieiunationis molestiam, quò à peccatorum reliquiis absoluantur, promptè, alacriterque subire. Si ergo ad finem hunc

Ieiunia pœnitẽti iniuncta, multis modis pœnarũ sunt expiatoria.

Si ieiunia pœnitentibus iniũcta non essent verè satisfactoria, Ecclesia filios suos manifestè deciperet.

obtinendum ieiunationes nihil prodeſſent, in re ſummi momenti deciperentur grauiſsimè. Sed abſit, vt Eccleſia filiis ſuis in re vſque adeò graui tam grauiter imponat.

QVOD rurſum ieiunium ab Eccleſia indictum eiuſmodi vim habeat, id ex cauſis iam adductis perſpicuè patet. Quandoquidem in id genus ieiuniis comperiuntur ea etiam omnia, quæ de intrinſeca ſatisfactionis ratione exiſtunt: puta operis moleſtia, moralisque & naturalis eiuſdem bonitas, ieiunantis voluntas & charitas, indicentis vel præcipientis auctoritas. Liquet idem quoque ex Eccleſiæ precibus, quibus publicè diſertis verbis iſtuc aſſeritur. Eccleſiæ vox eſt: Concede miſericors DEVS, vt hoc ſolenne ieiunium, quod animabus corporibusque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, deuoto ſeruitio celebremus: Atqui anima non ſolùm curatur à noxa, verùm etiam à pœna, in hac vel altera vita dependenda. Similes precationes intra Quadrageſimale tempus occurrunt plures, quæ omnes citra vllam dubitationem ab omni falſitate immunes ſunt; niſi enim tales eſſent, Eccleſia in publicis & ſolennibus ſacrificiis nullo modo eas adhiberet. Colligitur illud ipſum tandem ex cognatis ſatisfactionis partibus; fatentur enim, quotquot orthodoxè ſcribunt & ſentiunt, eleemoſynas & preces, quas Eccleſia ob cauſam aliquam indicit, ſatisfactorias eſſe. Idem de flagellis quoque, quæ vel DEVS immittit, vel naturalis rerum curſus adducit, ſtatui conſueuit. Cur ergo ieiunia, quæ non minùs ſunt moleſta, quàm illa, ſatisfactoria non habeantur? An non familiariter dici ſolitum eſt, ieiunia ad hoc præcipuè ab Eccleſia inſtituta eſſe, vt illa diluantur & expientur, quæ inordinato carnis amore contra DEVM vel proximum commiſſa ſunt?

Ieiunium animabus corporibúsque curandis ſalubriter inſtitutum eſt.

Flagella vndecũq; illata, ſunt ſatisfactoria.

DENIQVE quòd ieiunia ſponte ſuſcepta eadem illa vi præſtent, id euidenter oſtendunt, quæ iam expoſita ſunt: Siquidem voluntarium operis vires non eleuat, ſed ſæpe auget; cæteris namque exæquatis eò vnumquodque opus magis videtur meritorium & ſatisfactorium, quò ex meliori alacriorique voluntate proficiſcitur; atqui non minùs id voluntarium eſt, quod nemine iubente vel vrgente ſuſcipitur, quàm quod ſecundùm alterius præſcriptum obitur. Communi huic rationi addo, ieiunium ſpõte ſuſceptum, debitóque modo expletum, omnium rectè ſentientium iudicio

Ieiunia ſponte ſuſcepta, ſunt ſatisfactoria.

iudicio, vitæ æternę meritorium esse; sed multò maioris momenti res est, promereri vitam æternam, quàm redimere quamcunq; pœnam temporariam. Sunt sanè Ecclesiæ claues efficaces, vires q; satisfactoriorum operum non parum augent; attamen ad satisfactionem non sunt absolutè necessariæ, alioqui ante conditum Euangelium nullę extitissent verę satisfactiones; quod est falsum.

Maioris momenti est ꝓmereri vitam æternam, quàm redimere pœnã temporariam.

TANDEM non est maioris operę maiorisue difficultatis, cladem vel mortem propter peccata à DEO in hac vita intentatam propulsare, quàm peccatorum reliquias exhaurire, aut pro temporariis pœnis satisfacere; at illud per ieiunia aliáque opera seria pœnitentia digna fieri posse, ostendunt complura illustria Scripturarum exempla. Constat enim, Niniuitas, Bethuliatas, Iudæos sub Assueri imperio degentes, Machabæos eorundemque socios, Regem Achab, Manassen, & alios præterea quàm plurimos per ieiunia & alia pietatis officia ab impendenti vitæ periculo se liberasse, calamitatemque, quæ ceruicibus illorum impendebat, euasisse. Niniuitæ, scribit Clemens, cùm per tres dies & noctes ieiunassent, iræ DEI periculum effugerunt; Ester quoque & Mardochæus & Iudith impiorum insultationem, id est, Holophernis & Aman ieiunio declinauerunt. Et Dauid dicit: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio & caro mea immutata est propter oleum.* Vos quoque supplicationes vestras per ieiunium DEO offerte.

Non est maioris operę, mortẽ vel etiam cladẽ per ieiunia redimere, quàm Deo ꝓ peccatorum reliquiis satisfacere.

Lib. 5. cap. 21. Apost. const.

Psal. 108.

HVC quoque pertinet illud Hieronymi: Niniue imminentem iram Domini, ieiuniorum miseratione detorsit, quam & Sodoma quoque placasset & Gomorrha, si voluissent agere pœnitentiam, lachrymis patrocinante ieiunio. Achab rex impiissimus, vt sententiam DEI subterfugeret, & euersio domus eius differretur in posteros, ieiunio impetrauit & sacco. Et illud nihilominus Chrysostomi: Ieiunium sententiam reuocat: dixit enim DEVS, subuertetur Niniue, & non est subuersa; Adhibuerunt enim ieiunium & effugerunt. Et illud tandem Petri Chrysologi, quod paulò antè attigi: Mala tempora, scribit ille, facit nobis contemptus DEI, non temporum cursus. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiuniis conquiramus, animas nostras ieiuniis immolemus, quia nihil est, quod DEO præstantius offerre possimus. Patet itaq; ieiunium vtcunque acceptum, satisfactorium esse.

Lib. 2. con. Ioui.

Ion. 3.

3. Reg. 21.

Serm. 1. de ieiu.

Serm. 43.

DE aliis peculiaribus ieiuniorum effectis & viribus seorsim agere non attinet; quippe cùm nullæ sint omnino, quæ ad capita nunc exposita citra incommodum referri non queant. Vt ergo, quæ sparsim hucusque dicta sunt, in vnum colligamus, ieiunium carnem edomat, ieiunium mentem ad DEVM eleuat, ieiunium meritum parat, ieiunium peccatorum reliquias expiat, ieiunium Dæmones profligat, ieiunium miracula patrat, ieiunium iratum DEVM placat, ieiunium diuina mysteria reuelat, ieiunium hominibus apud homines gratiam & auctoritatem conciliat, ieiunium animas ex purgatorij cruciatibus liberat. Denique tantæ sunt ieiuniorum vires, tantique ac tam mirifici eorundem fructus, vt omni quoque diuina humanáq; lege sublata, aduerso casu vrgente, aut grauiori quocunque carnis cum spiritu conflictu infestante, ab omnibus CHRISTI fidelibus studiosissimè adhiberi iure meritóque semper debeant.

Summa eorum, quæ ieiunia præstant.

AT obiiciet hîc fortè quispiam; si ieiunium tantarum virium esset, Monachi cæteríque omnes, qui crebris ieiuniis vacant, magnæ perfectionis & sanctimonię viri forent, & tamen ea perfectio & sanctimonia in illis non apparet? Ad hoc breuiter respondetur, quæ de ieiuniis eorundemque viribus hucusque asserta sunt, ea non de quouis ieiunio promiscuè accipienda esse, sed de iustorum cæterorumque, qui pia, sancta, & studiosa voluntate ieiuniis dant operã. Nam vt non omnes, qui orant, vel eleemosynam erogant, rectè & meritoriè orant, aut eleemosynas erogant; ita non omnes quoque, qui ieiunant, rectè & meritoriè ieiunant. Comperiuntur enim, qui Pharisaicè ieiunant, alij qui gulosè, alij qui dolosè, alij qui immoderatè vel inordinatè, alij qui superstitiosè vel hæreticè, alij qui sathanicè, alij tandem, qui alio modo inter ieiunandum errant; hi autem omnes, aut nullo omnino aut certè perquam exiguo fructu ieiunant.

Non omnes, qui ieiunant, ritè & meritoriè ieiunant.

PHARISAICE ieiunant, qui non ob id ieiunant, quò DEO placeant, aut pro contractis debitis eidem satisfaciant, aut carnem contra spiritum insurgentem comprimant, aut ad diuina capessenda & pertractanda aptiores se reddant, aut debitam Ecclesiæ eiusdémue magistratui obedientiam præstent: Sed quò pij religiosíque hominis titulum vulgò obtineant, sanctimoniæque opinionem apud populares sibi comparent. De hoc hominum

Cuiusmodi sint, qui pharisaicè ieiunant.

genere

genere CHRISTVS Dominus ita loquitur: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quòd si eiusmodi mercedem iam receperunt; non est ergo, vt vllam ampliùs à DEO in hac vel in altera vita expectent. Matth. 6.

GVLOSE ieiunant, qui debitæ temperantiæ leges inter ieiunandum non seruant: Cuiusmodi sunt, qui pro statu conditione vel corporis sui constitutione nimis opipara, vel nimis curiosa, vel nimis quoque pretiosa quæritant. Tum ij rursum, qui ieiunium soluturi nimis auidè vorant, aut in appositas escas nimis præcipitanter inuolant; vel tempora ieiunio soluendo præfinita non expectant; vel plus certè quàm par est anticipant. Tum ij denique, qui pransuri vel cœnaturi tantum simul ingerunt, quãtum biduo digerere vix queunt, quos intemperantiæ Hieronymi sententia meritò condemnat: Qualis, scribit is, est illa refectio post ieiunium, cùm pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixiori inedia famam quærere, tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Hæc ille in eos, qui diutius quàm necessum erat, ieiunia protendentes, postea immodicis escis sese ingurgitabant. Quid sit, gulosè ieiunare, & quibus modis gulosè ieiunetur. Lib. 2. contra Iouin.

DOLOSE ieiunant, qui vino vel alio quouis potu ebrietatem ciere nato, ante vel post prandium ea copia studiosè vtuntur, vt esuriem fallant. Tum illi quoque, qui in vespertino aut matutino sacratissimo, Ecclesiæ indulgentia scientes volentesque abutuntur. Nam etsi illa per modum medicinæ, ne potus obsit, ante vel post cibum sumptum, exiguarum quarundam rerum vsum permittat, nullo tamen modo permittit luxuriosas cœnas, aut supernacaneas escarum ex quibuscunque rebus confectarum libationes. Falluntur enim grauiter, qui terræ vel arborum fructibus, aut dulciariis libis, aut aliis quibuscunque eiusmodi tragematis ieiunium solui posse negant. Verùm multò crassiùs hîc errant, qui, si nihil calidum vel coctum vesperi accipiant, probè se ieiunare existimant, quodcunque demum ex aliis, vel quantumcunque sumant. Tum ij denique, qui quodcunq; alimenti genus in fraudem ieiunij vsurpant. Quid sit dolosè ieiunare, vel ieiunio fraudem facere.

Multis modis inter ieiunandũ fraus committitur.

IMMODERATE & inordinatè simul ieiunant, qui ieiunio operam dantes, Christianæ prudentiæ & charitatis ordinem non seruant: Qui cẽsendi sint inordinatè ieiunare.

seruant: quales sunt, qui ita ieiuniis se macerant, vt ad munia debita rite obeunda inutiles ineptosque se reddant; maximè verò, si studio id faciant, secùs si ob ingentem spiritus feruorem excessum non animaduerterent. Spectant huc illi quoque, qui, vt indicta vel vltrò suscepta ieiunia expleant, maioris pietatis vel necessitatis opera neglectui ducunt. Tum illi omnes, qui tam in seruando quàm in soluēdo ieiunio, rationis medium transiliunt. Cuiusmodi inter cęteros sunt, qui post productum ad biduum vel triduum ieiunium ita cibo potuq; sese ingurgitant, vt molem gestare vix valeant. Contra totum hoc ieiunantium genus Hieronymus ita scribit: Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias præfert sensus integritati? Et infrà: De rapina holocaustum offert, qui ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit. Et eadem distinctione rursum: Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio saturitatem fugiens; nihil enim prodest biduo vel triduo transmisso vacuum portare ventrem, si pòst pariter obstruatur.

D.5. de cons. nō mediocr.

Quid sit superstitiosè ieiunare.

SVPERSTITIOSE ieiunant, qui prauo aliquo errore imbuti, modum ieiunandi ab Ecclesia præfinitum non seruant, aut quippiam tanquam necessarium ieiunio admiscent, quod ad ieiunij rationem non spectat. Ad hunc locum pertinent, qui inter ieiunādum Iudæorum, vel Sarracenorum, vel Mahometanorum ritibus magis, quàm Christianorum moribus sese accommodant; rati nimirum, se non ieiunare, si ante nocturnorum siderum exortum, ieiunium soluant. Tum illi rursum, qui esculenta ex iis vasis degustare non audent, in quibus carnes quandoque coctæ fuerant, vel piscículis tantùm exanguibus vescendum putant. Ast multò maximè superstitiosos vel malitiosos verius hìc se probant, qui violatæ legis peccatum eiusmodi oratione nonnunquam excusant: Leporum, ceruorum, auium, cæterorumque delicatorum animantium escas reprobamus, solis autem vulgaribus carnibus absque sale coctis vescimur. Quasi verò Ecclesia solas ferinas vel sale conditas carnes prohibuerit, & non reliquas omnes indiscriminatim? Demum illi quoque inter superstitiosos censeri possunt, qui diebus lege vel consuetudine ab omni ieiunio

iunio exemptis non ex pietate vel alia iusta causa, sed ex errore vel contemptu ieiunant.

HAERETICE ieiunãt & illi ipsi in partem, de quibus iam egimus, & alij præterea omnes, qui Nouatianorum, vel Manichæorum, vel aliorum quorumlibet hæreticorum ritu vel mente ieiunant, vel tempora, quæ ipsi ex certo errore ieiuniis consecrarunt, anxiè obseruant. Notum est illud Conc. Carthaginensis quarti: Qui die Dominico studiosè ieiunat, non habeatur Christianus. Et illud Conc. Gangrensis: Si quis propter continentiam, quę putatur, aut contumaciam in die Dominico ieiunat, Anathema sit. Et illud Melchiadis Papæ: Ieiunium Dominici diei & quintæ feriæ nemo celebrare debet, vt inter ieiunium Christianorum & Gentilium; veraciter credentium & hæreticorum vera & non falsa discretio habeatur. Et illud tandem Ignatij Martyris: Quicunque Dominicam aut Sabbatum ieiunauerit, ipse est CHRISTI interfector. Hæc illi contra hæreticorum sui temporis ieiunia, quæ nunc, quod ad feriam quintam & sabbatum attinet, vt ipsæ quoque hæreses, propter quas eiusmodi leges editæ fuerant, iam olim in dissuetudinem abiuerunt. Hæreticè quoque hac tempestate ieiunant, si tamen ieiunium hoc dici potest, qui inter ieiunandum nullum ciborum delectum, nullum dierum aut temporum discrimen, nullum denique cœnarum vel prandiorum numerum aut modum obseruant. Etenim diebus ieiunio consecratis comedunt, quoties volunt, & quantum volunt, & quod volũt, nullam aliam suæ præuaricationis causam adferentes, quàm homini Christiano libera esse omnia.

Quales sint, qui hæreticè ieiunant.

Can. 46.

Can. 18.

Epist. ad Episc. Hispa.

Epist. ad Philip.

Qui hac ætate hæreticè ieiunent.

SATANICE tandem ieiunant, qui ieiuniorum legi ita parent, vt tamen nullum peccandi finem faciant; hoc autem Dæmonum esse proprium, nemo sapiẽs ignorat. Constat enim, nihil illis cum cibo vel potu commercij esse, neque tamen à praua peccandi voluntate vllo vnquam tempore desistere. Quòd autem ieiunium eorum, qui in vitiorum sordibus persistunt, omniq́ue virtutum præsidio destituuntur, nullius apud DEVM sit momenti, roborísque planè perexigui, id apud eruditos & veteres Theologos dubitationem nullam habet omnino.

Qui Satanicè ieiunarè dicendi sint.

BERNARDVS: Si sola gula peccauit, sola quoq; ieiunet, & sufficit: Si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa?

Ser. 3. de Quadr.

Vt ieiunij Deo sit gratum non modò gula, sed cætera omnia membra à vitiis ieiunare debent.

ipsa, ieiunet ergo oculus à curiosis aspectibus, qui deprædatus est animam; ieiunet auris; ieiunet lingua; ieiunet manus; ieiunet anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus. Ieiunet lingua à detractione & murmuratione. Ieiunet manus ab otiosis signis & operibus omnibus, quæ non sunt imperata. Sed & multò magis anima ipsa ieiunet à vitiis, & propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc, cætera à Domino reprobantur. Sicut scriptum est: *Quia in diebus ieiuniorum voluntates vestræ inueniuntur.*

Esa. 58.

D. 5. de con. Nihil.

FACIT huc quoque illud Pij Pont. Max: Nihil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Et illud Eusebij Emyseni: Ieiunare & vigilare, & mores non corrigere, sic est, quomodo si aliquis extra vineam, aut circa vineam exstirpet & colat, vineam autem ipsam desertam atque incultam relinquat, vt spinas & tribulos germinet. Et illud Augustini: Quæ ista vitamus, quæ aliquando licent, inprimis peccata fugiamus, quæ nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus à vitiis.

Hom. 2.

Hom. 1. de ieiu.

ET illud Basilij Magni: Verum ieiunium est, à vitiis omnibus alienum esse. Solue omne vinculum iniquitatis, condona proximo; si quid dolet animo remitte illi debita. Nolite ad contentiones & lites ieiunare. Væ his, qui ebrij sunt non à vino. Ira mentis est temulentia, eamque à sobrietate excutit haud aliter, quàm vinum. Et illud Athanasij: Qui ieiunio vtitur, ordinis Angelici censendus est. Sed ne, mea dilecta, simplex quoddam ac promiscuum ieiunium putes. Non enim, qui à cibis abstinet solummodò, probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo.

Ira mentis est temulentia.

Lib. de virg.

Hom 1. de ieiu.

ET illud B. Maximi: Quid aliud est sanctificare ieiunium, nisi ieiunij causa sancta velle, iusta facere, iniqua vitare? Et ideo, fratres charissimi, si volumus DEO placita exhibere ieiunia, simus in fide fortes, in iudiciis iusti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, aduersùs iniqua constantes, in conuiuiis sobrij, in voluptatibus continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti. Si huiusmodi virtutibus nostra voluerimus sanctificare ieiunia, tribuente Domino

Quid sit sanctificare ieiunium.

mino ad gaudia cœlestium promissionum indubitata fiducia & conscientia lætiore veniemus.

Et illud tandem Gregorij: (Superuacaneum enim censeo reliquos, qui sunt plurimi, huc adducere) Per Ioëlem dicitur sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostẽdere. Cessetira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrænatur. Hæc Patres de ieiunio aliarum virtutum ornatu destituto, & vitiorum sordibus contaminato. Multa eiusmodi in sacris literis passim occurrunt. Iudicabant quandoq; Iudæi non satis iustè secum agi, quòd nimirum ieiunarent, seque affligerent, neque votorum tamen compotes euaderent. Verùm de repulsa deque ieiunij illorum inefficacitate eiusmodi responsum tulerunt:

Ioël. 2.

Incassum caro teritur, si à prauis voluptatibus animus non refrænatur.

Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis; ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsq; ad hanc diem, vt in excelso audiatur clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi? per diem affligere hominẽ animam suam? nunquid contorquere, quasi circulum, caput suum? & saccum & cinerem sternere? Nunquid hoc vocabis ieiunium & acceptabilem diem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum; cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris &c. Patet hinc ergo, non omnia ieiunia esse fructuosa; & ratio rursum, cur non omnia sint talia, siue cur non omnes ieiunantes iis gratiis & beneficiis potiantur, quæ ieiuniis passim tribuuntur.

Esa. 58.

Qvi ergo ieiuniorum suorum fructu frustrari non vult, non ieiunet is Pharisaicè, aut superstitiosè, aut dolosè, aut inordinatè, aut hæreticè, aut satanicè, aut alio quocunque modo vitiosè, sed piè, sanctè, religiosè, rationi denique & legi per omnia consentaneè. Nam quæcunque in Scripturis vel sanctorum Patrum monumentis de admirabilibus ieiuniorum viribus passim leguntur, ea omnia de ieiuniis castis & Christianis accipienda sunt, non de iis, quæ modò retecimus. Verùm de ieiuniorum viribus & fructibus satis.

Non omne ieiunium esse liberum, tametsi per modum absoluti præcepti nihil in nouo Testamento de illius ratione cautum extet.

CAPVT DVODECIMVM.

IEIVNIVM quatenus ad sanandos vel auertendos prauos animi vel corporis morbos absolutè est necessarium, sub naturalis iuris præceptum cadit. Non quòd cibum quouis tempore sumere, dummodò sobriè sumatur, secundùm se sit malum; aut quòd crebriùs interdiu comedere per se sit peccatum; aut quòd vllum omnino aliméti genus iure naturali simpliciter sit prohibitum; sed quòd res per se alioqui bona & salutaris, tum demum incipiat esse mala & noxia, cùm ex illius vsu certum aliquod animę vel corpori exitium procreatur: Siquidē naturali ęquitate, omni quoq; humana lege submota, ab iis omnibus abstinere obligamur, quę corporis vel animæ saluti aduersari certò dignoscuntur.

Iure naturali ab iis omnibus abstinere obligamur, quæ animę vel corporis saluti aduersari dignoscuntur.

AT verò licet ius naturale peculiarem abstinentiam quandoque exigit; nullam tamen certam peculiaris huius abstinentiæ siue ieiunij rationem aut modum præfinit: præfinit autē próque locorum ac temporum qualitate determinat isthæc ius humanum. Intercedit autem inter iura hæc eorundemque præcepta non parum. Etenim ius naturale ea tantùm vetat, quæ secundùm se simpliciter, aut certè ex aliqua loci aut temporis circumstantia sunt mala, animæue vel corpori noxia. Ea rursus solùm idē ius iubet, quę natura sua sunt honesta, nec nō ad tuendam vel cōseruandam animæ corporisue salutē vtilia vel necessaria. Ius autē humanū non est contentum ea solùm vetare, quę apertè sunt mala, vel ea tantùm mandare, quæ absolutè sunt bona vel necessaria; sed porrò progressum ea interdum quoq; iubet, quæ viam ad ea muniunt, quæ per se bona & honesta censentur; & ea rursum nōnunq; vetat, quæ ansam ad ea perpetranda submini strant, quæ per se mala vel inhonesta putantur; exempli causa: Ius naturale cauet, ne quis insontem lædat aut occidat; Ius autem humanum, vbi id necessarium iudicat, ne quis arma, quibus alterum occultè vel manifestò offendere possit, deportet, seuerè inhibet.

Quid inter humanum & naturale ius intercedat.

Ius naturæ secūdùm se absolutè, bona vel mala, iubet vel vetat tantùm; ius humanū ea etiā iubet vel vetat, quæ viā ad eiusmodi bona vel mala aperiunt.

Ivs

Ius naturæ generalia tantùm dictat & docet, ius autem humanũ generalia iuris naturalis præcepta vel dictamina ad particulares canones & leges deducit.

Ius naturale rursum quædam tantùm communia dictat & docet, Ius autem positiuum generalia illa communiaque naturalis iuris decreta ad vitæ humanæ praxim, particularesque viuendi rationes & canones deducit. Exemplo rem declaro. Ius naturale fures, adulteros, sicarios, cæterosque eiusmodi, quòd sint homines improbi, Christianæque Reipub. pernicioſi, pœna coërcendos dictat. Verùm quòd fur sit fustigandus, aut ad metalla damnandus, vel in crucem agendus, quòd adulter vel sicarius capite mulctandus, vel alio eiusmodi supplicio afficiendus, id ius naturæ non docet, neque determinat, determinat autem id prudentia vel lex humana; Verumtamen determinationis huius modus dependet ex communi illo iuris naturalis principio; mali sunt puniendi. Nunquam enim furem suspendere, aut fustigare liceret, si ius naturæ improbos in improbitate deprehensos impunè dimittendos doceret. Idem statuatur de reliquis omnibus humanis legibus; tota enim illarum vis pendet ex iure naturali. Quòd si qua est, quæ æquitati naturali aduersatur, ea non est lex, sed legis corruptio. Ius denique humanum, quòd circa particularia resque sua natura indifferentes & mutabiles plurimùm occupetur, est mutabile: Ius autem naturæ, propter causas paulò antè assignatas est immutabile.

Fundamentum & praxis iuris humani est ius naturæ.

Ius humanum mutabile, naturale autẽ est immutabile.

Ad rem propositam; cùm animæ vel corporis salus id deposcit, ieiunio vel abstinentiæ vacandum esse, istud dictat ius naturæ in genere; At verò quo modo, quáue ratione, aut quo tempore fieri id debeat, illud determinandum relinquitur prudentiæ humanæ. Igitur vt ieiunia sunt quædam alexipharmaca ad hominis salutem simpliciter necessaria, ius naturæ illa à nobis exigit; vt autem per humanam prudentiam ad hunc vel illum abstinentiæ modum sunt determinata, non absoluta rei necessitas, aut naturalis iuris æquitas ea à nobis efflagitat, sed tantùm maiorum auctoritas, quacunque tandem de causa illa efflagitet; nam istud ad legis vinculum est quodammodo impertinens. Nam etsi scopus, quem legislator sibi proponit, præcepti sit ratio, legisque quadantenus anima, non tamen cadit in præceptum, sed tantùm opus, quod ad eiusmodi finem vel scopum ordinatur.

Ieiunia vt ad hominis salutem sunt necessaria, exigit ius naturæ; vt verò ad hunc vel illum abstinentiæ modum sunt determinata, non naturæ necessitas, sed maiorũ auctoritas exigit illa à nobis.

PORRO autem quòd omni humana lege & constitutione è medio sublata, sola naturalis iuris vi interdū obligemur ieiunare, hoc est, à quibusdam per se alioqui licitis abstinere, vel parciùs, quàm communis abstinentiæ ratio postulat, cibum sumere, illud probare non admodum fuerit difficile. Constat enim, dum pleuritide laboro, aut ardenti febri æstuo, eodem illo iure & vinculo me à potenti vino, cæterisque omnibus insigniter inflammantibus, secundùm periti medici præscriptum, vel rectæ rationis iudicium abstinere obstringi, quo obstringor vitā tueri, vel me ipsum non occidere. Ad vtrumque autem iure naturali obstringor, Quare iure illo saluo, oppositum velle, aut facere neutiquam valeo.

Quomodo & quando iure naturali abstinere à quibusdā, vel ieiunare obligemur.

IAM si iure naturali à noxiis escis abstinere teneor, vt corpus valeat, aut ne graue aliquod detrimentum accipiat, quantò magis eodem illo naturalis iuris vinculo adactus, ab eiusmodi escis abstinere obligabor, si ea fortè spiritali febri incensus ardeam, vel ea interna animi peste laborem, aut eo Dæmone obsessus teneat, quem absque ieiuniorum, vel abstinentiæ præsidio extinguere, aut ex animæ regno exturbare nullo modo queam? At potest nonnunquam id nobis vsu venire, cùm quandoque non minùs ægrè habeamus, neque minùs quoque periculosè laboremus, quàm Euangelicus ille, qui CHRISTO attestante, citra ieiuniorum medicinam curari non poterat. Sunt ergo ea omnia, quæ in vitæ humanæ vsum veniunt, iure naturali permissa; at illud non semper, neque simpliciter, sed hactenus tantùm, quatenus corporis vel animæ saluti non officiunt: Vbi autem alterutri parti insigniter obesse incipiunt, mox adiaphora esse desinunt.

Iure naturali ab iis omnibus abstinere obligamur, quæ obsunt animæ: & quidē multò magis q̄ ab iis, quæ officiunt corpori.

Matth. 17.

Omnia quæ in vitæ humanæ vsum veniunt, iure naturali tantùm per sunt permissa, dum corpori vel animo non officiunt.

DICES forsan, quod secundùm se liberum vel indifferens est, id semper eiusmodi est, adeoq; iure naturali præceptum non est; sed ieiunia secundùm se sunt libera, aliàs omnes promiscuè obligarent. Ad hoc dici potest, naturali iure quippiam bifariam liberum esse, vel, quod in idem redit, duplex naturæ adiaphorū in rerum natura extare: Vnum, quod neq; secundùm se, neq; secūdùm operis modū ad hominis salutē est necessarium. Quomodo perpetua virginitas, volūtaria paupertas, professio monastica, & alia quædam eiusmodi sunt libera. Ius enim naturale secundùm se, nulli

Duplex naturæ adiaphorum.

nulli indicit cœlibatum, nulli spontaneam facultatum ἀποταγὴν, nulli propriæ voluntatis ad alterius arbitrium abdicationem. Alterum, quod secundùm se quidem facit ad hominis salutem, non tamen semper, neque secundùm operis modum, vel qualitatem; & hoc modo ieiunium, quatenus ad animæ vel corporis salutem est necessarium, non est simpliciter liberum; sed cadit in præceptum; veruntamẽ quò ad modum secundùm hoc ius manet semper liberum. Ius enim naturale non præfinit aliquem certum ieiunandi, vel abstinendi modum; sed ipsum tantùm secundùm se ieiunium, vel abstinentiam.

Ieiuniũ iure naturali secundùm se nõ semper est liberum, secundùm modum autem eo iure semper est liberum.

QVAMOBREM cùm Niniuitæ certam ex Ionæ prædictione pestem, nisi tempestiuè resipiscerent, sibi imminere intellexissent, rationis ministerio ducti, omnibus cùm hominibus, tum iumentis quoque ieiunium indixerunt, saccóque induti & cinere conspersi totos se ad pœnitentiam composuerunt. Quamuis hæc omnia non absque peculiari quadam diuini spiritus synergia. Natura enim per se solam non docet, aut certè disertè non docet, offensum numen operibus nostris placari. Idem alios gentium & nationum populos fecisse comperimus, quotiescunque impendentem aliquam cladem propulsare, aut singulare aliquod beneficium à DEO impetrare voluissent; & id quidem eò feruentiùs, quò maiorem fidei lucem DEIque cognitionem hauserant. Quare qui prope Iudęam agebant, religiosiùs in eiusmodi pietatis officiis se exercebant, quàm qui procul à Palæstina positi.

Gentes natura duce sæpe à multis abstinebant, quæ secundùm se libera erant.

AT verò nationes & populi illi, qui πολυθεΐας seu idololatriæ errore occœcati, veram DEI iustitiam ignorabant, singularemq; eiusdem de rebus omnibus curam & prouidentiam non satis perspectam habebant, vel omnino etiam negabant, vt reliqua virtutum studia pro nihilo ducebant; ita ieiunia quoq; cæteráque, quæ ad gulam & carnis voluptatem minùs faciebant, veluti ingratam stomacho escam, aut amara catapotia palàm auersabantur; tantumque aberat, vt libidinis ardorem carnis afflictione extinguere satagerent, vt vltrò quoque ad omne libidinum & obscœnitatum genus sese dimitterent. Decantabant sanè illorum vates Stygias paludes, Sysiphi labores, Tantali sitim, aliáque id genus inferorum tormenta; sed hæc omnia, qui sapientes apud illos habebantur, vt mera figmenta publicè deridebant: rudes verò, quòd fabu-

Vt cætera virtutũ studia apud paganos locum nõ habebant, ita volũtaria quoq; ieiunia apud illos iacebant.

larum inuolucris tecta proponerentur, quorsum attinerent, non intelligebant; aut si qui inter illos erant, qui de alterius vitæ suppliciis aliquid compertum habebant; nesciebant tamen, per voluntaria ieiunia, aliosque corporis cruciatus sponte in hac vita susceptos redimi posse. Quare plerique omnes absque vlla pœnitentia in conceptis semel erroribus perpetratisque flagitiis, ad finem vsque vitæ persistebant.

Probabile sit patres, qui legē antecesserunt, suas habuisse ferias & ieiunationes.

AD Patriarchas autem cæterosque sanctos, qui Moysi legem antecesserunt, quod spectat, quòd iustitia, pietate, sobrietate, omniq; alio virtutum genere excellerent, dubium nullum est, quin omnia illa ieiunia, quæ lex naturalis ab illis exigebat, magna cum religione & diligentia explerent. Imò verò valde credibile sit, vt suas illi habebant statas preces & sacrificationes, ita suas quoque habuisse ordinarias ferias & ieiunationes. Nam etsi sacræ literæ nusquam illud disertè affirmant, nusquam tamen quoque disertè negant. Imò aliquid eiusmodi isthic extitisse alicubi insinuant: Quandoquidem Moyses, qui primus apud Iudæos legem scripto promulgauit, de ieiunio votiuo perinde ac de re iam tum nota, vulgóque vsurpata scribit & loquitur; ait enim: *Si qua mulier vouerit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, aut cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suã, in arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* Spectant ad futurum hæc sanè, nihilominus sanctionis huius occasio ex antecedentium temporum vsu & consuetudine petita est; sensus enim est, si qua mulier inposterum vouerit.

Numer. 30.

Apud Iudæos duplex ieiuniorum genus obtinebat: vnũ diuino præcepto, alterum maiorum traditione constans.

APVD Iudæos porrò post legem iam latam & promulgatam duplex ieiuniorum genus obtinebat: alterum diuinitùs præceptum, quod erat omnibus ieiunare valentibus commune: alterum per traditiones à maioribus acceptum: quod Scribis & Pharisæis, cæterisque religiosioribus erat proprium. De priori verbum DEI ita cauebat: *Decimo die mensis septimi affligetis animas vestras, & offeretis holocaustum Domino. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die illa, peribit de populis suis.* De posteriori apud Matthæum hæc tradita extant: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Hoc de expiationis ieiunio accipi nequaquam potest; erat enim capitale, si quis illud violasset. Accipiendum est ergo de ieiunio traditionario, quod homo plebeius citra noxam prætermittere poterat.

Leuit. 16. 23.

Matth. 9. Marci 2.

IEIVNIO expiatorio, si legis vim spectes, cognatum erat ieiunium mensis quarti, quinti, septimi, & decimi: tum cætera omnia, quæ veteri illi populo propter necessitatem vel vrgentem aliquam causam ex tempore iniungebatur. Nam & Saul vniuerso exercitui sub mortis interminatione diuinum ieiunium indixit, & Ester Regina Iudæis, qui in ciuitate Susan versabantur, triduanam ab omni cibo & potu abstinentiam per Mardochæum demandauit, & Eliachim Sacerdos omnes tantisper ieiunare voluit, dum auxilium ex alto veniret, & alij item alios. Erant autem omnia illa ieiunia maiori ex parte temporaria, & certa quadam ratione priuata, quæ proinde hoc tempore neminem omnino ad sui obseruationem obligant.

Zachar. 8.
1. Reg. 14.
Ester. 4.
Iudith 4.

AT verò licet veterum Iudæorum & recentium Christianorum ieiunia, quo ad vinculum & modum & numerum & tempus, & alia quædam eiusmodi non consentiunt, in aliis tamen plerisque inter se conspirant. Nam vt Catholicæ Ecclesiæ filij ieiunant, quò cœleste numen ob peccata nostra offensum placent, eidemque in partem satisfaciant; aut vt spiritale vel temporale aliquod beneficium ab illo impetrent, ita vetus quoque Iudæorum populus. Neque enim aliò spectabat acris illa Ioëlis Prophetæ exhortatio: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*, quàm ad pœnitentiam. Nec alia rursum de causa ieiunabat Achab, Dauid, Ester, Iudæi, qui in Bethulia & Susan ciuitate agebant, quàm vt iratum DEVM sibi propitium redderent. Nec aliò tandem expiationis ieiunia, quæ decimo mensis septimi die magna totius populi religione celebrabãtur, tendebant, quàm ad peccatorum expiationem, mentisque cum DEO coniunctionem.

In quibus Iudeorum & Christianorum ieiunia conueniant, in quibus item à se inuicem discrepent.
Ioel. 2.
3. Reg. 21.
Ester 4.
Iudi. 4.
Leuit. 23.

RVRSVM vt familiare erat Iudæis defunctorum gratia ieiunio se affligere; ita iis quoque id legitimum est, qui CHRISTO nomina dederunt. Animæ defunctorum, scribit GREGORIVS, quatuor modis soluuntur; aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Similia comperies apud alios veteres Theologos.

1. Reg. vlt.
2. Reg. 1. 3.
Iudæi defunctorum causa ieiunio se affligebãt.
Cap. animæ 13. q. 2.

DENI-

DENIQVE vt Iudæi dies illos, quibus insignes calamitates aut clades populo acciderant, anniuersario luctu & ieiunio recolebãt;(Huc enim,vt suprà ex B.Hieronymi & veterum Iudæorum sententia expositum est, pertinebat ieiunium quarti, quinti, septimi & decimi mensis) ita pij quoq; Christiani indignam Creatoris & Saluatoris sui necem, anniuersario ieiunio & luctu celebrare assolent. Nam etsi sacra illa paschalis hebdomada quadragesimalis ieiunij pars sit,attamẽ quò dolorem, quem de Redemptoris CHRISTI cruciatibus capiunt,testatiorem faciant,omnia pietatis officia & afflictionum genera per id tempus augere student. Quæ hucusque allata sunt, ea dilucidè ostendunt,& ante & post latam quoque Moysi legem non omnia ieiunia fuisse libera, id quod ea quoque validè confirmant, quæ suprà de ciborum delectu disputata sunt. Constat enim,eiusmodi delectum aliud ferè nihil esse,quàm quoddam partiale ieiunium.

Christiani dominicę passionis memoriam ieiunio & luctu celebrant.

Ciborum delectus quoddã partiale ieiunium.

AD Euangelium autem & nouum Testamentum quod attinet, etsi illud ieiunium in genere commendet, modumque nonnullum salubriter ieiunaturis præfiniat, & religiosè ieiunantibus præmia promittat,& vsum ieiunij post sublatũ sponsum futurum denunciet, & CHRISTI tandem ieiunantis exemplum ob oculos nobis proponat; attamen de ritu ieiunandi, déq; tribus partibus illis, quæ ieiunium in Ecclesia receptum & iam inde ab Apostolorum ætate in eadem vsitatum intrinsecè absoluunt, nihil per modum præcepti,aut legalis statuti cauet.Nusquam enim præcipit, vt ab hoc vel ab illo ciborum genere,isto vel illo tempore abstineas, nusquam vt semel tantum hoc vel illo die cibum sumas, nusquam ne ante nonam vel vesperam comedas; atqui, vt antè explicatum est,tota ieiunij nobis noti & hactenus in Ecclesia vsurpati vis & ratio in his est posita;de ieiuniorum numero & tempore par est ratio.Nusquam enim,in Euangelio præceptum extat,vt quadraginta dierum ieiunia continues, nusquam, vt tertio quoquo mense sabbato & prosabbato & feria quarta ieiunes,nusquã, vt solennibus natalium CHRISTI,Ioannis Baptistę,assumptæ ad cœlos Virginis matris, omnium Sanctorũ, &c. feriis ieiunia præmittas.

Euangelium de partibus,quæ ieiuniũ absoluunt, nihil præfinit.

QVOD dicimus,ex Testamento,quod appellatur nouum,liquidò patet.Etenim quæ de ieiunio hîc traduntur,eiusmodi sunt ferè

ferè: *Cùm ieiunasset* IESVS *40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit.* Item: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes &c.* Item: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in ieiunio & oratione.* Item: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, tui autem discipuli non ieiunant.* Item: *Auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Item: *Anna non recedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die.* Item: *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus; Segregate mihi Saulum & Barnabam.* Item: *Exhibeamus nosmetipsos in vigiliis multis, in fame, in siti in ieiuniis &c.* Hæc sunt præcipua, quæ noui Testamenti Scripturæ de ieiunio produnt, quorum alia ieiuniorum vim & fructum; alia CHRISTI Domini nostri & aliorum quorundam factum; alia salubre Apostoli Pauli consilium; alia tandem Pharisæorum & sectatorum Ioannis contra CHRISTVM eiusdemque discipulos murmur exponunt. Nihil autem ex iis omnibus absoluti alicuius præcepti speciem præ se fert.

Matth. 4. Matth. 6. Matth. 17. Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 2. Actor. 13. 2. Cor. 11.

SED & dato quoque, CHRISTVM Dominum quadragesimale ieiunium (de eo namq; præcipua est controuersia) non verbo, sed facto vel exemplo instituisse & consecrasse, adhuc qui illud iuris diuini esse volunt, causam non obtinerent. Quandoquidem non omne, quod CHRISTVS in se consecrauit vel instituit, legis vim obtinet, aut omnes statim ad sui obseruationem ligat. Nam & ordinis & matrimonij Sacramentum instituit, & tamen nemo absolutè tenetur maritus fieri, vel sacerdotio initiari. Sic idem quoque perpetuam castitatem, voluntariamque paupertatem in se consecrauit, & vtramque verbo simul & exemplo consuluit, & tamen nullus ob hoc exemplum vel consilium, omnibus abdicatis in voluntaria paupertate, aut in perpetua castitate vitam traducere obstringitur.

Non omnia, que Christ⁹ fecit, aut instituit, obligãt omnes.

ADDE, si solum & nudum CHRISTI exemplum illam vim haberet, necessarium fore, vt post susceptum Baptismum ad desertum aliquem locum secederemus, ibidemque totum quadraginta dierum spacium vel omnino nullo, vel certè perquamexiguo cibo vitam toleraremus. At nemo compertus est, qui Christianum hominem ad hoc obligatum doceret. Denique si Quadragesimæ vel aliud quodcunque ieiunium in Catholica Ecclesia vsitatum esset iuris diuini strictè & propriè (cuiusmodi vtique foret, si à CHRISTO absolutè esset præceptum), nulla in ipsum

Ecclesia in præceptis, quæ sunt iuris diuini, strictè & ppriè non dispensat, neque iure dispensare potest.

caderet dispensatio, nulla in iis, quæ ad substantiam illius pertinent, mutatio. Ecclesia enim in præceptis simpliciter diuinis non dispensat, nec dispensare potest. Atqui nihil omnino extat intrinsecam Ecclesiastici ieiunij rationem absoluens, quod iam dudum antè aliquatenus non sit mutatum & antiquatum, vel certè quod summi Hierarchæ auctoritate, si publica vtilitas, aut magna aliqua causa id postularet, mutari vel antiquari non posset.

Ratio præcepti latè patet.

AT fateor interim nonnullos ex Patribus asserere, Quadragesimam continere diuinam institutionem: Alios ieiunium in nouo Testamento extare præceptum; verùm illi CHRISTI exemplum per catachresin præceptum appellant. Dici enim solet, omnem CHRISTI actionem nostram esse instructionem. Addo aliud esse, hoc vel illud vero proprióque præcepto indictum esse, aliud improprio, hoc est, monitorio vel consultorio; Aliud rursum hoc per hunc vel illum immediatè iussum vel institutum esse, aliud, mediatè; Aliud item ieiunium absolutè sumptum diuinitùs præceptum esse; aliud hoc vel illud ieiunium diuinitùs præceptum esse; Aliud tandem concionatorem agere, aliud definitorem. Adrem propositam licet CHRISTVS ieiunium quadragesimale per se proximè non instituit, neque præcepit, instituit tamen & præcepit mediatè; Scriptum est enim: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Rursum: *Qui Ecclesiam non audit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Quo sensu Christus ieiunium dicatur instituisse, vel præcepisse. Lucæ 10. Matth. 18.

SIC quoque licet idem ieiunium absoluto præcepto non indixit, nec eo etiam modo consuluit, quo voluntariam paupertatem, aut perpetuam castitatem; (sunt enim hæc opera secundùm se magnæ perfectionis, illustrisque charitatis) hactenus tamen instituisse vel præcepisse dici potest, quatenus rite ieiunantibus certam mercedem promittendo, eiusdemque vim & energiam in profligandis dæmonibus prædicando, & aliquam nihilominus ieiunandi rationem & modum verbo & exemplo præfiniendo, & vsum tandem illius post suam consummationem prædicendo iustam Ecclesiæ occasionem obtulit, vt illa iis omnibus per modum absoluti præcepti illud indiceret, qui legitimum impedimentum nullum haberent. Quamuis ergo CHRISTVS

STVS Dominus nullum per se peculiare ieiunium simpliciter præcepit, aut indixit, indicendum tamen familiariterque vsurpandum prædixit, & vt indiceretur, legitimam occasionem Apostolis eorundemque successoribus præbuit.

Christus nullū ieiunium indixit aut præcepit, dedit tamen occasionem & authoritatem, vt indiceretur & p. ciperetur.

SED neque decebat quoque, neque saluti nostræ conueniebat, vt ipse per se ieiunium Quadragesimæ, vel aliud quodcunque indiceret, aut per modum absoluti præcepti proponeret. Nam præterquam quòd is generalia tantùm & ad salutem omnino necessaria indicturus & præcepturus in mundum venerat, maiorem quoque in modum præcepto hoc hominum conscientias, imò verò Ecclesiam ipsam intricasset. Quandoquidem cùm absoluta CHRISTI præcepta sint communia, omnesque promiscuè obligent, neque omnes tamen citra apertam valetudinis offensionem ieiunare queant, Ecclesia eos, qui ex imbecillitate vel aliqua alia causa ieiunium omisissent, neque à noxa liberos, neque legis rursum reos pronunciare ausa fuisset.

Nullo modo cōueniebat, neq; saluti nostræ expediebat, vt Christus quodcunq; ieiunii per modū præcepti induceret.

NEQVE omnis statim difficultas sublata fuisset, si non omnibus absolutè, sed omnibus, qui commodè possent, ieiunium indixisset. Nam & noua fuisset hæc forma, neque parum præterea arduum, quid commodè quisque valeret, vna communi lege vel regula definire; relinquere autem rem totam vniuscuiusque conscientiæ, aliud nihil erat, quàm multis & magnis erratis & peccatis magnam fenestram patefacere: Sunt enim, qui conscientias habent nimis angustas; alij contra, qui nimis laxas, præsertim in iis, quæ gulæ & ventri suauia sunt; alij qui perplexas vel dubias; alij qui alio modo affectas. Quare nullo modo conueniebat, vt CHRISTVS per se aliqua peculiaria, hoc est, suis legibus & circūstantiis definita ieiunia absolutè indiceret; Abunde autem sat erat, si Ecclesiæ iustam indicendi causam subministraret. Patet ergo, quid iis responderi debeat, qui diuinum præceptum, vel diuinam institutionem ex Ambros. vel August. vel alio quocunque vrgere solent.

Quòd variæ sint conscientiæ, tutum nō esse rem aliquam arduā vniuscuiusq; cōscientiæ relinquere.

AT opponent hîc fortè scrupulosi nonnulli & dicent, doctrina hac tametsi vera, gulæ ventríque deditis, tum cæteris

quoque, qui erga Ecclesiam eiusdemque sanctiones minùs bene affecti sunt, ostiũ patefieri ansamq; offerri, vt recepta ieiunia facilius negligant, vel licentiosiùs contemnant. Verùm hi paucis responsum habeant, oppositum omnino hîc sequi. Quandoquidem dicere quadragesimale, vel aliud quodcunque ieiunium in Euangelio absolutè præceptum extare, vel omnem, qua pollet, vim ex iure diuino mutuare, aliud nihil est, quàm omne robur ipsi adimere. Probatum est enim, nullam ex tribus illis partibus, quæ Ecclesiasticum ieiunium absoluunt, in toto nouo Testamento ostendi posse, quæ per modum absoluti præcepti fidelibus demandata sit. Imò verò qui Quadragesimam iuris diuini esse contendunt, trifariam peccant. Primò enim id probandum suscipiunt, quod validè probare nullo modo possunt; atque ita & seipsos & religionis nostræ sacramenta aduersariis deridenda proponunt. Deinde hoc ipso, quòd quadragesimale vel aliud quoduis ieiunium in Ecclesia DEI vsitatum iuris diuini, vel absoluto præcepto à CHRISTO indictum esse defendere nituntur, haud obscurè innuunt, si iuris diuini non esset, in interno DEI foro obligatorium non fore; quod, vt proximis capitibus ex instituto ostendetur, est falsum, & à vera orthodoxáque Ecclesiæ doctrina prorsus alienum. Postremò suo hoc priuato iudicio, grauissimo Ecclesiæ iudicio sese opponunt: Constat enim, Catholicos omnes ieiunium Quadragesimæ, cæteráque omnia ieiunia apud Christianos obseruari solita, non inter diuina, sed inter Ecclesiæ præcepta censere. Vanus proinde omnisque fundamenti expers illorum est timor, qui per hãc doctrinam, quæ planissima & apud eruditos receptissima est, ventris mancipiis, aut aliis quibuscunq; Ecclesiæ hostibus præuaricandæ Ecclesiasticæ legis ansam subministrari queritantur.

Qui dicunt ieiunium omnẽvim, qua pollet, ex iure diuino habere, omne robur illi adimunt.

Trifariam peccãt, qui Quadragesimã iuris diuini esse contendunt.

Ex Scripturis & Patribus euidens esse, non ea solùm legis vim obtinere, adeóque in foro conscientiæ obligare, quæ DEVS *per seipsum proximè decernit, aut præcipit: Verùm ea etiam, quæ per legitimos Ecclesiæ, vel Reipub. Magistratus iniungit.*

CAPVT

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

VERVM enimuero licet CHRISTVS Dominus Quadrageſimæ ieiunium per ſe non indixerit, neq; aliud vllum in Eccleſia vſitatum per ſe abſolutè præceperit; ſed quicquid legitimorum ieiuniorũ extat, hoc totum ab Apoſtolis eorundemque ſucceſſoribus ad nos defluxerit: non ideo tamen ieiunare vel non ieiunare Chriſtiano populo liberum reliquit. Quandoquidem is non ſolùm diuinæ legis decreta ad ſui obſeruationem obligare vult, ſemperque voluit, ſed iuſta quoque maiorum præcepta.

Noui Teſtamẽti ieiunia omnia ab Apoſtolis, vel illorum ſucceſſoribus ad nos defluxerunt.

ET quamuis hoc apud ſapientes, ſenſuque & mente Catholica præditos dubitationem grauem nullam habeat: attamẽ quòd plerique omnes, qui hac ætate ab Eccleſiæ caſtris, ad Satanæ regnum deſciuerunt, impudenter id negent, & inter orthodoxos quoque comperti ſint nonnulli quandoq;, qui ea de re non ſatis orthodoxè ſentirent, & ea tandem, quæ de ieiuniorũ Eccleſiaſticorũ vinculo paulò pòſt dicturi ſumus, hoc fundamẽto deſtituta, infirmis admodum radicibus nixa ſubſiſterent: (Nam ſi communia Eccleſiæ ieiunia ſecundùm omnem partem ſunt iuris humani, & ius illud, deſit modò contemptus, citra noxam violetur, neceſſariò conſequitur, qui Eccleſiæ ieiunia, vel alia quæcunque eiuſdem præcepta citra contemptum præuaricãtur, eos nulli culpæ affines fieri) Cogimur certa quadam ratione de legum humanarum vinculo perinde diſſerere ac de re non ſatis comperta. Non diffiteor ſeorſim de hac controuerſia diſputationem inſtituti potuiſſe; attamen quia iuſta hîc ſe offert occaſio, quę alibi fortaſsis deerit, & quotquot ferè de ieiunio ex inſtituto diſceptant, in vtramque partem quæſtionem hanc verſare ſolent, nolui illam in alium locum reiicere, aut omnino intactam relinquere; ſed neque velle quoque debui, vt æqui cenſores facilè intelligunt. Vtar nihilominus compendio, ne ab inſtituta diſputatione procul recedam.

Variè erratur circa humanarum legum vinculũ.

Qua occaſione de legũ humanarum vinculo diſputetur.

QVOD ſi igitur, qui humanas leges, ſiue illæ politicæ fuerint, ſiue Eccleſiaſticę, temerè violant, tanquam qui DEVM ipſum in ſuis miniſtris & vicariis cõtemnant, culpę obnoxij fiant, id ſacræ literæ ſacrique eorundem interpretes verbis vſque adeò planis &

Peccato affines fieri, qui humanas leges temerè præuaricantur, Scripturę & Patres paſsim affirmant.

disertis passim asseuerant, vt mirum videri queat, vllos vnquam in Scripturis vel Patrum monumentis aliquatenus versatos cõpertos esse, qui istud inficiari, aut in dubium vocare auderent. Scripturæ, quæ ea de re definiunt, sunt multæ, nos ex multis paucas tantùm in hunc locum adferemus. Scriptum extat ergo:

Deut. 17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore administrat Domino* DEO *tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferet*

Deut. 21. *malum de Israël.* Rursum: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audierit patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad*

Capitale apud Iudæos sacerdotibus, parentibus, cæterisq; maioribus non obedire. *portam iudicis, dicentq; ad eos: Filius iste noster rebellis & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat atq; luxuriæ, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israël audiens pertimescat.*

Item:

Iosue 1, *SICVT obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi. qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur.* Hîc iam Antagonistas interrogo, æquéne studiosè CHRISTI religionem professi summo Pontifici, cæterisque Ecclesiæ Prælatis, vel Reipublicæ mágistratibus obedire teneantur, ac Israël Iosue, aut filius parenti, aut Hebræorum populus legali sacerdoti? Planissimè; constat enim quò lex gratiæ perfectior est Moysi lege, eò exactiorem obedientiam maioremque in omni virtutum genere perfectionem deposcere. Quæro rursum pœnáne illa, quæ contumaci populo, vel filio apud veteres irrogabatur, iusta fuerit an iniusta? non iniusta, quia à DEO definita: quicquid enim DEVS decernit, hoc iustum & sanctum est. Si autem iusta & sancta erat, vt reuera erat, ergo contumaces illi grauissimum facinus designauerant: Quandoquidem ob leuem noxam nullus capitali supplicio iustè affici potest; multò verò minùs omnis noxæ expers. Sed ad alia sacrarum literarum testimonia.

Lex noua maiorẽ deposcit obedientiam & perfectionem, quã lex vetus.

Ob leuem noxã nulli mortẽ inferre licet.

Matth. 18. *SI te non audierit*, inquit vitæ nostræ dux, *dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Et quibusdam interiectis: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi,*

Matth. 19. *omnia, quæcunque dixerint vobis, facite: secundùm opera autem illorum nolite*

lite facere. Item: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Rursum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 10.

Huic cognatum est illud primi Regum octauo: *Audi vocem populi huius in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad hanc diem: Sicut dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis: sic faciunt etiam tibi.* 1. Reg. 8.

Et illud rursum Moysi: *Audiui murmur vestrum contra Dominum, nos verò quid sumus, quia mussitatis contra nos? Dabit vobis Dominus vesperi carnes edere, & manè panes in saturitate, eò quòd audiuerit murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum. Nos verò quid sumus, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Exod. 16.

Qui contra sapiores murmurat, vel eos spernit, cõtra Deum murmurat eundemq; spernit.

Hic denuò ab aduersario peto; paganine & publicani, Sodomitæ rursum & Gomorrhæi inter primæ notæ peccatores habendi sunt? Non negabit, certò scio; atqui Dominus eos, qui Ecclesiæ vocem non audiunt, paganorum & publicanorum loco haberi vult: Sodomitarum verò illos, qui Apostolos vel eorundem sermones non recipiunt. Constat autem, quicquid Ecclesia vel eiusdem proceres mandant vel ordinant, hoc totum ad humanum ius pertinere. Nam si quid ex Euangelio vel euidenti & necessaria consecutione ex Euangelij lege deductum proponunt, hoc ipsi non mandant, sed à CHRISTO mandatum, tantùm promulgant. Pari ratione quæri ab Antagonistis potest, graue ne periculum sit CHRISTVM vel patrem eius spernere, DEVM Opt. Max. abiicere, vel spontè deserere, vel superbè contra eundem murmurare? concedent omnino; At qui contra Aaronem aut Moysen murmurant, aut Samuelem repudiant, aut Apostolos aspernantur, DEVM vel CHRISTVM ipsum spernere vel abiicere, vel contra eundem murmurare locis iam citatis perhibentur. Ecclesia autem habet semperque habitura est suos Moyses & Aarones, hoc est, suos legislatores & sacerdotes, suosque Apostolos & Samueles.

Sodomitæ & Gomorrhæi inter primæ notæ peccatores.

Quicquid Ecclesia mãdat vel ordinat, totũ hoc ad ius humanũ spectat.

Ecclesia semper habet suos Moyses, suosque Aarones, hoc est, suos legislatores & sacerdotes.

PRAECLA-

PRAECLARVM veritati huic testimonium prębet illud Pauli:
Ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non enim est potestas nisi à* DEO, *quæ autẽ sunt, à* DEO *ordinata sunt. Itaq; qui potestati resistit,* DEI *ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali*, hoc est, non bene
Hebr. 13. agentibus, sed malè. Et illud rursum eiusdem: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et illud tandem Apostoli Petri:
1. Cap. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter* DEVM: *Siue Regi, quasi præcellenti; siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum: Quia sic est voluntas* DEI *&c.* His nihil scribi potest clarius. Disertè namque pronunciatur, certam damnationem eos sibi ascisce re, qui humanę potestati resistunt. Illos autem potestati huic resistere, qui iustis eiusdem decretis & legibus parere recusant, id nemo dubitat. Quòd verò damnatio peccatum, illudque minimè vulgare ponat, apud sapientes ancipitem sententiam non habet. Mittimus alia, quò vni quoque aut alteri ex vetustioribus Patribus in veritatis huius assertione & confirmatione locus suus constet.

Qui humanæ potestati resistũt, damnationem sibi adsciscunt.

Damnatio mortale peccatum ponit.

Ep. ad Magnes. IGNATIVS: Dignum est & vos obedire Episcopo vestro & in nullo ei contradicere: Terribile est enim contradicere: Non enim istum visibilem quis spernit, sed illum inuisibilem in eo contemnit, qui non potest à quoquam contemni. Hic enim non ab homine, sed à DEO habet promotionem. Dicit enim DEVS Samueli de contemptoribus eius: Non te spreuerunt, sed me. Nam & Moyses populo aduersùm se murmuranti ait: Non enim aduersùs me murmuratis, sed aduersùs Dominum Deum. Nemo enim inultus mansit, qui se contra potentiores extulit. Hæc sanctissimus Martyr & Scriptor vetustissimus Ignatius, quæ observatione apprimè digna sunt. Asserit enim terribile esse, Episcopo contradicere, quòd qui contradicit vel spernit (spernit autem, qui iusta præcipienti morem gerere contemnit) non illum spernat, qui sub aspectum cadit, sed eum, qui oculorũ nostrorum obtutum subterfugit, hoc est, Deum ipsum. Quòd si priuatum cuiusque Ecclesiæ Episcopum spernere terribile est, quanto cum discrimine coniunctum erit, Episcopum Episcoporum, hoc est, Iesu Christi in terris Vicarium maledictis incessere, atrocibus conuitiis

Terribile est Episcopo contradicere.

1. Reg. 8.

Exodi 18.

Spernit superiorem, qui iusta illius mandata cõtemnit vel negligit.

Papa Episcoporum Episcopus, & Iesu Christi in terris Vicarius.

tiis publicè infectari, innumerisque apud seditiosam plebem impudentissimis mendaciis onerare?

PROBAT autem Ignatius sententiam suam illis ipsis Scripturæ testimoniis, quibus nos paulò antè vsi sumus, & aliis præterea nonnullis ad rem æquè facientibus; subdit enim: In lege, Dathan & Abiron Moysi resistentes viui ad inferos depositi sunt: Sed & Chore & qui conspirauerant cum eo contra Aaron, ducenti & quinquaginta igne consumpti sunt. Absalon etiam parricida exists, diuino iudicio arbori apprehensus est; sed & cor eius, quòd mala cogitauerat, sagittis trãsfixum est. Propter similem causam plexus est Aman. Ozias leprosus factus est, qui contra sacerdotes sacerdotium ausus est arrogare. Saul etiam sacrificare præsumens regali dignitate dehonoratus est, non expectans principem sacerdotum Samuelem. Oportet & vos quoque reuereri potiores; & dignum est, nos non solùm vocari Christianos, sed etiam esse; non enim dicere, sed esse facit beatum. Hæc omnia illustris ille Martyr in eos, qui legitimis pastoribus non parent, vel Ecclesiastico ordine contempto, sacerdotium temerè vsurpant. Concludit autem, Christiano nomine indignos censendos, qui vel in hãc, vel in illam partem peccant.

Num. 16. Terribilia exẽpla in eos constituta, qui legitimos magistratus contempserunt, 2. Reg. 18. Ester 7. 2. Para. 26. 1. Reg. 13. Princeps sacerdotum Samuel. Christiano nomine indigni, q̃ sacerdotes spernunt, vel in illorum munus sese ingerunt.

CVM his Ignatianis satis conspirant hæc Cecilij Cypriani. Cùm scriptum sit: *Neque maledici regnum Dei consequentur.* Et iterum in Euangelio dicit Dominus: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ*; quomodo possunt censuram Domini vlteriùs euadere, qui talia ingerunt non solùm fratribus, sed etiam sacerdotibus? quibus honor tantus dignatione Dei conceditur, vt quisquis sacerdoti eius & ad tempus hîc iudicanti non obtemperaret, statim necaretur. In Deuteronomio enim Dominus per Moysen loquitur, dicens: *Et homo quicunq; fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunq; fuerit in diebus illis, morietur homo ille.* Item ad Samuelem cùm à Iudæis sperneretur; & Dominus quoque in Euangelio: *Qui audit*, inquit, *vos, me audit, & eum, qui misit me.* Et cùm leprosum mundasset: *Vade*, inquit, *& demonstra te sacerdoti.* Et cùm tẽpore passionis alapam accepisset à seruo sacerdotis, aduersùs Põtificem nihil contumeliosè dixit, sed innocentiam suam ostendens: *Si malè*, inquit, *locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, cur me cadis?* Et in actibus Apostolorum cùm dictum esset Paulo: *Sic insi-*

Lib. 1. ep. 3. ad Corn. Ep. Gal. 5. Matth. 5. Deut. 17. 1. Reg. 8. Luc. 10. Matth. 8. Ioan. 18. Cap. 23.

Sacerdotes Iudæorũ post Christum passum solum inane sacerdotij nomen retinebant.

mulas in sacerdotem maledicendo? Quamuis Domino iam crucifixo sacrilegi & impij & cruenti illi esse cœpissent; nec iam quicquam de sacerdotali honore & auctoritate retinerent, tamẽ ipsum quamuis inane nomen & vmbram quandam sacerdotis cogitans, Paulus: *Nesciebam fratres,* inquit, *quia Pontifex est. Scriptum est enim: Principi populi tui non... maledices.* Et sermonem absoluens subdit:

Exod. 22. Hæc notent, qui tanto furore in sacerdotes nõ omnino probos insurgunt.

Vnde hæreses & schismata nata, secundùm Cyprianum.

Vnus in terris Christi Vicarius, & summus Iudex.

Tria illustria documenta de sacerdotum honore, ex Cypriano.

CVM igitur hæc tanta & talia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas & potestas diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec tanti iudicis vltione terrentur? Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, nisi inde, quòd sacerdoti DEI non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice CHRISTI cogitatur. Hæc Cyprianus, quæ & assertam veritatem egregiè confirmant, & cùm sectariorum ætatis huius doctrina & moribus ex diametro pugnant. Primò grauissima pœna eos dignos pronunciat, qui DEI sacerdotibus, quouis prætextu aut nomine insultant. Mox iusta morte illos mulctatos astruit, qui sacerdotis imperium superbè quondam detrectârant. Hinc CHRISTI & Pauli exemplo, iis quoque sacerdotibus debitum honoris & reuerentiæ cultum deferendum monet, quos improba vita magis condemnat, quàm proba commendat. Tandem omnes errores & hæreses ex eo nasci affirmat, quòd CHRISTI in terris Vicario non obtemperatur, vnusque pro tempore sacerdos, à quo cæteri omnes dependeant, non agnoscitur.

Hom. 20. ad ca. 2. Luc.

ORIGENES: Discamus, filij, subiecti esse parentibus; Maior minori subiicitur: Nam quia maiorem videbat Ioseph ætate, propterea eum parentis honore coluit. Omnibus filiis exemplum præbens, vt subiiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subiiciantur illis, qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filiis, si IESVS filius DEI subiicitur Ioseph & MARIAE, ego non subiiciar Episcopo, qui mihi à DEO ordinatus est pater? Non subiiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? En Origenes eodem loco habet eos, qui suis Episcopis & Pastoribus parêre nolunt, quo illos, qui iusta parentum

Episcopi patres nostri eorundẽque loco habendi.

Deut. 21.

tentum imperia detrectant, hos autẽ veluti quarti præcepti reos, lex vetus lapidibus obrui mandat.

Cvm his faciunt hæc D. Bernhardi quoque: Disce, ait, homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare, erubesce superbe cinis: Devs se humiliat, & tu te extollis? Devs hominibus se subdit, & tu dominari gestiens tuo te proponis auctori? Et friuolam eorum causationem refellens, qui inobedientiam suam improba prælatorum vita excusabant, alibi ita scribit: Qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si Ecclesiæ ordinibus detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt.

Ad eund. Euãg. loc.

Ser. 66. sup. cãt.

At peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis Sacramentis idonei: nunquam duo ista conueniunt; peccatorem esse; & Episcopum esse. Falsum est. Episcopus erat Caiphas, & quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Apostolus erat Iudas, licet auarus & sceleratus. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? *Nonne*, inquit, *Ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem & dicentem; *Quæ dicunt, facite*. Patet quamuis Scribæ, quamuis Pharisæi, quamuis maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi ad eos quoque nihilominus pertinere, quod idem dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

Ioan. 11.

Peccata non tollunt Episcopatus, aut alĩ Ecclesiasticum ordinem.

Ioan 6.

Matth. 23. Luc. 10.

Hæc in huius ætatis sectarios appositè congruunt. Constat enim eiusmodi argumentationes tritissimas apud illos esse: Episcopi, Pastores, cæterique Romanæ Ecclesiæ ministri peccatis contaminati sunt; ergo veri pastores vel Episcopi non sunt, ergo lupi sunt, ergo fugiendi sunt, ergo rectæ fidei doctrina destituti sunt, ergo audiendi nõ sunt. Et tamen omnes hę collectiones sunt omnino insulsæ, & si quid virium habent, iusto titulo in illorum capita retorqueri possunt. Eæ enim vulgi prædicantum sunt sordes, vt mundus ferre vix queat. Verùm, vt Bernardus rectè docet, ad Episcopale vel pastorale munus abrogandum, vel ad obedientiæ vinculum, quam subditi legitimo magistratui debent,

Cuiusmodi hæreticorum argumentationes cõtra Ecclesiæ Catholicæ sacerdotes.

Inexhaustæ vulgi prædicãtum sordes.

Quæ deposcantur ad verum pastorem.

discindendum, sunt hæc omnia infirma & inefficacia. Qui enim orthodoxus est, sacrisque rite initiatus est, & legitima, nullaq; Ecclesiæ censura impedita iurisdictione præditus est, verus Episcopus & Pastor est. Quem proinde, vtcunque tandem priuatim vixerit, æquè ac Christum ipsum audire necessum est. Alios Patres, ne instituti compendij metas transiliam, missos facio. Solùm monuerim, non eos modò grauiter hîc impingere, qui omnem obligandi vim humanis legibus adimunt, sed eos etiam, qui eiusmodi leges tantùm ad pœnam obligare contendunt: Quandoquidem Deum contemnere, aut ordinationi eiusdem resistere, non est puniri, vt quiuis iudicio valens facilè intelligit, sed pœna digna committere.

Grauiter errãt, & cum Scripturis manifestis pugnant, qui leges humanas tantũ ad pœnam obligare asserunt, nõ etiam ad culpã.

PRAETEREA si humanæ leges nullo modo obstringerent ad culpam, sed tantùm ad pœnam, principibus cæterisque politicis magistratibus nequaquam fas foret, legum prœuaricatores capitali supplicio afficere, aut exilio mulctare, aut ad perpetuos carceres damnare, aut bonis omnibus exuere; aut alia eiusmodi pœna plectere. Sed neque Ecclesiasticis iudicibus quoque ius esset Ecclesiasticarum sanctionum transgressores excommunicationis, aut exauctorationis, aut suspensionis, aut alteri simili pœnæ vel censuræ subiicere. Nam cùm tota consentiente schola hæ pœnæ sint maximæ, nulli insonti iusto iure inferri possunt. At cõtumacibus eiusmodi pœnę iustè inferuntur: obligãt proinde humanę leges non solùm ad pœnam, verumetiam ad culpam; imò verò mediante culpa obligant ad pœnam.

Si humanę leges non obligarent ad culpam, nullo modo fas foret eiusmodi legũ prœuaricatores capitali supplicio afficere, aut anathemati subiicere, aut alia quacunque graui pœna afficere.

QVOD si ob violatas humanas tantùm leges id genus pœnas iustè irrogari posse negas, non modò piisimos Impp. sanctissimosque Pontifices, & Martyres quàm plurimos iniustitię condemnas; sed vniuersam quoque Rempub. Christianam, κακοκρίας insimulas. Neque enim soli Imperatores & Pontifices pœnas, quas paulò antè recensuimus, vt iustas decernunt, decretasque infligunt, sed complures quoq; œcumenicę, prouinciales, & diœcesanæ Synodi. Mitto hîc, nõ solùm vnanimem Patrum omnium consensum, totiusq; Ecclesię vsum istiusmodi pœnarum & censurarum æquitatem dilucidè probare; sed pœnales quoque veteris Testamenti leges eandem validè cõfirmare. Siquidem lex Mosaica morte illos mulctabat, qui sacerdotis, vel iudicis, vel parẽtis impe-

imperium fortè detrectaſſent. At non minor nunc eſt Principum vel Epiſcoporum Eccleſiæ auctoritas, aut in ferendis legibus poteſtas, quàm olim erat principum vel ſacerdotum Synagogę.

DENIQVE res hæc apud prudentes, ſyncereque orthodoxos eſt certa & indubitata; Nam vt in ſacris literis veterumq; monumentis nihil quicquam, vnde ea veritas conſtitui poſſet, traditum extaret; attamen ex oppoſita doctrina tam multa paradoxa conſequuntur, vt iure inepti haberi queant, qui vt contrarium euincant, enixè laborant. An non meritò ab omnibus exſibilaretur, qui eos à peccato immunes pronunciaret, qui nulla legitima cauſa præpediti, præmiſſa peccatorum exomologeſi, ſingulis annis minimùm ſemel corpori CHRISTI communicare nollēt? Qui ſacris initiati, vel ſacerdotium aliquod Eccleſiaſticum conſecuti, precum horariarum penſum data opera omitterent? Qui paſtoribus decimas, vel principibus ſtatuta vectigalia non ſoluerent? (nam etſi iure naturali vtrisque alimenta debeantur, eo tamen iure non debentur certa): Qui ſacro Veneris die citra vllam neceſsitatem carnibus veſcerentur? Qui tertio vel quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradū inter ſe cōiuncti matrimonium inirent? Qui contra interdictū ſacris operarentur? &c. & tamen hæc omnia & ſexcenta id genus alia, ex humano iure integrè dependent. Simpliciter proinde ſtatuendum eſt, leges humanas nō ſolùm obligare ad pœnam, verùm etiam ad noxam.

In multa abſurda ſeſe coniiciunt, qui humanas leges ad culpam obligare iu ſiciantur.

DICES forſan: Si non ſolùm diuinæ, ſed humanæ quoque leges obligant ad culpam, ergo inter has & illas nihil intercedet quandoquidem tota vel certè præcipua legis vis in eo poſita eſt, vt obligare queat ad culpam? Non ſequitur; nam etſi in hac re vtcunque conueniunt, in aliis tamen non parum inter ſe diſſentiunt. Etenim vt lex diuina ſit iuſta, abſoluteque obligatoria, ſat eſt, ſi ſola legiſlatoris voluntas adſit; vt quæ certa primaq; omniū humanarum actionum ſit regula; vt autem lex humana vim legis obtineat, non ſatis eſt, adeſſe legiſlatoris voluntatem, aut iuſtam legis ferendæ cauſam, ſed præter hæc neceſſum eſt, vt diuinę naturalique legi ſit conſentanea. Si enim alterutri fuerit diſſentanea, non erit lex, ſed legis corruptio; tum vt ſit honeſta, Reipubl. vtilis, ſecundùm naturam & patriæ conſuetudinem lata, loco iti-

Multùm intercedit inter diuinas & humanas leges, etſi in quibuſdam conueniant.

Lex humana diuinæ vel naturali legi diſſentanea, non lex, ſed legis corruptio eſt.

Lex humana vt obligādi vim habeat, multas requirit conditiones.

dem & tempori conueniens, nullo tandem priuato commodo conscripta. Quod si quid horum defuerit, roboris expers erit.

Lex diuina lege humana diuturnior.

AD hæc licet lex humana diuturna esse queat, & perpetuam esse eidem non repugnet, plurimùm tamen lex diuina multò illa est diuturnior & constantior: Quandoquidem vt hæc à solo DEO fertur, ita ab ipso solo quoq; tollitur: legem aũt humanam multis modis mutari & abrogari contingit. Quin vinculum quoq; vtrobiq; non est prorsus idem; lex enim diuina nõ modò latiùs patet, pluresque obligat, sed strictiùs quoque obligat. Nam lex humana multò plures conditiones deposcit, vt obliget, quàm diuina. Tandem lex diuina, per quemcunq; tandem promulgetur, vel proponatur, totum robur, quo pollet, à DEO accipit. lex autem humana vt vim, ita originem quoq; ab homine trahit. Nam vt lex quæpiam diuina habeatur, non sat est si generali quadam DEI facultate lata vel promulgata sit: (Quandoquidem si vnum hoc sat esset, omnes omnino leges diuinæ essent, scriptum est namque: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Sed & omnes quoq; municipales leges hac eadem ratione regiæ & imperatoriæ forent. Constat enim quicquid inferiores legislatores vel iudices legum vel iudiciorum ferunt, hoc totum supremi iudicis vel legislatoris auctoritate ferre) sed necessarium est, vt proximè ab ipsomet DEO sit lata, vel certè ratione ab illo profecta, vt totam, qua pollet, vim & energiam non aliunde, quàm ab ipso mutuetur. Hæc igitur præcipua sunt capita, in quibus diuina & humana lex inter se discrepant.

Lex diuina latiùs patet, hoc est, multò plures obligat quàm humana, & strictiùs quoque ligat.

Quid deposcatur, vt lex quæpiam diuina censeatur & sit.

Prouerb. 8.

In quo diuina & humana lex conueniant.

Tam diuina quã humana lex id sæpè facit necessarium, quod sua natura est liberum.

CONVENIVNT autem in eo, quod iam dictum est. Tum in eo rursum, quòd vtraque id sæpe efficiat debitum & necessarium, quod antè erat medium planéq; liberum. Etenim vt à pisce squama non tecto, ab animante vngulam non findente, vel cibum ingestum non ruminante abstinere (modò valetudini non obsint) secundùm se est adiaphorum; rursum vt sacerdoti peccatorum exomologesin facere, aquis sacris lustrari, sacrato oleo inungi &c. sua natura est medium, adeóq; liberum, sed vel malum, quia diuinitùs inhibitum, vel bonum vel necessarium, quia diuinitùs præceptum; ita aurum vel frumentum extra prouinciam non efferre, serica veste nulla vti, armis non accingi, certo die carnibus non vesci, aliáque id genus quàm plurima, quæ humanæ leges vetant vel

vel mandant, secundùm se sunt indifferentia; attamen quia vetita vel iussa sunt, liberè fieri, vel inculpatè omitti non possunt. Tum in eo demum quòd ambæ ita obligent ad pœnam & culpam, vt tamen non semper ad parem, sed quandoque ad maiorem, nonnunquam ad minorem, pro materiæ nimirum qualitate, aut præuaricationis ratione, aut præuaricatoris affectione.

Diuinarũ æquè ac humanarum legum præuaricatio nõ est eiusdem semper grauitatis.

QVOD humanæ leges studio violatæ noxam veniali maiorem quandoque adducant, id ex scripturis patrumque sententiis, & pœnis nihilominus quibus isti iuscemodi legum transgressiones puniri solent, iam antè probatum est, & apud eos, qui aliquo rationis discursu vtuntur, minimè obscurum est. (Quis enim ita obtusus sit, vt ab omni æquitatis ratione alienum esse non videat, eos corporali morte, aut perpetuo carcere, aut membrorum mutilatione, aut exauctoratione aut suspensione, aut anathemate multare, qui aut nullo, aut veniali tantùm peccato sese contaminarunt) & Meldensis Synodi decreto propter importunos quosdam denuò cõfirmatur: Nemo, habet illud, Episcoporum quemlibet, sine certa & manifesta peccati causa, communione priuet. Sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut Coëpiscoporum nullum præsumat ponere; nisi vnde canonica docet auctoritas. Quia anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & iis qui aliter non potuerunt corrigi. At omnes enumeratæ iam pœnæ propter humanarũ legum pręuaricationem imponi consueuerunt, & iam olim sæpissimè impositæ fuerunt. Nihil hîc iam dico de DEI contemptu.

11. q. 2. nemo. Nemini ob peccatũ, lethali minº, anathema debet imponi, nec iure quoque imponi potest; nulli rursum nisi cõtumaci.

PORRO autem quòd eiusmodi transgressio non semper sit mortifera, id prolixa probatione non indiget. Nam & materia, circa quam peccatur, sæpe est leuis; & actus, quo contra præceptũ itur, non plenè semper est deliberatus; & legislatoris voluntas nonnunquam est eiusmodi, vt legis suæ transgressores ad mortale omnino nolit obligari. Et quamuis tota peccati quantitas hinc absolutè non pendeat, pendet hinc tamen aliqua ex parte. Certum est enim eundem esse legislatorem, qui prohibuit homicidium & adulterium, paruum & magnum furtum, otiosum & pernicioſum verbum, facetum & exitiosum mendacium, &c. & tamen non prohibuit hæc omnia sub eadem noxa & pœna. Sic quoque non idem peccatum sibi conscisscunt, qui ad euitandum maius

Humanarum legum transgressio, non semper est lethalis, sed neq; diuinarum quoque.

maius malum, vel obtinendum maius bonum, ab humanæ legis obseruatione desistunt, & qui neutrius habita ratione contra legem agunt: Siquidem legislatoris scopus non est, sua lege maius aliquod bonum impedire, sed bonum promouere.

Qui de humanę legis præuaricatione, eiusq; grauitate pronunciare vult, plura cõsideret oportet.

CAETERVM quando humanæ leges violatæ adducunt peccatum mortale, quando rursum veniale, vel nullum prorsus, id regula, quæ nusquam fallat, tradi vix potest; siquidem rei huius cognitio dependet ex multis capitibus & causis. Quare qui hîc certi aliquid pronunciare voluerit, multa considereat oportet, puta legis formam; legislatoris vel legis scopum; materię, contra quam peccatur, qualitatem; personæ præuaricantis conditionem; pœnæ, quę in legis præuaricatorem decernitur, quantitatem; loci, vbi lex lata est, vsum & consuetudinem, aliaque similia nonnulla. Satis enim compertum est, non idem peccatum committi, dum id agitur, quod absolutè vetatur; vel id omittitur, quod simpliciter prȩcipitur: ac dum id designatur, vel prętermittitur, quod suadetur vel dissuadetur veriùs quàm absolutè mandetur, vel inhibeatur. Nec idem rursum, dum in re graui peccatur, ac dum in re ponderis non admodum magni. Aut dum contra id committitur, quod sub exauctorationis, aut anathematis, aut mortis, aut carceris pœna vetatur; ac dum contra id, quod absque vllius pœnæ comminatione per modum statuti vel legis proponitur. Nec idem tandem, cùm contra illud statutum peccatur, quod religiosè ab omnibus obseruatur, atque dum contra illud, quod à paucis, vel penè à nullis obseruatur: Nam vt leges non obligant, nisi vtentium moribus confirmentur, ita olim latæ vsuque receptæ, oppositis vtentium moribus denuo infirmantur, ac tandẽ omnino abolentur. Edisseram id clariùs:

Lex vsu non recepta, aut confirmata, vim obligandi nõ habet, sicut nec illa quoque, quam contrarius vsus abrogauit.

CERTVM est, in iis, quæ secundùm se sunt media, vel indifferentia, (cuiusmodi sunt ea ferè omnia, de quibus humanæ leges statuunt) legem præcipuam suam vim ex legislatoris auctoritate & voluntate trahere. Quare vt nulla lex obligat, nisi legislator eã obligare velit, ita iam lata vsuque recepta, si ipse obligandi vim illi ademerit, obligare desinet. Atqui nullum euidentius mutati animi argumentum extare potest, quàm consuetudinem legi contrariam impunè absque vlla contradictione, aut admonitione, aut coërcione admittere; præsertim si legislator earum sit virium, vt

transf-

transgressores percommodè, si velit, pœnis vel admonitionibus, ne legem violent, coërcere possit. Nam si id non posset, aut propter præuaricatorum potentiam non auderet, & legis nihilominus ratio adhuc obtineret, præuaricatores contraria consuetudine à præuaricationis peccato excusationem non haberent. Quòd si qui sunt, qui legem iustam Reipublicæ vtilem per contrariam consuetudinem abrogari posse negant, illi de ea consuetudine id affirmant, quæ legislatore nesciente, vel resistere non valente, contra receptam legem inducitur, vel certè contra legem ea, quæ suapte natura honesta sunt, mandantem, vel ea, quæ intrinsecè mala sunt, vetantem.

Consuetudo legi contraria cõtra legislatoris voluntatẽ inducta, legem non infirmat.

At quia de eiusmodi consuetudinibus vulgò non semper constat, aut si constet, de rei tamen iussæ vel inhibitæ ratione non item, multò verò minùs de legislatoris voluntate, nisi ipse, quod rarò solet, eam in lege disertè exprimat, qui de præuaricationis qualitate, vel quantitate aliquid certius pronunciare voluerit, consultiùs fecerit, si in materiam, in quam peccatum cadit, in legis rursum formam, eiusdemque æquitatem, vtilitatem, necessitatem, aliáque eiusmodi mentis aciem coniecerit; quàm si in huius vel illius loci consuetudinem, aut legislatoris voluntatem anxiè inquisiuerit.

Ex legis forma, materia, vsu, aliisque eiusmodi facilius transgressionis grauitas deprehenditur, quàm ex legislatoris voluntate aut loci consuetudine.

Igitur vt in diuina & naturali lege communi quadam ratione id capitale censetur, quod contra Dei honorem, vel proximi dilectionem committitur; veniale verò, quod citra illa committitur; ita in humanis legibus id capitale censeri potest, quod contra publicum Ecclesiæ vel Reipublicę bonum studio designatur. Quale est omne illud, quod contra eiusmodi legem temere perpetratur, ex cuius obseruatione dependet salus, pax, tranquillitas, aut quædam insignis Ecclesiæ vel Reipublicæ vtilitas. Veniale verò quod præter hæc, vel contra eam legem committitur, quæ tanti momenti non est, vel cuius obseruatio ad Ecclesiæ vel Reipublicæ pacem & tranquillitatem non admodum necessaria est. Quin hac ipsa quoque lege posita, magna adhuc opus est cautione, ne id videlicet veniale æstimemus, quod veniali fortè grauius est.

Generatim id capitale censeri potest, quod contra publ. Ecclesię vel Reipubl. bonum committitur, veniale quod citra illud.

Quod si qui sunt, qui legislatoris voluntatem hîc etiam spectandam & consulendam contendant, ij responsum habeant,

iure existimari posse legislatorem id voluisse, quod qualitas materiæ, circa quam tulit, iure meritóque eum velle postulabat. Neque enim putandum est, legislatorem rem maximi momenti; cuiusmodi ea est, cui totius Reipublicæ vel Ecclesiæ salus innititur, sub nulla aut sub minima noxa vetuisse, aut præcepisse: contrà verò rem, nullius ferè pōderis, sub lethali crimine subditis indixisse, aut vetuisse. Fuisset enim eiusmodi voluntas primæ regulæ & rectæ rationi planè dissentanea. Nam etsi idem ille, qui dixit: non occides, dixerit quoque, furtum non facies, nihilominus eò grauius illos peccare censemus, qui occidunt, quàm qui furtum faciunt, quò vita hominis præstantior est pecunia; vel quò grauiùs læditur, qui è medio tollitur, quàm qui externis tantùm bonis spoliatur.

Iure existimari potest, legislatorem id voluisse, quod materiæ, circa quam ferebat, qualitas deposcebat.

VERVM si id spectemus, quod communiter accidere solet, princeps vel magistratus, dum legem aliquam Reipublicæ vtilem vel necessariam promulgat, nullam plerunque de veniali vel mortali peccato cogitationem suscipit, sed totus in hoc incumbit, vt lex quam tulit, accuratè obseruetur. Quò autem istuc consequatur, non est contentus simpliciter iubere vel vetare, sed minas quoque & mulctas iussioni vel inhibitioni interdum addit, quas etiã in aliorum terrorem à præuaricatoribus ordinariè exigere consueuit. At vero ex eo quòd id non fit, quod ille vult fieri, quodque iure fieri debebat, consequitur noxa. Nam contra legem humanam iustam, debitisque circumstantiis ornatam agens, agit contra rectam rationem, adeóque contra legem naturalem, & ex consequenti agit etiam contra legem diuinam. Iubet hæc enim seueréque iniungit, vt iustis superiorum legibus morem geramus; contra rationem autem vel DEI legem agere, cum peccato coniunctum est, quodcunque tandem legislator voluerit. Non enim positum est in illius voluntate, velle simpliciter & cum ratione hoc vel illud à suo subdito fieri, & ipsum nihilominus, si, quod visum fuerat, studio neglexerit, à noxa immunem conseruare.

Qui quid legem ferens de transgressionis noxa statuerit, si id nõ fit, quod absolutè vult fieri & ea ratione voluit, peccatum conflatur.

QVAMOBREM non videtur operosè inquirendum princépsne vel magistratus legis suæ præuaricatorem ad mortale peccatum obligare voluerit, an tantum ad veniale, vel etiam ad nullum

nullum omnino. Est autem studiosè inuestigandum an id, quod lege cautum extat, absolutè præceptum sit, an solùm consultum, vel suasum, vel insinuatum. Inuestigandum est hîc, inquam, an id, quod lex mandat vel vetat, mandet vel vetet per modum absoluti præcepti, an tantùm per modum consilij. Nam si per modum absoluti præcepti, legis præuaricator peccat, siue legislator transgressorem peccato qualicunque inuoluere intendebat, siue nulli omnino. Si autem per modum salubris consilij tantùm, legem infringens aut non peccat, aut certè lethabiliter non peccat, etiamsi legislator eum ad peccatum obligare instituebat. Siquidem consilia, modò desit contemptus, communiter non obligant ad peccatum.

Videndum studiosè an id quod lege cautum est, absolutè præceptum, an tantùm consultum sit.

Qvaeris vnde colligam præceptíne vim lex obtineat, an tantùm consilij? si legislatoris mentem omnino compertam non habes, neque habere potes, eò quòd vel absit, vel commodus ad illum aditus haberi non possit: expende statuti materiam. Nam si est grauis, ad Reipublicæ salutem, vel ad boni communis conseruationem multùm necessaria, vel magnum aliquod malum impedire nata, vel præcepto alioqui digna, legislatorem præcepisse magis quàm consuluisse existimes; si autem ponderis est exigui, neque multùm quoque ad Ecclesiæ vel Reipublicæ incolumitatem necessaria, arbitrari licebit magis voluisse suadere, vel ordinare, vel admonere, quàm absolutè mandare.

Num statutum obtineat vim p̃cepti, an verò cõsilij, ex materiæ qualitate spectãdum est.

Qvod si legis obiectum fuerit subdubium, ad legis formam, hoc est, ad verba, quibus lex proponitur, considerationem tuam transferas. Nam qui hac vel alia simili forma legem proponit: Districtè iubemus, inhibemus, mandamus: Vel, in virtute sanctæ obedientiæ, sub anathemate, sub æternæ indignationis maledictione, sub seueriſsimo Dei iudicio, &c. hoc vel illud præcipimus, vel interdicimus, absolutum, citra controuersiam, præceptum edit: Contrà verò si communibus tantùm verbis vtitur; vt si ita dixerit, statuimus, decernimus, volumus, ordinamus, monemus, hortamur &c. nisi quid adiunctum fuerit, vnde oppositum inferre conueniat, legem suasoriam magis quàm

Ex legis forma aliquidne simpliciter sit præceptũ an verò statutum, vel ordinatum, colligi potest.

præceptoriam promulgare voluisse existimari poterit. Quod si his omnibus adhibitis adhuc hæres, eruditos consulas, eorumque consiliis acquiescas.

Qui iusta de causa legem violat, non peccat.

At esto, inquis, statutum aliquod humanum iusti præcepti vim obtineat, non ideo tamen, qui illud violat, lethaliter statim peccat? Omnino; modò tamen deliberato animi proposito id faciat: secùs si ex aliqua ignoratione, vel ex quadam animi præcipitatione, aut ex aliqua alia causa factum in totum vel in partem excusante eiusmodi legem solueret. Nam qui iusta causa motus legem violat, non peccat. Siquidem causa iusta legis rationem quassat; legis autem ratione quassata, lex obligare cessat; generatim quidem si vniuersè quassata est; speciatim verò, si in peculiari aliquo casu labefactata est. At non est tamen cuiusuis de legis ratione iudicare, alioqui pauci comperirentur, qui legem religiosè obseruarent; sed eius præcipuè, qui legem tulit, si tamen aditus ad ipsum vel ad ipsius successorem haberi possit. Quòd si is haberi non quiuerit, ij in consilium adhibendi sunt, qui & iudicio valeant, & Deum timeant. Qui secus faciunt, violatæ legis periculo haud dubiè sese exponunt.

Nō est cuiusuis, de legis ratione iudicare, sed legislatoris præcipuè.

Obiicis rursum; vnius aut alterius præuaricatio non potest magnum aliquod Ecclesiæ vel Reipublicæ detrimentum adferre; ergo licet materia, in quam peccatur, sit ponderosa, non ob id tamen capitalem aliquam noxam adducet? Ad hoc respondetur, non esse hîc spectandum quantum Ecclesia vel Respublica detrimentum capiat, si vnus aut alter id faciat, quod per legem facere non licet; sed quantum si reliqui omnes idem faciant. Nam etsi forsan non magnum regno vel Reipublicæ damnum adferatur, si vnus aut alter solùm contra edictum regium aurum aut frumentum è regno exportet, vel iusta vectigalia defraudet, vel aliam eiusmodi legem ad communem populi salutem latam non seruet: magnum tamen adferetur, si iste & ille & reliqui deinceps secùs ac cautum est facerent. Vnde omnes generatim loquendo grauiter peccant: sicut omnes quoque, qui decimas defraudant, aut publica æraria expilant, tametsi vna eiusmodi direptio vel expilatio, non ita magnum detrimentum Ecclesiæ vel Reipubl. adferat.

In legum præuaricatione nō est spectandū, quantum vnius præuaricatio detrimenti adferre queat, sed quantum plurium.

Addisi

ADDIS: Si peccati quantitas ex materiæ qualitate spectanda est, vt non semel iam dictum est, ergo lex non facit culpam, sed res secundùm se: Siquidem per legem rei natura non mutatur. Quare quod post legem latam est vtile vel necessarium, id priùs quoque quàm lex ferretur, erat eiusmodi? Ad hoc dici potest, multa secundùm se Reipub. esse commoda, vtilia, & salutaria, quæ tamen non fiunt, quia sunt libera; vt autem fiãt, accedit lex, quæ ea, quæ antè erant vtilia, non tamen necessaria, facit necessaria. Sic quoque ad mala vel incommoda quod attinet, contingit nonnunquam vt quippiam ante legem latam vni tantùm aut alteri malum sit, nõ tamen omnibus: attamen quò omnium commodo ex æquo consulatur, absolutè interdicitur omnibus. Exempli gratia: Serico vel auro vestiri, non est malum aut incommodum viro nobili opibus affluenti; est tamen incommodum nobili pauperi; quia eiusmodi vestitus sortis suæ conditionem excedit; veruntamen quia vnus id facit & item alter, & rursum alter, & sic de reliquis, quò inter nobiles quædam æqualitas seruetur, & pauperum nihilominus nobilium honori consulatur, interdicitur omnibus, ne se serico vel auro ornent? Atque ita patet quî lex humana rerum naturas aliquatenus mutet: nam antè bona & vtilia, libera tamen, facit necessaria; antè mala non tamen vniuersè, vniuersè efficit mala.

Lex ea, quæ antè erant vtilia, & salubria, libera tamen, facit necessaria.

Lex rerum naturas aliquatenus mutat.

INSTAS tertiò & postremò: non minor est auctoritas Papæ, vel Concilij, vel Imperatoris, vel Principis viri, vel aliorũ quoque inferiorum magistratuum, quàm Antistitum religiosarum familiarum; Ast illi leges edere possunt, & subinde quoque edunt, quæ tantùm ad pœnam obligant. Ergo hoc ipsum quoque superiores magistratus facere potuerunt: ergo falsò paulò antè assertum est, in legislatoris potestate situm non esse, legis transgressorem immunem à culpa seruare, propterea quòd vt vmbra corpus; ita voluntariam legis præuaricationem naturaliter & necessariò consequatur noxa.

NEGARI sanè non potest, leges & sanctiones monasticas, patrum rursum & matrum familiâs, dominorum tandem & præceptorum eiusmodi ferè esse, quæ magis obligent ad pœnam aliquam vel mulctam, quàm ad noxam, adeóque maiores quoque potestates eiusmodi leges & sanctiones condere posse, & reipsa

Cuiusmodi sint statuta & leges monasticæ, parentum item & præceptorum.

quoque interdum condere; verùm eiusmodi constitutiones, sanctiones, vel ordinationes non sunt absoluta & κατ' ἐξοχὴν præcepta vel leges: siquidem legislator vel constitutionum eiuscemodi auctor vel exactor, siue is secularis fuerit, siue Ecclesiasticus, non præcipit hîc absolutè; neque exigit absolutam in hisce à suis subditis obedientiam: sed ordinat tantum & insinuat quid fieri cupiat, vel quid fieri quoque expediat. Quare potiùs docere vel dirigere dicendus est, quàm absolutè præcipere, vel districtè inhibere. Quòd si religiosorum præfecti, patresfamiliâs, vel parentes absolutè præciperent, vel districtè inhiberent, profectò eorum præcepta non secus obligarent, quàm leges ciuiles vel Ecclesiæ Canones. Tenentur enim monasticen professi suis obedire præpositis, liberi parentibus, vxores maritis, serui dominis. Quamobrem dicere; Regula huius vel illius loci vel ordinis obligat ad peccatum, huius contrà vel illius ad peccatum non obligat, idem est dictu, quod primus ordinis vel loci huius vel illius institutor ea, quæ Regula sua complexus est, absolutè præcepit: Alter contrà, quæ in Regulam redegit, absolutè non præcepit aut vetuit, sed tantùm ordinauit, consuluit, insinuauit, &c.

Quo sensu dicatur Regulã huius vel illius ordinis obligare ad peccatũ, vel ad illud non obligare.

Qvae hactenus exposita sunt, ea planum faciunt, non solùm leges diuinas obligare ad culpam, verùm etiam humanas, modò tamen sint iustæ, nullaque mala circumstantia vitiatæ, & iis nihilominus propositæ, qui legislatoris imperio, vel iurisdictioni sunt subiecti. Qui enim legislatoris potestati non subditur, neque eiusdem quoque statutis, aut legibus obnoxius tenetur. Proximum est, vt ea nunc paucis proponamus & diluamus, quæ Antagonistę contra humanarum legum vim obiiciunt. Nam etsi illa nõ ita multum vrgeant, ex eorum tamen discussione Catholica veritas illustrior euadet.

Lex legislatoris subditos tãtùm obligat.

Vanas eorum rationes & argumenta esse, qui omnem humanis legibus vim & auctoritatem abrogant.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

PRIMVM

PRIMVM SECTARIORVM ARGVMENTVM.

SANIORI Euangelij doctrina instituti, nihil ex iis admittunt, quæ Christianæ libertati, aut Euangelico spiritui repugnant: Politicæ autem & Ecclesiasticæ leges vtrique repugnant non parum; scriptum est enim; *Vbi Spiritus, ibi libertas. si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Rursum: *Iusto lex non est posita, sed impiis & periuris.* Item: *Spiritalis homo iudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur.* Denique lex Euangelica non cuiusuis, sed perfectæ libertatis lex appellatur; perfecta autem libertas excludit omnem seruitutem, legumque molestiam.

2. Cor. 3.
Galat. 5.
2. Cor. 3.
Iacob. 1.

SOLVTIO I. ARGVMENTI.

Hoc argumentum vsque adeò vulgatum & tritum est, totiesque iam antè inculcatum & refutatum, vt nauseam penè moueat. Quoties iam repetitum est, Christianam libertatem non esse positam in nihil agendo, aut malè agendo, aut in quacunque carnis libertate; verùm in immunitate ab ea seruitute, à qua Christus nos liberauit: Hic autem non liberauit nos à maiorum legibus, aut à bonorum operum studiis, aut à vitæ huius miseriis; sed à peccati & dæmonis vinculis, à ritibus & cæremoniis Iudaicis, ab inferorum suppliciis, aliisque similibus, quæ vel peccatum sunt, vel ex peccato originem ducunt. Quare dum Antagonistæ ex Apostolo allegant, *vbi spiritus, ibi libertas*, id allegant, quod nulli Catholicorum negant, tametsi Apostolus aliò spectet. Nam vbi Spiritus regnat, ibi mors, ibi peccatum, ibi caro, ibi infernus, ibi diabolus regnum obtinere non valet: Regnat autem ibi charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, &c: Vbi autem hæc principatum tenent, ibi lex pœnam adferens, vel inuitos & refractarios ad officium compellens, locum non habet: Iusti enim vltrò, quod legis est, faciunt. Habet tamen & apud hos quoque locum, vt dirigit, vt instruit. &c.

Christiana libertas in quibus posita.

A quibus incõmodis Christus nos liberârit, vel non liberârit.

Galat. 5.

Quomodo lex iusto non est posita.

NEQVE sunt hæc nostra cõmenta, aut monachorum somnia, vt carnalis libertatis præcones nugari solẽt; sed certa Spiritus sancti oracula. Quandoquidem enumeratis Spiritus sancti fructibus,

Apostо-

Apostolus statim subiungit: *Aduersùs eiusmodi non est lex*: quod idem est cum eo, *Si spiritu ducimini, nõ estis sub lege*; & cum altero illo, *Iusto lex non est posita*. Neque enim ea ratione ipsi posita vel impositа est, vt premat vel inuitum compellat, vel pœnæ formidine ad officium adigat; verùm vt moneat, quidque opus est facto edoceat; vel certè propter ipsum non est posita: nam si omnes forent iusti & æquitatis studiosi, nullis pœnalibus statutis opus esset: vel non eo fine aut ratione iustis est posita, quo impiis & iniustis.

Galat. 5.

Quomodo iusti non sunt sub lege.

CVM aũt Apostolus scribit, spiritalẽ omnia iudicare, ipsum autem à nemine iudicari, quiduis potiùs indicare vult, quàm spiritalem hominem nullum superiorem, aut iudicem habere, nulla lege teneri, nulli mortalium obnoxium esse; in omnibus autẽ & per omnia sui iuris ac liberum esse, ita vt quicquid facere iubeat, inculpatè facere queat: Significat autem cuiusmodi sit, idà nemine certò discerni posse. Quandoquidem externa sanctimoniæ indicia sunt ambigua, malisq; cum bonis communia, adeóque ex iis ne ab altero quidem spiritali certum iudicium fieri potest, nedum ab homine carnali. Carnales enim carnalia tantùm sapiunt & loquuntur: Ipse autem per internum Spiritus sancti magisterium rectè iudicat omnia; tam ea, quæ vitæ salutique sunt consentanea; quàm ea rursum, quæ eisdem sunt dissentanea. Nihil est ergo, quod de spiritali omnia iudicante, aut de Christiana libertate adferunt.

2. Cor. 2.

Quo sensu spiritalis iudicet omnia, & à nemine iudicetur.

Externa sanctimoniæ iudicia incerta.

Carnales carnalia sapiunt.

SED neque magni quoque momenti est, quod de perfecta libertate ex D. Iacobi Canonica depromunt. Primò enim S. Iacobus Euangelium non appellat legem perfectæ libertatis, sed legem perfectam libertatis. Ait enim: ὁ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας; *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis*, vel, quæ est lex libertatis. Eodem omnino sensu locum hunc legunt Syri quoque. At multum interest inter legem perfectam libertatis, & legem perfectæ libertatis. Multæ enim extant leges, quæ & perfectæ sunt, & libertatis sunt, & tamen perfectæ libertatis leges non sunt. Deinde verò, vt perfectæ libertatis lex sit, perfectæque libertatis lex appelletur, adhuc nullum huic veritati præiudicium procreatur. Constat namque, libertatem eò censendam esse maiorem, quò seruitus, ex qua liberat, erat grauior: At tenebamur

Iacob. 1.

Non omnis lex perfecta libertatis, est etiam lex perfectæ libertatis.

seruí-

seruitute omnium teterrima & improbissima; nisi quis forsan ita sobriè sapiens sit, vt leue existimet, obnoxium esse Diabolo & peccato, pressum esse Mosaicæ legis iugo, deuotum esse inferno, mancipatum esse morti, innumerisque huius vitæ miseriis, à quibus omnibus liberati sumus per CHRISTVM. Denique Apostolus nusquam docet sat esse ad salutem perfectæ libertatis legem cognoscere; monet autem serioque inculcat, qui salute potiri cupiunt, eos studiosè illa omnino præstare debere, quæ lex illa mandat: *Qui*, inquit, *perspexerit in legem perfectæ libertatis, & manserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Atqui inter cætera legis huius decreta continetur ea quoq; obedientia, quæ maioribus debetur.

Durissima erat seruitus, à qua per Christum liberati sumus.

Non satis est legē cognoscere, sed oportet eā, q salui fieri volunt, implere.

QVAMVIS ergo lex Euangelica libertatis lex sit, lex tamen est, onus est, iugum est; & illud quidem, secundùm se absolutè cōsideratum, minimè leue. Nam nō irasci, inimicis bene facere, pro persequentibus orare, non modò manum, sed oculum quoque & animum ab illicitis coërcere, crucem tollere, seipsum abnegare, aliaq; eiusmodi præstare, res profectò est secundùm se admodum ardua, hominiq; carnali difficillima; dicitur nihilominus lex Euangelica onus leue, & iugum suaue, quia est lex charitatis, quæ facit omnia suauia & leuia; sed vna quoq; hæc eiusmodi est, quæ præ cæteris omnibus impigrè laborātibus maxima submini strat præsidia, quæque summa pro exiguo labore præmia dependit, & quæ denique cum Mosaica collata, simpliciter, id est, quod ait Dominus, onus nimirum leue & iugum suaue.

Lex Euangelica secundùm se absolutè cōsiderata, non parum grauis est.

Quo sensu lex Euāgelica dicatur onus leue.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

SINT sanè, inquiunt, humanæ leges vtiles & salutares, ast ad obtinendam Christi gratiam, sempiternæq; vitę hęreditatem minimè videntur necessarię: Nam vt salute potiâre, sat est, si mandata serues. Constat enim adolescentem, quid facto opus esset, vt vitam æternam consequeretur, sciscitantem, tale responsum à Christo tulisse: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quod si quid eo ampliùs opus est, hoc totum plenè in Euangelio explanatum est. Sed & Dominus quoq; Apostolis non suas constitutiones prædicare iussit, sed Euangelium: *Euntes*, ait, *prædicate Euangeliū omni creaturæ.* Quod ipsi quoq; ea religione obseruârunt, vt iis anathema

Matth. 19.

Matth. vlt.

Galat. 2. denunciare non dubitârint, qui ſecus facerent; *Si quis Euangelizauerit vobis præter id, quod acceperitis*, ſcribit Paulus; *anathema ſit*. Acceperant autem ipſi Euangelium CHRISTI. Præterea lex Euangelij non eſt minoris perfectionis, aut πληροφορίας, aut autoritatis, quàm lex Moſaica; ſed huic legi nihil adiicere, aut adimere licebat: Quod ſi quid per Phariſæos, aut legis doctores ad illam adiectum fuerat, illud in conſcientiæ foro obligatorium nõ erat. Deniq; ſub lege naturæ bonę leges non minùs erãt neceſſariæ, quàm hac ætate. Sed Adam, Noë, Abraham, cæteriq; Patriarchæ nullas leges aut conſtitutiones, quæ vllam omnino vim conſcientiis adferrent, edidiſſe leguntur.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

PRIMVM argumenti huius membrum ſolutione non indiget. Fatentur enim, qui cum Luthero & Caluino faciũt, ſolã Decalogi obſeruationem ad ſalutẽ ſat nõ eſſe. Sed neq; Decalogi quoq; lex vnà cum Euãgelio eã ad rem ſat eſt. Et dato ſat eſſe, adhuc aduerſarius cauſam aduerſùs humanas leges nõ obtineret. Nam vt fuſè ſuprà expoſitũ eſt, Euangelium ſeuerè mandat, vt maiorũ ſtatutis & legibus per omnia obediamus. Mandant idem quoq; Apoſtoli Euangelicæ doctrinę interpretes longè fidiſsimi. Euãgelij vox eſt:

Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui Eccleſiã non audierit,*
Matt. 18. 23. *ſit tibi tanquã ethnicus & publicanus. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ et Phariſæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite.* Apoſtolorũ voces ſunt:

Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui poteſtati reſiſtit, Dei*
Epheſ. 5. *ordinationi reſiſtit: qui aũt reſiſtunt, damnationẽ ſibi acquirunt. Mulieres viris*
Epheſ. 6. *ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino. Filij obedite parẽtibus veſtris in Domino. Honora patrem tuum et matrẽ tuam; quod eſt mandatum primum in promiſſione,*
Epheſ. 5. *vt bene ſit tibi, & longæuus ſis ſuper terram. Serui obedite dominis carnalibus*
1. Pet. 2. *cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* Item: *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantũ bonis et modeſtis, ſed et diſcolis.*

Rom. 13. IAM ſi, iuxta Euangelicam & Apoſtolicã doctrinam, obediendum eſt poteſtatibus ſublimioribus, ſi Scribis & Phariſæis, ſi parẽ-
Matth. 23. tibus, ſi dominis etiam diſcolis, cur non etiam ſummis pontifici-
1. Pet. 2. bus, cæterisq; Eccleſiarum paſtoribus & rectoribus? An non ipſi quoq; patres & ſublimiores poteſtates ſunt? quibus proinde æquè ac Chriſto ipſi honorem, reuerentiam, & obedientiam de-
Deuter. 17. ferre obligamur? An non in lege veteri, quæ vmbram tantùm futuro-

turorum gerebat, capitale erat, si quis sacerdoti, qui pro tempore populo præerat, non paruisset? An non Apostolorum discipulus, idemq; illustris martyr Ignatius, perinde Episcopo obtemperandum docet, atque ipsi CHRISTO? An ob id forsan Episcopi, cæteriq; Ecclesiæ ministri audiendi non sunt, quia vt Petrus & Paulus sancti non sunt? At quid hac excusatione adferri potest ineptius, aut quod cum CHRISTI, Apostolorum, Sanctorumque omnium doctrina, imò verò cum ipsa ratione pugnet magis? Nam si probis tantùm obediẽdum est, cùm de nullius probitate & sanctimonia certò constet; vel nulla erit obedientia in terris, vel omnino exigua. Quid enim, si fortè parêre nolis, facilius fuerit quàm superioris tui vitam in ius vocare? Est itaq; legitimis superioribus, qualescunque tandem fuerint, obediendum, & alacriter obediendũ, & in omnibus, quæ illorum potestatem nõ excedunt, neq; vllam mali speciem præ se ferunt, obediendum.

Epist. ad Magnes.

Matth. 23. 1. Pet 2.

Inquib⁹, et quomodo superioribus parendũ.

SED Apostoli, inquiunt, non proprias constitutiones, aut qualescunq; humanas leges prædicare iussi sunt, & re ipsa prędicârũt; sed ipsum purum putumq; Euangelion tantùm? Apostolis Euangelium prædicare iussum nemo inficiatur; Interim non id solùm Euangelizare iussi sunt, quod quatuor Euangeliorũ voluminibus comprehensum est; sed totum illud, quod Euangelicę legi cõsentaneum, hominumq; saluti promouendę idoneũ videretur. Quãobrem quicquid Apostoli, per Spiritum sanctum edocti, verbo vel scripto orbi tradiderũt, hoc totum Christi Euangelium appellari potest; quia totum doctrinæ Euãgelicæ in omnibus & per omnia consonum est. Ea propter cùm Paulus ad Galatas scribens, ita ait: *Si quis Euangelizauerit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit*, nequaquam eos anathemate ferit, qui ædificationis, aut explanationis causa aliqua in medium adferebant, quæ in Euangelio, vel in toto quoq; veteri, aut nouo Testamento prodita nõ extabant; sed eos solùm, qui Euangelio cõtraria, vel ab Euangelica doctrina aliena recèns ad fidem conuersis instillabant. Cuiusmodi ætate Pauli erant quidam Pseudoapostoli, qui inter alia Euangelio contraria docebant, nemini salutem obtingere posse, qui legem Mosaicam vnà cum Euangelio non obseruaret.

Apostoli non id solum prædicare iussi sunt, qđ quatuor Euãgeliorum voluminibus comprehensum est, sed totũ illud quod Euangelio consentaneum est.

Galat. 1.

QVOD aũt Apostoli non id tantùm prædicârint, mandârint, & ordinârint, quod Euangelicus contextus disertè offert; sed alia

præterea multa, quæ expreſsè in Euangelio non continentur, id apud eos, qui iudicio & ratione vtuntur, eorundemq; ſcripta legerunt, extra omnem cõtrouerſiam eſt; & ſi quis neget, facillimo negotio probari poteſt. Nam vt de eorum canonibus & conſtitutionibus, quæ iam olim orthodoxorum manibus teruntur, nihil dicatur, quàm multa in illorum ſcriptis extant ſtatuta, præcepta, & ordinata, quorum nullum prorſus in toto Euangelio cõperitur veſtigium. Vbi, quæſo, hîc proditum eſt, hæreticum hominẽ poſt vnam aut alteram admonitionem vitãdum? Vbi ne Aue quidem eidem impertiendum? vbi, iuniores viduas nubere, ſeniores domus gubernationi incumbere, vtrasq; aũt à curioſitate & garrulitate ſe continere debere? vbi, mulieri publicè docere, aut detecto capite orare, viro autem comam nutrire fas nõ eſſe? vbi, digamũ, vinolentum, percuſſorem, inhoſpitalem, &c. ad ſacerdotium vel Epiſcopatum promouendum non eſſe? vbi, Euchariſtiam profanis eſcis miſcere non licere? vbi à ſanguine & ſuffocato & idolothytis abſtentum oportere? vbi, ſexcenta id genus alia, quæ Apoſtolorum monumenta ſubminiſtrant paſsim.

Plurima mãdata decreta & ordinata ſunt ab Apoſtolis, quæ in Euãgelio nõ continentur.

Ad Tit. 3.
2. Ioan. vlt. 10.
1. Tim. 5.
1. Tim. 3.
1. Cor. 11.
Ad Tit. 1.
1. Cor. 11.
Actor. 15.

Cvm itaq; Dominus Apoſtolos ad prædicandũ Euangelium in terrarum orbẽ amandauit, neq; iuſsit, neq; voluit, neq; conuenienter iubere aut velle potuit, vt ea tantùm prędicarent, quę Euangelij litera prima fronte offert: (Siquidem per id tempus, & aliquot etiam annos poſtea nullum adhuc Euangelium exaratum extabat) voluit autem vt illa mundo annunciarent, quæ pertinẽt ad Euangelij ſtatum, nullos illis prędicandi limites, aut modos præſcribens. Quare etiam dubium nullum eſt, plurima illos docuiſſe, viuaq́ voce tradidiſſe, quæ neque in Euangeliis, neque in illorum Epiſtolis comperiuntur: Imò verò maior illorum pars nihil ſcripſit, & tamen omnes plurimos annos in Euangelij prædicatione inſumpſerunt.

Quænam Dñs Apoſtolos voluerit docere, cùm eos ad Euangelizandum amandauit.

Qvod de noua legis perfectione ſuper Moyſi legem allegabatur, id gratis cõceditur; at nihil hęc conceſsio ad eneruandum humanarũ legum vinculũ. Nam etſi Iudęis nefas fuerit legi, quam per Deum à Moyſe acceperant, aliquid addere, vel certò aliquid eiuſmodi addere, quod ſubſtantiam illius mutaret, ſemper tamen licuit abſtruſos legis ſenſus interpretari, verbisq; & exẽplis, quæ in lege difficilia videbantur, explanare & illuſtrare. Habebat enim Iudæo-

Quæ Iudęorum doctoribus legi licuit addere, quæ item non licuit.

Iudæorum populus æquè ſuos rectores & νομοδιδασκάλους, ac Chriſtianorum cætus ſuos Epiſcopos & Paſtores. Quin quædam quoq; peculiaris ratio vrgebat apud Iudæos, quæ non apud Chriſtianos. Quandoquidem lex Moſaica maiori ex parte cęremonialis erat: cùm autem cæremoniæ illæ ita haberentur inter ſacrificia legalesque cultus, vt ſimul quoque futurorum eſſent ſymbola, ſolus Deus præfinire potuit; vt qui ſolus futurorum ex libera cauſa dependentium ſit præſcius; ſed & ſolus quoque definire debuit. Nam cùm vetus ille populus, ex ingenita quadã leuitate, pronus eſſet ad omnem idolomaniam; ſi liberum illi fuiſſet quibuſlibet ritibus ac cęremoniis vti, facilimo negotio in gentium ritus & ſuperſtitiones degenerasſet. Fuerunt proinde eiuſmodi ritus cultusque ipſi præſtituendi, à quibus ne latum quidem culmen recedere fas foret. Veruntamen præter leges cęremoniales & iudiciales ſtatas, Iudæi habebant conſtitutiones quaſdam politicas & œconomicas non ſtatas; ſed pro locorum temporumque ratione mutabiles, quibus æquè morem gerebant, ac ſtatis illis & quaſi perennibus.

Solus Deus Iudæorũ cæremonias prefinire potuit & debuit.

Iudæi habebant ſuas quoq; leges & ſanctiones politicas, publici magiſtratus auctoritate editas.

SIMILE quiddam de Adamo, Noë, Abrahamo, cæterisque, qui legem anteceſſerunt, coniicere licet: Nam cum illi vitam ducerent non modò politicam, rationiq; per omnia conſentaneam, ſed admodum quoque piam & religioſam, haud dubiè non viuebant ſine ciuilibus legibus, ſacrisque cæremoniis & inſtitutis: Siquidem vita ſine legibus, ſine ritibus, ſine cæremoniis & ſacrificiis non hominum, ſed beluarum vita eſt. Sed neque dubitare quoq; licet protoplaſtum, quæ de ſuo ſtatu ante & poſt peccatum, déq; vero DEI cultu, nec non de peccatorum remiſsione ac mediatore venturo comperta habebat, ea viua voce liberis ſuis prodidiſſe: & hoc rurſum aliis & aliis, donec tandem propoſita & promulgata eſt lex ſcripta. Nec diſsimulat id ſcriptura, tametſi pauca admodum de primo illo mortaliũ ſtatu commemoret: inter alia namq; filios Adami ſacrificaſſe, ciuitatesque & familias inſtituiſſe explanat; At nihil horum ſine legibus & cæremoniis fieri potuit. Leges autem fruſtra figuntur, ſi nemo illis parêre obligatur. Pertinent huc quoque, quæ de Abrahamo eodem illo libro referuntur. *Num*, inquit DEVS, *celare potero Abraham, quæ geſturus ſum? Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini,*

Patres ante legẽ Moſaicã non viuebant ſine legibus ciuilibus & Eccleſiaſticis.

Adamus multa tradidit poſteris ſuis credenda, facienda, & obſeruanda, quorum ſcriptura nõ meminit.

Geneſ. 4.

Fruſtra leges figuntur ſi nemo illis parêre obligatur.

Geneſ. 18.

mini, & faciant iudicium & iustitiam; & adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. Hæc sanè apertè agunt de legibus & cæremoniis, quæ in Abrahæ familia & generatione obtinebant; Atque ita nihil allatum est secundo argumento, quod assertam veritatem vlla ex parte infirmet.

TERTIVM ARGVMENTVM.

INSTANT tertiò eiusmodi cauilatione Antagonistæ: Si humanæ leges & constitutiones in foro conscientiæ ad peccatum obligant, ergo, qui citra iustam causam, eas præuaricantur, vt plurimi solent; nam & multorum charitas hoc tempore refrixit, & leges ipsæ ob multitudinem obseruatu sunt difficiles; inobedientiæ crimen incurrunt, illudque minimè leue: siquidem legitimo magistratui nolle obedire, peccatum est admodum graue. Scriptum est enim: *Quasi ariolandi peccatum est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*, adeóq; infirmioribus conscientiis magnus per eiusmodi leges laqueus iniicitur.

1. Reg. 15.

SOLVTIO III. ARGVMENTI.

SI hoc argumentum validè aliquid probat, probat omnem omnino legem è medio tollendam. Quotus enim quisque seruat præcepta Decalogi, aut legem CHRISTI? Quod de humana fragilitate, legumq; humanarum multitudine dicitur, friuolum est planè: Constat enim, populum Iudæorum eadem illa, vel maiori quoq; imbecillitate laborasse, qua plebs Christianorum, neq; ob id tamen DEVM Opt. Max. ab ingenti illa legum & obseruationum multitudine populum illum liberasse. Porrò autem obedire nolle peccatum esse, illudq; neutiquam vulgare, id nemo negat: siquidem obedire nolle, aliud nihil est quàm legem vel eiusdem auctorem contemnere. Qui autem legitimam potestatem spernit studióue eidem resistit, DEVM spernit: hic autem contemptus peccatum est longè grauissimum. Interim non omnes, qui in humanas leges præuaricantur, ex contemptu vel fastu in illas præuaricantur: Imò verò minima præuaricantium portio hoc sensu præuaricatur. Quotquot enim de præuaricationis causa examinantur, omnes statim allegant, aut carnis infirmitatem, aut insciti am, aut necessitatem, aut aliquid aliud eiusmodi.

Populus Iudæorũ magno diuersarum legum & obseruationum onere premebatur & exercebatur.

Quid sit nolle superiori parere, & quantum peccatum hoc sit.

Non omnes, qui contra legẽ peccant, ex contemptu peccant.

SED

SED & illi ipsi quoque, qui obedire nolunt, non eodem spiritu ducuntur omnes. Sunt enim qui ideo imperium detrectant, quò legitimum magistratum ad iram prouocent, eiusdemq; præceptum vel legem flocci se facere palàm ostendant; & hi, quòd legitimæ potestati studio repugnent, Christumq; in suis vicariis apertè contemnant, grauissimè peccant; qualiscunque is demum fuerit, cuius mandatum tanta petulãtia proculcant. Sunt alij, qui manifesto errore occœcati, non obediunt, nec obedire volunt: quales sunt illi, qui soli DEO obediendum tradunt; vel illud solùm obseruandum credunt, quod is per se proximè & specificè mandauit vel ordinauit. Hoc errore laborasse traduntur Iudas Galilæus & Theodas, quorum in Apostolorum actis fit mentio; laborant eodem quoque non pauci ætatis huius sectarij. Comperiuntur inter hos tamen, qui non omne hominum imperium respuunt, sed Ecclesiastici Magistratus tantùm. Nã cùm omnem, quam se habere putant, nullam enim spiritalem reipsa habent, à ciuili magistratu accipiant, non audent apertè profiteri nullam condendarum legum facultatem penes principes, aut politicos magistratus esse; legum, inquam, quę ad peccatum obligent. Et hi quoq; non secus ac illi, qui ex contemptu imperium detrectant, grauissimè errant.

Non omnes, qui imperium detrectant, eodem spiritu & sensu ducuntur.

Imperium apertè detrectãtium alij ex contẽptu, alij ex errore illud detrectãt, & vtriq; grauiter peccant. Actor. 5.

Sectarij plus deferunt magistratui politico quã Ecclesiastico.

SVNT denique, qui superiorum mandatum manifestè non aspernantur, neq; honestis & licitis maiorum decretis obediendum esse diffitentur; attamen quòd suæ libidini, quàm superioris voluntati, obtemperare malint; vel quod laborem vel molestiam, quam præceptum offert, auersentur; vel certè quòd oblatam peccandi occasionem haud negligendam existiment, legitimi magistratus præceptum scientes volentesq; infringunt: & hi quoq; inobedientiæ peccatum non euadunt. Nam etsi non ita apertè repugnent, vt primi; nec ita quoq; pnitiosè, vt secundi, at repugnant tamen, & aliquatenus quoq; contemnunt: Nã qui potest obedire, & scit se obedientiam debere, & tamen non obedit, videtur absolutè nõ velle: quod idem est ferè quod cõtemnere, vel repugnare: Adeóq; eiusmodi inobediens peccato sese contaminat, etsi non semper capitali; sed quandoq; capitali, quãdoq; veniali, pro ratione materiæ, præcepti, contemptus, voluntatis præcipientis, affectus præuaricantis &c. siquidem non omnia, quæ iubentur vnius sunt

Omnis omnino vtrè inobediens ex parte contemnit.

sunt ponderis, aut necessitatis; neque causæ ad peccandum inuitantes æquè omnes sunt efficaces; neq; omnium præcipientium voluntas æquè est seria. Quare licet res leuis videri queat in qua Adam peccauit; (tantùm enim quò vxori gratificaretur pomum comedit) attamen quia DEVS, sub mortis interminatione, ne id faceret, vetuerat, pomum comedendo grauissimo scelere sese obstrinxit. Atque ita patet; nulli planè, nisi studio improbus esse velit, vllum omnino per humanas leges scrupum aut laqueum iniici, aut peccandi ansam offerri; atque ita totum, quod tertio argumento vrgebatur, nullius esse ponderis.

QVARTVM ANTAGONISTARVM *Argumentum.*

AST nondum conquiescunt maleferiati homines. Qui, inquiunt, humanam aliquam constitutionem edunt, populoq; obseruandam proponunt, aut transgressores illius ad culpã aliquam obligare instituunt, aut tantùm ad pœnam, si ad culpam, præsertim mortiferã; rem à Christiana charitate alienam designãt: Nam & viam, quæ ducit ad vitam coarctant, & multorum conscientias intricant, & infirmis parumq; cautis mortis poculum propinant, adeóque tyrannos veriùs quàm clementes principes sese declarant. Si autem leges, quas figunt, cum tanto onere nõ imponunt, & tamen leges ipsæ violatæ eiusmodi pestem adducunt, aliquam sanè pietatis & charitatis speciem præ se ferunt, reipsa tamen ab vtraq; alieni videri possunt, vt qui iurisdictioni suę subiectos, citra vrgentem causam, non leui peccandi periculo exponant.

SOLVTIO IIII. ARGVMENTI.

ARGVMENTVM hoc fundamenti loco sumit quædam, vt certa, quæ omnino falsa sunt. Constat enim nullum legislatorem legis suæ præuaricationem, aut præuaricatoris pœnam, aut eiusdem culpam, aut aliquid aliud eiusmodi intendere. Nam si quid horum per se vellet, quiduis potiùs quàm cordatum legislatorem se ostenderet. Intendit autem boni publici promotionem; aut pacis publicæque tranquillitatis conseruationem, aut fidei, spei, charitatis, reliquarumque virtutum custodiam & augmentationem, aut aliud hisce affine. Quare falsò infertur humanas leges (modò

Quid sibi proponant probi legislatores, dum legem aliquã promulgant.

(modò sint tales, quales esse debent) viam, quæ ducit ad vitam, coarctare, aut subditos grauare, peccandiue discrimini obiicere; neque enim salutis viam coarctant; sed dilatant. Neque, vt pharisaicæ constitutiones solent, grauant aut intricant, sed benè affectos mirificè recreant & subleuant. Sed neque Dominus quoque ob id Pharisæos notabat, quòd leges ferrent, constitutionésue ederent; sed quòd multas inutiles, miniméque necessarias ederent; editas magna cum seueritate ab aliis exigerent, cùm ipsi interim eas ne digito quidem attingerent. Et cùm eiusmodi essent adhuc tamen obseruari voluit. *Omnia*, inquit, *quæcunque dixerint vobis, facite*.

Cur Pharisæorũ leges & constitutiones à Deo reprehensæ.

Matth. 23.

VERVM ENIM VERO quamuis legislator prȩuaricatoris culpam, aut eiusdem pœnam per se non intendit; sed bonum tantùm Ecclesiæ vel Reipublicæ, vtrumq; tamen permittit: Vel, vt rectius dicam, neutrum impedit. Mallet sanè legislator publicam vtilitatem per legem, quam tulit, promoueri & conseruari; sed quia id quandoque obtinere non potest, non impedit, neque impeditum quoque vult, quò minùs rei fiant culpæ & pœnæ, qui per legis prȩuaricationem bono publico temerè aduersantur. Et hæc voluntas iusta, diuinæq; legi per omnia consentanea est. Nam & DEVS quoque, cùm legem aliquam fert, primò & per se non intendit aliquam culpam vel pœnam; absit; sed priuatum vel publicum eorum bonum, quibus fert legem; secundariò tamen vult legis suæ prævaricatores pœnis subiicere; quod æquum suæque iustitiæ & misericordiæ oppidò consentaneũ est. Si enim peccata impunita permitteret, plurimi peccarent, qui nunc à peccato se continent. Notum est illud Poëtæ.

Etsi legislator prȩuaricatoris culpam, vel pœnam nõ intendit, permittit tamẽ, vel non impedit.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

DICES: habita humanæ fragilitatis ratione, legislator culpam saltem mortiferam impedire velle deberet. Non potest id efficaciter velle: nam hoc ipso quòd legi obnoxius legem iustam citra iustam causam, prævaricatur; necessariò peccat: lethaliter quidem, si res, in quam peccatum cadit, est magni momenti; vel si actus, quo lex violata est, prodiit ex non vulgari contemptu; Venialiter verò, si peccatum in rem paruam lapsum est, vel citra plenam deliberationem certè cõflatum. Iam si peccatum admissum est, non potest legislator, nisi æquitati diuinæq; voluntati aduersarij

Legem iustam citra iustam causam prævaricãs, necessariò peccat.

sari velit, illud puniri non velle. Potest sanè superior constitutionem, aut sanctionem aliquam edere, quæ non obliget ad culpam, sed tantùm ad pœnam; verùm talis constitutio non habet vim absoluti præcepti, vel legis propriè dictæ, sed solùm statuti, vel admonitionis, vel exhortationis. Quod si qua eiusmodi lex, vel præceptum est', non est illud absolutè', sed certa cum conditione, obligans nimirum ad opus præceptum, vel ad pœnam; vel mulctam præuaricatoribus constitutam. Exemplo id declaro; cùm lex ita cauet; Quicunque arma gestare, pecuniam, vinum, aut frumentum, aut aliud quodcunque eiusmodi extra prouinciam portare deprehensus fuerit, exportatum amittat; non simpliciter, ne quis arma portet, aut annonam exportet, inhibet, sed multam dependere paratis, vel iacturæ periculum facere volentibus, deportandi vel exportandi facultatem quodammodo indulget, adeóque deportans vel exportans non peccat. Secludimus hinc casum, quo istiusmodi deportatio vel exportatio cum publico detrimento coniuncta foret. Constat hinc ergo iustas Reipubl. vel Ecclesiæ necessarias leges nihil prorsus continere, quod vllam sapiat tyrannidem, aut crudelitatem, vel quod cum vera pietate, aut Christiana charitate vllatenus pugnet.

Constitutio tantùm ad pœnam obligans, non propriè ratiõis lex, aut præceptum est.

QVINTVM ARGVMENTVM.

NEMO fallaci regula actiones suas confirmare obligatur: at omnis lex humana suapte natura fallax & inconstans est, quemadmodum ipsa quoque ratio, vnde proximè profluit. Sola autem diuina voluntas semper recta & constans, semperque sui similis est. Quòd si qua creata voluntas recta, aut in bono constans est, eam constantiam & rectitudinem ex se non habet, sed ex peculiari DEI dono, quod paucis hoc tempore, quo tam rari per ostium intrant in ouile, eáque ratione vitam instituunt, vt diuini Spiritus illustratione digni habeantur, obtingere solet.

SOLVTIO V. ARGVMENTI.

EST sanè sola DEI voluntas ex se semper iusta & recta, at hinc tamen nõ sequitur; omnem omnino humanam semper iniustam vel obliquam esse. Est enim quædam omnino iusta, & recta, & sancta; etsi isthuc ex se non sit, neque ex se habeat, sed ex eo, vt in argu-

argumento rectè assertum est, ex quo fluit omnis sanctimonia & recti ratio: nempe à DEO optimo maximo. Interim vt recta est, vndecunque tandem eam rectitudinem hauserit, rectam operandi legem vel regulam præscribere potest. Sed neque verum est quoque, quæcunque ex nobis oriuntur, ea errori & falsitati obnoxia esse, vel esse posse. Insita namque habemus prima principia theorica, practica, quæ sunt certa & euidenter vera: Nec ipsa solùm sunt certa & euidentia, sed etiam conclusiones, quæ euidenter inde deducuntur. Nec potest hominum malitia in hac vita tantùm crescere, vt illa extinguantur; Tametsi multiplicatis in immensum sceleribus multum tenebrarum ipsis offundi possit.

Omnis voluntas recta fluit à Deo.

Non omne id, quod ab homine oritur errori aut falsitati obnoxium.

AT verò præter hanc internam veritatis regulam, quæ inflecti non potest, habemus aliam externam diuinitus nobis propositam, quæ ipsa quoque velut illustre quoddam sidus non solùm quid facto vitatóque sit opus, & alia præterea multa, quæ rationis lux assequi nequit, ostendit; verùm etiam quales leges sint edendæ; tum quales sint eæ, quæ ab aliis sunt propositæ, planum facit. Quamobrem ineptum est ex eo, quod humanus intellectus errare, humanáque voluntas deprauari nonnunquam potest, inferre, homini Christiano liberum esse humanis legibus obtemperare, vel non obtemperare. Multum enim interest inter esse & posse, inter voluntatem obliquam & obliquabilem; inter intellectum falsum & falli idoneum; inter legem prauam & noxiam, & legem quæ eiusmodi esse potuit. At multò verò ineptius asseritur, bonis legibus, propter malam rectorum vel legislatorum vitam, nullam obedientiam deberi. Nam si improba vita ab obedientiæ vinculo absolueret, vix vlla prompta & plena, vt nuperrimè dicebamus, obedientia reliqua fieret.

Homo duplicē actionum suarū regulam habet; vnam internam, alteram externam.

SEXTVM ARGVMENTVM.

SVNT qui leges humanas eiusmodi argumento impetant. Homo capitale crimen pro merito punire nequit, ergo neque legem ferre potest, cuius præuaricatio eiusmodi pœnam promereatur. Ergo humanarum legum transgressio nunquam est lethalis, nisi qua forsan ex illis diuinam, aut naturalem includat, aut earundem interpres existat.

SOLVTIO VI. ARGVMENTI.

Legislator legis præuaricatorē, neque pœnę, neque culpę inuoluit, sed ipsemet præuaricator sese ipsum vtrique inuoluit.

AD hoc argumentum paucis responderi potest, legislatorem legis suę transgressorem mortiferæ noxę, aut æterni supplicij reatui non inuoluere. Sed ipsummet transgressorē hoc ipso se ipsum vtrique inuoluere: quòd DEO in homine, iuxta expressum illius mandatum, obedire animum non inducit, vel obstinato animo eidem resistit. Sed neque verum est quoque, ideo hominem ad inferni pœnam hominem obligare non posse, quòd eiusmodi pœnam per se inferre non valeat: abundè enim sat est, si per illum inferat, cuius personam in ferendis & exsequendis legibus sustinet. (Sunt enim omnes principes & legitimi iudices DEI ministri, & certi quidam eiusdem τοῦ θεοῦ ὑπηρέται.) Hoc autem hîc locum habet. Nam vt DEVS ad humanum ministerium confert gratiam & vitam æternam, & tamen ipse primarius vtriusque auctor existit; ita idem quoque illorum decreta per nefas violata, æternæ mortis sententia plectit.

Vt Deus ad hominum ministerium confert vitam, ita ad eorūdem ministeriū infert mortem.

CVM verò inferunt, humanum præceptum nunquam ad mortiferum peccatum obstringere, nisi diuinum aut naturale includat, parum oculatos sese ostendunt. Constat namque, semel tantùm interdiu cibū sumere; statis diebus à carnibus vel ouis abstinere; serica seu lintea veste indui; armis accinctum, vel inermem in publicum prodire; aliáque id genus innumera, quæ per leges humanas seuerè inhibentur, res esse, quod quidem ad naturale & diuinum ius attinet, planè indifferentes; adeóque humanis legibus seclusis, vnumquemque in iis omnibus contrariè & contradictoriè, citra vllam noxam, habere sese posse. Negari tamen non potest, quin in quouis præcepto humano extrinsecè admisceatur quiddam, ad diuinum vel naturale, vel vtrumque simul pertinens. Quandoquidem recta ratio dictat, & lex diuina grauiter quoque mandat, vt legitimis magistratibus, iustísque eorundem legibus & constitutionibus ex animo, tanquam DEI ministris, pareamus.

In quouis præcepto humano extrinsecè admisceatur quiddam ad naturale nec diuinum ius pertinens.

AT hinc tamen non sequitur, humanas leges ex se, vel secundùm se nullam obligationem adducere, sed diuinæ tantùm vel naturalis legis iudices, & quasi interpretes esse, adeóque quod per humanas leges iubetur vel vetatur, iam antè per diuinum vel natu-

Fallūtur qui humanas leges aliud nihil, quàm quasdam tātum diuinæ vel naturæ legis interpretes vel iudices esse dicunt.

naturale ius iussum vel vetitum fuisse. Est enim istud omnino falsum,& à ratione planè alienum ; nemo enim ambigit,capitalem noxam eos incurrere, qui die Veneris,vel alio, quo per Ecclesiæ statutum id non licet, temerè citra vllam legitimam causam,carnibus vescuntur;vel die,quo ieiunium indictum est,bis cibum sumunt;& tamen iure diuino, aut naturali neutrum horum est inhibitum.

OBLIGANT itaque humanæ leges ad culpam & pœnam, etiamsi diuinæ vel naturalis legis dictamen intrinsecè non includant;& ad culpam quidem lethalem & pœnam æternam, si id, quod absolutè præceptum est, res est ponderis minimè parui,infligendam tamen non per hominem, sed per eum, cuius vice & auctoritate homo fungitur,hoc est, per DEVM ; qui in omni humanæ legis præuaricatione non minùs contemnitur & offenditur,quàm homo,imò multò magis. Impossibile est eñ, vt à quopiam peccetur,neq; ipse tamen offendatur vel cõtemnatur. Iam si ipse quouis peccato contemnitur, quid mirum est, si iniustè offendenti,vel contemnenti iustam inferat pœnam, adimendo illi gratiam, vel irrogando inferni pœnam?

In omni peccato contra proximũ commisso, Deus magis offenditur , quàm homo.

SEPTIMVM ET POSTREMVM ADVERSARIORVM ARGVMENTVM.

NON desunt tandem,qui contra humanarum legum vim ita argumententur;omnis omnino sublimior potestas ad hoc à DEO ordinata & instituta videtur,quò populum legum seueritate contineat in officio;ne videlicet ex inscitia vel malitia quippiam contra diuinam, aut naturalem legem committat; adeoq; magistratus,aut nullas, aut pœnales tantum leges edere debebat; quo ij nimirum, qui virtutis amore ad honesti studium non ducuntur, saltem pœnarum formidine huc adigantur. Tendit huc quoque Apostolus, dum publicos iustitiæ ministros in terrorem malorũ, laudem verò bonorum gladium portare, Et alibi, legem non iustis,sed impiis & sceleratis positam esse,prædicat.

Rom.13.

1.Tim.1.

SOLVTIO POSTREMI ARGVMENTI.

HAEC Antagonistarum ratio maiorem partem iam antè soluta est. Dictum est enim, in legislatoris potestate positum non

esse, eum à noxa immunem seruare, qui legem ad Ecclesiæ vel reipub. salutem vel tranquillitatem necessariam, temerè prœuaricatur. Additum est æquè, humanas constitutiones non esse meras diuini vel naturalis iuris determinationes, vt quidã non satis propriè loquuntur; sed veri propriiq; nominis leges, quæ proinde verarum legum munus exercent; à quocunq; tandem calcẽtur. Sed neque satis quoq; prospectum esset Reipub. si magistratus in eos tantùm pœnas decernere posset, qui ius naturę vel diuinum violassent: Oportet enim adesse leges, quarum ductu boni probiq́ue viri erudiantur, & ad perfectioris vitæ rationem promoueantur, & tuti nihilominus aduersus improborum insultus & machinationes reddantur: & per quas improbi tandem ab improbitate ad vitæ honestatem transferantur, vel certè vt minus sæuiant & insolescant, coërceantur.

Non satis prospectũ esset Reipub. si illi tãtùm punirentur, qui diuinum vel naturale ius violassent.

Sane si omnes homines essent perfecti & in gratia cõfirmati, paucissimis legibus opus esset, verùm quia primã illam innocentiam amisimus, & in multis hallucinamur & cæcutimus omnes, nostrapteq́ue natura ad malum proni sumus; & quia multi comperiuntur simplices rerumq́; rudes, omnino necessarium fuit, vt ederentur quædam leges & constitutiones, quibus in hoc corrupto vitæ statu ad vitam & societatem politicam informaremur; nec non ad pacem & tranquillitatem retinendam iuuaremur. Quamobrẽ cùm Christus Dominus, & post illum Apostolus Paulus, de obedientia maioribus & sublimioribus potestatibus præstanda præcipiunt, nihil secernũt inter leges, sed simpliciter pronunciant: *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit &c.*

Paucis humanis legibus opus foret, si omnes essent sancti.

Lucæ 10. Ad Rom. 13.

Qvae hactenus exposita sunt, ea satis indicant, nõ solùm ius diuinum & naturale, si fortè violentur, pœnã & culpam adducere, verùm etiam leges & constitutiones humanas. Cùm ergo inter alias humanas cõstitutiones & leges extet ieiuniorum lex quoq;, prætermittere omnino non potuimus, quin de cõstitutionis huius ratione nonnulla in medium adferremus: nam præterquàm quòd disputationis series hoc deposcebat, proderũt hæc iis quoque nonnihil, qui leui de causa indicti ieiunij legem prœuaricantur, rati fortasis hoc vel illo die ieiunare vel non ieiunare rem esse parui momenti.

Ecclesia-

Ecclesiasticorum ieiuniorum legem non solùm obligare ad pœnam, verùm etiam ad culpam, etsi non semper ad mortiferam.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

PORRO autem licèt Ecclesia, vbi de ieiuniorum ratione agit, verbis, quę expressam præcepti formam præ se ferant, vti ferè non soleat, vtitur tamen tum verbis tum sententiis quoque, quæ præcepti vim insinuant. Neque enim aliud est facere, quod non licet; aut omittere, quod fieri oportet, quàm peccare. At verò quicunque peccat, necessariò præceptum aliquod infirmat: Siquidem Augustino definitore, peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum aliquod contra legem. Sacri autem Canones disertè pronunciãt ieiunium soluere non licere.

Quicsiq; peccat præceptum aliquod infirmat.

QVADRAGESIMA, scribit Greg. summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea, nisi quem infirmitas impediuerit, nullatenus soluatur. At idẽ sonat Nullatenus soluatur, quod Nullatenus soluere licet. Idem rursum est Summa obseruatione obseruãda est, quod summa obseruatione obseruetur necessum est. Et Canone rursum proximo: Ieiunia in Ecclesia à sacerdotibus instituta, sine necessitate rationabili non soluantur.

De cõs. d. 5. can. Quadragesima.

Homil 16. in Euang.

Can. ieiunia.

DENIQVE in Clementinis, Can: Exiui, inter alia, quę ibidem de præceptis ad peccatum mortale obligantibus disputantur, habetur D. Francisci institutum professos, per ordinis ieiunia à ieiuniis Ecclesiæ, quæ cæteri Christiani seruare obligantur, non absolui. Atqui omnis obligatio nascitur ex lege, vel pręcepto, vel voto, vel pacto, vel aliquo alio eiusmodi; Ieiunia autem in Ecclesia vsitata non habent vim ex voto, vel pacto, vel alio simili, ergo ex præcepto; nõ autem ex præcepto diuino aut naturali, saltem proximè & integrè, ergo ex præcepto Ecclesiæ.

De verb. signif.

Omnis obligatio nascitur ex lege, vel præcepto, vel voto.

ET vt ex locis iam citatis aliisq; similibus absolutum ieiunij pręceptum non colligi donetur, iusto tamen titulo negari nõ potest laudabiles, pias, sanctas, longoq; iam vsu apud omnes receptas consuetudines in foro conscientiæ æquè ferè ligare, ac maiorum statuta. Notum est illud Augustini; In his rebus, in quibus nihil

Ep. ad Casul.

nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi DEI, & maiorum statuta pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinũ, coërcendi sunt. Atqui ieiunia non modò maiorum institutiones, vt iam antè ostensum est, sed longissimo quoque, totius Christiani populi vsu & consuetudine nituntur.

Ieiunia non tantùm maiorũ institutione, sed ppetuo quoq; vsu nituntur.

Ad hæc nemo dubitat, quin ęquè vel grauiùs quoq; peccent, qui totum aliquod præceptum infirmant, ac qui vnam aliquam partem conuellunt; ex iis autem, quæ suprà disputata sunt, manifestum est, ciborum delectum Ecclesiastici ieiunij rationem ingredi tanquam substantialem vel integralem eiusdem partem. Cùm ergo apud orthodoxos & eruditos criminis rei habeantur, qui die Veneris vel in Quadragesima, citra necessitatẽ & dispensationem, carnibus vescuntur, non poterunt profectò à noxa immunes haberi, qui nullam ieiunij partem obseruant. At quicunq; peccant aliquam legem infringant, oportet: ieiunium itaque Ecclesiæ præcepti vim habet.

Ieiunij partes cadunt sub præceptum.

Denique suprà expositum est, cùm de legislatoris mente, aut de materiæ, circa quam lex versatur, ratione non satis constat, peccati præuaricatæ legis quantitatem ex grauitate pœnarum, quæ legis præuaricatoribus decretæ sunt, spectandam esse. At verò pœnæ, quas Ecclesia iam olim in eos decreuit, qui indicta ieiunia temerè violant, sunt tantæ, vt maiores ipsa irrogare non queat. Apostolorum decretum in eos, qui citra causam ieiunia soluunt, editum ita sonat: Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non ieiunat; præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur; Si sit autem laicus segregetur. En hic laico anathema, Clerico exauctoratio, si fortè Quadragesimam non seruauerint, ab Apostolis decernitur. His autem telis nulli, nisi vel obstinati, vel grauibus peccatis obstricti, feriri solent.

Pœnæ, quæ ieiuniſi temerè solutẽtibus irrogãtur, illud sub p ceptum cadere manifestè ostendunt.

Cano. 68.

Anathema ab Apostolis iis decretum, qui citra causam ieiunium soluunt.

Cognatvm huic est illud Conc. Moguntini sub Carolo Magno ante octingentos annos celebrati: Si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & obseruare cum cæteris Christianis noluerit, vt in Gangrensi Synodo præcipitur, Anathema sit, nisi se emendare statuerit. Hæc autem non de solis ieiuniorum con-

Cano. 35.

contemptoribus accipienda esse; sed de omnibus promiscuè, qui citra legitimam causam ea soluunt, patet ex gemino ieiunātium ordine, quē hîc Moguntiacę Synodi Patres assignāt, & ex canone rursum Concilij Gangrēsis, ad quem iidem illi se referunt; habet is autem in hunc modum: Si quis eorum, qui exercentur absque corporali necessitate, se insolenter gerat, & tradita ieiunia, quæ communiter seruantur ab Ecclesia, dissoluat, perfecta in eo residente ratione, anathema sit. Et hic quoq; Canō anathema iis denunciat, qui communia Ecclesiæ ieiunia violant. Cano. 19.

Sed neq; multum quoq; ab his recedunt, quę Conc. Toletanum quartum de ea re commemorat. Quicunq;, cauet illud, in die passionis Dñi, præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, ieiunium soluerit, à paschali gaudio depellatur; nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Dñi percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiā non honorauit. Constat enim neminem à pascali gaudio, aut à Dominici corporis & sanguinis communione iustè arceri, qui graue aliquod peccatum non perpetrârit. Mittimus hîc Conc. Cartag. quartum, quod Clericum, propter violatum ieiunium, è superiori gradu in inferiorē deiicit; Concilium Laodicenum, Concilium Triburiense, & alia, quæ omnia magna cum seueritate Quadragesimale ieiuniū indicunt, pœnasq; haudquaquam leues transgressoribus decernūt. Cano. 7. Cano. 63. Cano. 50. Cano. 35.

His Synodorum decretis magno consensu astipulantur veterum Theologorum sentētiæ: Vix enim vnus ex omnibus comperitur, qui eos à delicto immunes pronunciet; imò verò qui grauiter illos peccare nō doceat, qui Quadragesimale, vel aliud quodcunq; ieiunium, ab Ecclesia indictū, citra iustam causam violant.

Ambrosivs: Quisquis Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem diuinitus pro sua salute datam prandendo ipse rescindit. En hic Quadragesimale ieiunium lege indictum, & non ieiunantes præuaricationis reos asserit, & vtrumque in idem recidit: Siquidem omnis omnino præuaricator in aliquam semper legem præuaricatur; & omnis rursum lex vinculum aliquod legi subiectis iniicit. Quomodo autē lex hæc diuinitus sit data, vel qua ratione diuina appelletur, id idem explanat his verbis: Serm. 34.

Omnis preuaricator in aliquā semper legē preuaricatur.

Veteres Christi exemplū vel factum, statutum vel præceptum familiariter appellant.

RESCINDIS enim legem, qui exemplum ieiunij Dominici non custodis. Nam, vt alibi dictum est, Patribus familiare est, CHRISTI exemplum vel factum, legem, vel præceptū appellare. Subiungit autem; Qualis Christianus es, cum, Domino ieiunante, tu prandes? Qualis Christianus es, cùm CHRISTO esuriente, tu reficeris? ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis túis ieiunare formidas? Dicite mihi, interrogo vos, qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quòd abstinente toto populo, vos soli contra præceptum Domini deuoratis? Quod antè appellauerat legem diuinitus datam, hîc Domini præceptum vocat, eosque, qui Quadragesimam non ieiunant, in conscientia sua reos pronunciat.

1. Reg. 14.

AT verò quantum sit peccatum ieiunia Ecclesiæ, quæ ille præceptum Domini appellat, temerè violare, id exemplo ieiunij à rege Saulo vniuerso populo indicti, & à Ionatha per errorē violati, eiusmodi verbis declarat: Cùm Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Ionathas filius eius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens fauum mellis, intincta sceptri summitate, gustasset, tanta indignatio repente commota est, vt & differretur victoria, & diuinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec Regi propheticum responsum datur. Vnde intelligimus, quòd Saul non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat. Denique vnius culpa cunctis cōfertur ignauia, & vnius delicto omnibus generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunium. Quod peccatum vt Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, statim Ionathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione eius sanguinis expiandū. Videte quanta apud Regem Saul fuerit religionis obseruantia, qui offensum DEVM optauit etiā parricidio mitigare? En quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ nō nisi sanguinis effusione punitur? Et si ignorans Ionathas indictū à patre ieiunium, qui resoluerat, morti addicitur, qui sciens indictum à Christo ieiunium resoluerit, quid meretur?

Ieiunium à Saul indictum, & per errorem à Ionatha violatum, grauissimè vindicatum.

Lib 2. Cap. 14.

IMPETIT eodem hoc Ionathæ exemplo D. Hieronymus Iouinianum quoque. Verba illius ita habent: Saul, (sicut in Regum lib. 1. legitur) *Maledictus*, inquit, *qui ederit panem vsq; ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non gustauit omnis populus eius, & tota terra prande-*

prandebat. Tantaq; fuit auctoritas stationis semel Domino destinatæ, vt Ionathas, qui causa victoriæ extiterat, deprehenderetur sorte, & ignorantiæ crimen declinare non posset, patrisq; in se concitaret manum, & vix populi precibus saluaretur. Hęc Patres illi de ieiunio à Saulo indicto & à Ionatha imprudenter violato: & vterq; ad rem præsentem admodum opportunè. Quæ enim erat authoritas Sauli, à DEO iam tum reprobati, si cum Ecclesiæ Catholicæ authoritate comparetur? Quale rursum peccatũ Ionathæ, qui inuincibili ignorantia laborans, paternũ decretum violauerat, cum eorum scelere collatum, qui ex manifesto contemptu & fastu indicta ab Ecclesia ieiunia pręuaricãtur? Constat enim Ionathæ delictum vel nullum extitisse, aut omnino exiguum. Mulctauit illud tamen DEVS grauissimè, non quòd Ionathæ obedientiã mulctare vellet, Ea enim re ipsa nulla extiterat, sed quò mũdo patefaceret, quãtum ipsi displiceant, qui legitimorũ superiorum statuta temerè conuellunt. Quantum deniq; interest inter Ionatham, etiamsi id studio fecisset, quod imprudens fecerat, qui virgæ extremitate modicum mellis degustauit, spiritu præ lassitudine iam penè deficiente, & eos, qui ieiuniorum tempore, nulla necessitate cõpulsi; verùm insana quadam arrogantia, præfractaque contumacia moti, publicè carnes vorant? Sed quosdàm adhuc alios ex eadem hac Patrum schola audiamus.

Cur Deus ieiunium, à Ionatha imprudenter violatum tã grauiter punierit.

MAXIMVS: Sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbamus, hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum; sed diuinitus cõsecratum; neq; terrena cogitatione initiatum, sed cœlesti maiestate præceptum. Et paucis interiectis rursum: Hæc non tam sacerdotum sunt præcepta, quàm DEI, atque ita qui ea spernit, non sacerdotem spernit, sed CHRISTVM, qui loquitur in suo sacerdote. Et hic quoq; auctor duplicem rationem assignat, cur Quadragesimale ieiunium diuinitus institutum, aut cœlesti maiestate præceptum dicatur. Altera est, quia Quadragenario Moysi & Elię ieiunio fuit adumbratũ, CHRISTI verò exemplo initiatum. Altera est, quia CHRISTI authoritate per sacerdotes est indictum. Allegat autem ad hoc illud Lucæ; *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Serm. 36.

Duplex ratio cur Quadragesimale ieiunium diuinitus institutum dici queat & soleat.

AVGVSTIN: Ego in Euãgelicis & Apostolis literis, totoq; instrumẽto, quod appellatur nouũ, animo reuoluens præceptũ inuenio

Ep. ad Casulą.

esse ieiunium. Quibus autem diebus nõ oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum. Et alio rursum loco de ieiunio ita scribit: Aliis diebus ieiunare remedium est, aut prȩmium; in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui nõ ieiunat, sentiet pœnã. Et hîc quoq; clarè asseritur, qui Quadragesimæ ieiunium non obseruant, peccare, pœnæq; meritum incurrere. Quo aũt sensu ieiunium Euangelicum præceptum appellet, expositum est iam dudum antè.

In Quadragesima non ieiunare peccatum est.

Ser. 1. ieiun. 7. mens.

Leo primus Pontifex Maximus: Veruntamen huic studio adiicienda est nostræ admonitionis adhortatio; vt si qui sunt in hoc exercitio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ se adiungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentiùs celebrare; vt per humilitatem ieiunij, contra omnes hostes nostros, diuinum mereamur auxilium. Res est enim præcipui operis, quam ex auctoritate indicimus, & ex charitate suademus; vt paululum edendi libertate compressa, castigationi corporum, & pauperum studeamus eleemosynæ. Hæc Leo de ieiunio septimi mensis, quod, vt hîc audimus, & ex charitate suadet, & ex auctoritate indicit: non quod iam dudum antè non esset indictum; sed quò indictum seruaretur religiosius, placuit præceptum renouare.

Ser. 1. de Quadr.

Bernardvs: Hodie, dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiȩ Christianæ. Nõ nobis singularis est hæc obseruatio; Vna omnium est, quicunq; in eandem fidei conueniunt veritatem. Quidni commune sit Christi ieiunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur? An respuere tristia volumus, & communicare iucundis? si ita est indignos nos capitis huius participatione probamus. Omne, quod patitur ille, pro nobis patitur. Et infra: Qualis ille est non dicam Monachus, sed Christianus, qui minus deuotè suscipit ieiunium, quod tradidit ipse Christvs? Hæc ieiunium præceptũ esse disertè non affirmant, attamen hoc ipso quod Christi traditionem, Christoq; indignos prædicant, qui cum Christo nõ ieiunant, satis indicant quantam ieiunia vim habeant.

Qui cum Christo non ieiunat, indignus qui cũ illo triumphet.

Hom. 2. de ieiu. Ieiunij edictum vbiq; terrarum notum.

Basilivs Magnus: Nulla est insula, nulla terra continens, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores,

res, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt ieiunij edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à ieiunantium numero, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur. Angeli sunt qui in singulis Ecclesiis describunt, atque recensent ieiunantium capita. Duo asserit hoc loco Basilius; alterum horum est Quadragesimæ ieiunium esse indictum; alterum est, edictum hoc omnem ætatem, omnem hominum statum atque conditionem complecti.

Angeli describũt & obseruãt ieiunantes.

EPIPHANIVS: A quo non assensum est in omnibus orbis terrarum regionibus, quòd quarta feria & prosabbato ieiunium in Ecclesia decretum est? si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illic ἐτύπωσαν, decreuerunt, quarta & prosabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste. Et de sex diebus pascatis quomodo præcipiunt nihil omnino accipere quàm panem, salem, & aquam, qualemque diem agere, & quomodo dimittere in illucescentẽ dominicam, manifestum est. Quis autem magis de his nouit hicne seductus homo, qui etiam nunc supereſt, & hucusque in mundo versatur, an qui ante nos testes fuerunt? Hæc Epiphanius de feriæ quartæ, sabbati, prosabbati, & hebdomadæ sanctæ ieiunio.

Hæres. 75.

Lib. 5. cap. 19. Hebdomada sancta secundũ Apostolorũ sanctionẽ pane & aqua tantum vtendũ.

PORRO quòd de sex dierum ieiunio ante pascha hîc asseritur, id non ita accipiendum est, quasi Apostoli Quadragenarium in sex dierum ieiunium redegerint: Iam antè enim audiuimus sub exauctorationis & anathematis pœna 40. dierum ieiunium indixisse. Est autem referendum ad peculiare postremæ hebdomadæ ieiunium. Aliis diebus quotidie cœnabatur, sed postremis, nisi infirmitas aliud postulasset, inedia ad biduum vel triduum producebatur. Aliis rursum communes ieiunantium cibi admittebantur, sex vltimis panis tantùm, & salis, & aquæ vsus concedebatur. Aliis tandem vsitatis stratis & lectis vtebãtur, sex postremis vel humi cubabant, vel in oratione pernoctabant.

Multùm olim intererat inter postremã Quadragesimæ hebdomadã & alias quinque præcedentes.

FACIT huc quoq; illud Theophili Alexandrini. Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiuniis. Qui desidia & citò peritura voluptate studium virtutis infamant, nõ erubescunt clam vinum bibere, & auidis faucibus mulsum in cubiculis potare, vt inediam & ieiunia, quæ vltro appetere debebant, ieiuniorum tempore cum luxuria commutent. Et illud rursum Chryso-

Lib. 3 Pasch.

Serm. 1. de ieiu.

ſtomi: Ne putetis paruum quoddam lucrum eſſe ieiunium; ab vno ligno ſi abſtinuiſſet Adam, ſi ab vno ieiunaſſet, mortua fuiſſet mors: imò non fuiſſet mortua, quæ non erat. Et paucis interiectis ſubdit: Quare occiſi ſunt filij Aaron ſacerdotes? nonne quia in miniſterio vinum guſtauerũt? Quę lex erat Nazaręorũ? nonne abſtinere à vino & omnibus, quæ inebriant? Quæ dicit huc tendunt: Vt Adam & Aaronis filij propter violatam abſtinentiæ legem morte mulctati ſunt; ita Chriſtiani, qui ieiunia à maioribus indicta temerè violant, iuſtas pœnas euaſuri non ſunt. Et illud tandem Apollonij: Ieiunia legitima non ſunt ſoluenda, niſi grandis aliqua neceſsitas fuerit. Atqui ſi ieiunia eſſent libera, non opus foret grãdem aliquam neceſsitatem expectare; ſed quæuis etiam leuiſsima ad ſoluendum ieiunium ſat eſſe poſſet.

Filij Aaronis ob violatam abſtinentiæ legẽ morte mulctati. d. 3 conſ. Ieiun.

Rom. 1.

QVAE hactenus ex Eccleſiæ decrétis, veterumque ſcriptorum monumentis attulimus, ea planum faciunt, Eccleſiaſtica ieiunia non eſſe libera; ſed præcepti neceſsitate ad ſalutem neceſſaria, adeóque noxa minimè leui illos ſeſe obſtringere, qui citrà vllam cauſam illa ſoluunt. Verùm quòd iuxta Apoſtoli doctrinam, non ij ſolùm morte digni ſunt, qui malè faciunt; ſed ij quoque, qui malefacientibus conſentiunt, fit vt non illi tantùm in hanc Eccleſiæ legem committant, qui ieiunium temerè per ſe ſoluunt, ſed illi quoque, qui aliis, vt illud ſoluant vel contemnant, auctores vel impulſores ſunt; vel anſam aut materiam, vt ſoluatur vel contemnetur, vltrò obtrudunt.

Qui ad ſoluendum ieiunium alios efficaciter inducunt, grauiter peccant.

IMO verò magis interdum peccat, qui eum ad ſoluendum indictum ieiunium efficaciter inducit, qui alioqui ieiunaturus erat, quàm qui, citra iuſtam cauſam, aut piam neceſsitatem, per ſe illud violat. Eſt enim illi non ſolùm vera & efficax cauſa, vt peccatum committat, ſed occaſionem quoque offert, vt de ieiunij lege erroneam opinionem concipiat. Aſt ſecus de iis cenſendum eſt, qui quadam vrbanitate, vel humanitate, vel hoſpitalitate motiinuitant quempiam, rati quòd ſalutis ſuæ memor non accumbet, vel quòd facultatem vel iuſtam ſoluendi ieiunij occaſionem obtineat, vel certè quòd alibi ieiunium ſoluere certum deliberatumque habeat. Quandoquidem tales non ſubminiſtrant cauſam, vt ieiunium ſoluatur ſimpliciter, ſed tantùm vt ſoluatur in tali loco; vel vt is illud ſoluat, qui citra noxam ſoluere poterat; vel

Magis interdũ peccant, qui ad peccatum inducunt, quàm qui peccatum committunt.

vel qui se inuitari intelligebat, non vt solueret; sed quò hospitis sui promptitudinem & humanitatem inde disceret. Tutius est tamen ne tales quidem inuitare, & maximè eos, qui alibi cænare statuerunt.

Et quemadmodum ij, qui studio ad infringendum ieiunij præceptum inuitant, peccatum incurrunt; ita etiam patres & rectores familiarum cæteríque omnes, qui ea illis, quorum curam gerunt, proponunt, per quæ ieiunium vel ciborum delectum, ad quæ alioqui obligantur, certò soluturi sunt. Nam etsi eiusmodi primum fortasis peccati fomitem non suggerunt, suggerunt tamen eius continuandi & explendi ansam; vtrumque autem est illicitum, & Christianæ charitati dissentaneũ. Interuenit hîc enim tacitus quidam in alterius peccatum consensus.

Patres familiãs ieiuniorum tempore ea familiæ administrantes, per quæ ieiuniũ soluitur, soluti ieiunij rei sunt.

Havd multò leuius peccatum committunt hîc Caupones, & lixæ, qui ieiuniorum tempore non modò omnium votis vltro sese offerunt, susque déque ferentes, peccentne hospites an secus, dummodò ipsi sperato quæstu non frustrentur: verùm eos quoque, qui abstinere volunt, ad cænam quadantenus compellunt. At verò si eiusmodi caupones, vel alij quicunque mensarum rectores idoneam causam extare animaduertunt, cur id, quo ieiunium soluetur, administrare conueniat, (vt si cernant eum, qui petit, senem, ex itinere lassum, infirmum, laboribus exhaustum &c.) non peccant, si cænam eiusmodi administrant; sicut nec illi quoque, qui secretò illis carnes parant, quos bona fide iustas causas habere credunt, cur petant; esto isti causæ æquitatem non deprehendant.

Qui caupones ieiuniorum feriis cibum administrantes grauiter peccent; qui item à peccato excusentur.

Inter eos tandem, qui ad ieiuniorum præuaricationem concurrunt, illi quoque censeri solent, qui domesticis vel subditis suis, nulla necessitate compulsi, ea ieiuniorum tempore onera imponunt, quæ ieiunium non ferunt, vel tam parcè cibum administrant, vt simul ieiunare & consueta munia obire non queant. nec iniuria: nam etsi propter ieiunium familiæ otium indulgere non teneantur, deberent tamen vel laborem diminuere vel annonam augere, vel vtrumque simul facere, ne Ecclesiæ præceptum contemnere, aut parui ducere viderentur. Constat hinc ergo, nõ eos solùm peccatum admittere, & illud quidem genere suo mortale, qui

Qui citra necessitatem ea onera familiæ imponunt, q̃ ieiunium non ferunt, à peccato violati ieiunij immunes nõ sunt.

qui ieiunia ab Ecclesia indicta temerè soluunt; sed eos quoque, qui aliis, vt soluant, causam adferunt. proximum est illorum rationes & argumenta proponamus & diluamus, qui ieiunij præceptum oppugnant.

Argumenta & rationes, quibus ætatis huius sectarij ieiunij legem oppugnant, vel oppugnare certè possent, nihil euincere.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

PRIMVM ANTAGONISTARVM Argumentum.

ASST esto, inquiunt, Ecclesia præcepta vel leges, quæ temerè violatæ noxam adducunt, ferre queat, de ieiunio tamen eiusdemq; partibus eiusmodi sanctionem edere non debuit, nec iustè quoque potuit. Nam vt lex quæpiam absoluti præcepti robur obtineat, esse debet absolutè honesta, iusta, possibilis, secundùm naturam, & patriæ consuetudinem lata, loco temporíque conueniens, vtilis, necessaria, manifesta, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate conscripta; eiusmodi autem conditiones in ieiunio maiori ex parte desiderantur. Nam ad primam conditionem quod spectat, quòd ieiunium per se non sit aliquid de genere honestorum, hoc est, virtus vel virtutis cuiuspiam actus patet; quia neque propter se expetitur, neque in rationis medio positum est, neque bonis proprium, sed malis cum bonis commune est.

Bonæ legis conditiones variæ.

SOLVTIO I. ARGVMENTI.

CONCEDI potest ieiunium absolutè sumptum, non esse virtutem, aut virtutis cuiuscunq; actum, vt quod multis modis malè præposteréque suscipi perficíque queat. Concedi quoque potest eiusmodi virtutis actu non constare, qui absolutè propter se expeti debeat. Quis enim mente valens ieiunet, vt ieiunet? At hinc tamen inferri non potest, secundùm se turpe vel à virtute alienum esse. Nam vt malo & improbo, ita pio & sancto quoque animi instituto suscipi perficíque potest: Rursum vt ad inhonestum, ita ad hone-

honestum quoque finem referri potest. Neque virtutis rationem illi adimit, quod alio refertur; constat namque pœnitentiam, perpetuam castitatem, voluntariam paupertatem, & quædam eius generis alia, alio referri, hoc est, propter se absolutè non expeti, neq; ob id tamen è virtutum choro excludi. Quamuis ergo ieiunium non suscipiatur propter se, sed propter aliud; nempe vt caro spiritui subiugetur, mens ad DEVM eleuetur, vitium expietur vel præcaueatur, DEO tandem vel Ecclesiæ debita obedientia præstetur, non ideo tamen non est honestum, aut cum virtute coniunctum.

Actus quispiam non ideo non est studiosus, quòd alio refertur, adeóq; propter se non exercetur.

QVOD de neglecto rationis vel virtutis medio in argumento additur, nihil est omnino: Siquidem virtutis medium non est sumendùm secundum quantitatem, sed secundùm rectæ rationis dictamen. Hæc autem suadet vti ob animi vel corporis morbum sanandum vel prepediendum, aut ob vtriusque commodum promouendum, minus interdum alimẽtorum sumamus, quàm communis alioqui abstinentiæ lex sumere permittebat. Nulla tamen ratio suadet, aut lex permittit, vt tantum ex iis rebus tibi adimas, quæ corpori sustentando sunt necessariæ, vt valetudinem lædas, aut vt ad obeundum debitas functiones inutilem te reddas, aut vt vitæ periodum insigniter accîdas. Quod si qui sunt, qui aliquod ex iis incommodis immoderato ieiunio sibi asciscunt, illi neque quantitatis, neque rationis quoque medium seruant, atq; ideo inter ieiunandum peccant; nisi forsan excessus sit modicus, aut propter incensum CHRISTI amorem non animaduersus.

Virtutis mediũ non est sumendum secundùm quantitatem sed secundùm rectæ rationis dictamen.

AT ieiunium, inquiebant, malis cum bonis commune est? Est sanè, si externum ieiunationis actum tantùm spectes, secus si ieiunantium animum consideres: Alio enim fine & animo ieiunant boni, alio mali. Quare licet idem vtrorumque ieiunium sit in genere naturæ, non est tamen idem in genere moris, etsi interdum idem esse queat. Nam licet impij & scelerati communiter non ieiunent, vt Ecclesiæ morem gerant, aut vt illicitos carnis motus comprimant, aut vt DEVM offensum placent, eidémue satisfaciant, vt boni solent, sed ob fines à virtute planè alienos; at possent tamen, si vellent, ob eiusmodi fines ieiunare. Materialiter proinde ieiunium vtrisque commune est, formaliter non item.

Quid inter bonorum & malorum ieiunium communiter intercedat.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

QVOD autem ieiunium sub peccati reatu indicere res sit iniqua, id facilè animaduertemus, si pœnam & culpam inter se committemus. Nam qualem, obsecro, æquitatis rationem præ se fert, propter vilem escam, quam DEVS creauit, vt cum gratiarum actione percipiatur, hominem CHRISTI sanguine redemptum, æternis suppliciis mancipare? Ad hæc hominem Christianum citra causam suo iure spoliare, res videtur non parum iniusta; at hac ieiuniorum lege libertate, per CHRISTVM, & propter CHRISTVM nobis debita citra vllam iustam causam spoliamur. Mitto hîc legem de statis ieiuniis latam redemptionis beneficium vehementer obscurare. Hoc ipso enim quòd vltroneis vel necessariis ieiuniis nos maceramus, CHRISTVM gratis mortuum & passum esse palàm indicamus. lex itaque ieiuniorum secunda bonæ legis conditione est destituta.

SOLVTIO II. ARGVMENTI.

SAEPE iam antè dictum, multisq; modis & rationibus ostensum est, Christiani hominis libertatem non esse eiusmodi facultatem, qua vnicuique quodcunque lubitum fuerit, facere ius sit: Siquidem potestas faciendi quodcunque væsana libido suaserit, non est libertas spiritus; sed licentia carnis, quæ Christianæ libertati aduersatur vt quę maximè. Neque talem rursum, qua homini, absque omni prorsus difficultate & impedimento, sobriè, piè, ac iustè in hoc seculo viuere integrum sit: Quandoquidem ea abomni impedimento immunitas vel miseriarum vacuitas, non est huius miseræ & corruptæ vitæ; sed gloriæ, vel status innocentiæ. Innumera sunt enim, quæ in hac mortali ac mutabili vita pios homines à pietatis studio præpediunt. Sed neque eiusmodi quoque facultas est, qua homo, quæ naturæ suæ vires non excedunt, seclusis impedimentis, potest velle & non velle, vel oppositum quoque velle; facere & non facere, & contrarium facere. Neque etiam potestas faciendi, quod ius vel vis facere non prohibet: Nam vtraque hæc libertas promiscuè comperitur in bonis & malis, libertas autem Christiana non inuenitur in malis, sed tantùm in iustis Christóque per gratiam adiunctis.

In hac vita non est plena libertas à tentatione & miseria.

Libertas Christiana non reperitur in malis & improbis sed tãtum in bonis.

DENI-

DENIQVE libertas illa Christiana, non est immunitas à seruitute corporali, quam ius gentium, vel lex ciuilis induxit; aut eiusmodi, quæ hominem Christianum à maiorum suorum lege vel imperio eximat; aut à vinculo dependendi iustum tributum, aut constitutum vectigal principibus publicisque magistratibus, absoluat. Nam eiusmodi vincula per Christianum nomen aut fidem non tolluntur, sed firmantur: *Serui*, inquit Petrus, *subditi estote in omni timore Dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Pertinet huc quoque illud Pauli: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, & simplicitate cordis, sicut* CHRISTO; *non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.* Et illud rursum eiusdem: *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Et illud tandem eiusdem Apostoli: *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* DEI *enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat,* DEI *enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Ideoque necessitati subditi estote, nõ solùm propter iram,* hoc est, vindictam, *sed etiam propter conscientiam*, hoc est, propter peccatum ex inobedientia natum, quod conscientiam vulnerat. subdit. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem.* hactenus Apostolus.

Libertas Christiani hominis non est immunitas à seruitute corporali, aut legum humanarũ onere, aut debito pecuniario.

1. Pet 2.

Ephes. 6.

1. Tim. 6.

Rom. 13.

AT multò verò minùs libertas Christiana eiusmodi priuilegium, aut prærogatiua est, qua homo Christianus absoluatur à voto, vel iuramento, vel à quocunque alio ciuili vel naturali debito. Certum est namque hominem Christianum, Christiana libertate per omnia salua, multis se vinculis & obligationibus obstringere posse. Potest enim ducta vxore matrimonij iugo colla submittere; potest alteri suam operam locare; potest in spontaneam seruitutem sese tradere; potest aliis quàm plurimis modis, quam habet, libertatem imminuere. Est autem libertas Christiana quædam vacuitas vel immunitas ab ea seruitute & captiuitate, in quam primus generis nostri parens se totamque posteritatem suam imprudens coniecerat. Coniecerat se autem cæterosque omnes, qui olim originem ex eo tracturi erant, in peccatum & iniustitiam, in mortem & sæuam Dæmonis tyrannidem, in crassam rerum cœlestium ignorantiam, & in alias quàm plurimas animæ corporisque miserias & pestes; quæ omnia nos

Quid propriè libertas Christiana.

noſtra ignauia & malitia plurimum auximus, ſubindéque magis magisque augemus.

ITAQVE Chriſtiana libertate liberum eſſe, aliud nihil eſt, quàm per CHRISTI gratiam & miſericordiam à peccato, æternéque mortis reatu liberatum eſſe; ita vt ea libertate donatus non amplius ſeruiat peccato & Diabolo in iniuſtitia & immunditia, ſed DEO ſummo totius creaturæ bono in iuſtitia & ſanctimonia. Veruntamen licet homo per CHRISTI gratiam liberetur à peccato & Diabolo, adeóque à ſempiternæ mortis debito, non ea tamen perfectione à peccati reliquiis in hac mortali vita liberatur, vt ab omni ſtatim miſeria & pœna, omníque dæmonis inſultu, & carnis concupiſcentia immunis euadat, ſed hactenus tantum, quatenus hæc ipſa, aliáque his cognata nullum amplius regnum in illo obtineant.

Nulla plena Spiritus libertas in hac vita.

VNDE licet CHRISTVS Dominus multò plus commodi generi noſtro attulerit ſua obedientia, quàm Adamus incommodi ſua inobedientia, Adamus tamen ante peccatum multò maiori libertate potiebatur in paradiſo, quàm iuſti in hoc ſeculo. Manent enim iuſtificati adhuc obnoxij vitæ huius miſeriis, morti item & mortis prodromis; carnis, dæmonis, & mundi tentamentis; ignorantiis, benéque agendi difficultatibus, humanis legibus & conſtitutionibus, & aliis quàm plurimis miſeriis & peſtibus, à quibus omnibus Adamus felici illo ſeculo immunis erat. Quare etiam non egebat tanta cautione, neque tot ſupernaturalibus præſidiis, vt in accepta ſemel iuſtitia perſeueraret, quot temporis huius iuſti, vt iuſtè ſemper ſanctéque viuant & agant.

Adamus maiori libertate potiebatur in paradiſo, quàm iuſti ſimus quiſque in hoc ſæculo.

QVIA verò Chriſtianæ libertatis fundamentum & quaſi baſis eſt CHRISTI gratia, vitæque ſanctimonia, fit vt hoc libertatis genere eò quiſque cenſendus ſit liberior, quò fuerit ſanctior, & ab iis omnibus, quæ Chriſtianam charitatem veramque ſanctitatem præpediunt, vel ab illorum vſu & exercitatione abſtrahunt, expeditior. Eo rurſum ſeruilior & à vera illa libertate alienior, quò vitiis aut vitiorum fomentis extiterit plenior. Quamobrem exuere ſe à perituris opibus, abdicare ſe à curis & ſeculi vanitatibus, nuncium mittere nuptiis, vitam traducere ſub ſeueræ diſciplinæ legibus &c. Id Chriſtianam libertatem adeò non infirmat, vt eandem plurimum quoq; confirmet promoueatque.

Chriſtianæ libertatis fundamentum & baſis Chriſti gratia.

Chriſtiana libertate eo quiſque liberior quo melior, & à peccatis eorundemq; occaſionibus expeditior.

Sicut

Sicut è diuerso pressum esse iugo coniugali, affluere mundi huius delitiis vel diuitiis, publicis muniis obeundis occupatum esse &c. Eandem libertatem maiorem in modum obturbat & eleuat: *Qui sine vxore est*, inquiebat Apostolus, *sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat* DEO. *Qui autem cum vxore est sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro suo.* Constat hinc ergo, carnem ieiunio; siue illud indictum, siue vltro susceptum sit, macerare spirituiq; subiicere, libertatem per CHRISTVM nobis partam nequaquam labefactare, sed eandem maiorem in modum augere & exornare. 1.Cor. 7.

Ieiunia cæteræque carnis mortificatiões Christianam libertatem augent.

ÆQVE insulsè & vanè argumento attexitur, ieiunia, cæterasque carnis mortificandæ causa susceptas exercitationes Christi passi meritum vel gratiam obscurare; Tantum enim abest vt ieiunia vel alia quæcunque Christianę pietatis officia Christi gratiam, vel redemptionis nostræ beneficium aliquam partem obscurent, vt vtrumque insigniter quoque illustrent. Nam quicunq; Christiano pectore ieiunant, vel orant, vel eleemosynas erogant, ad vnum omnes profitentur & prædicant, nihil horum omnium rectè & pro dignitate præstare se posse, si Christi gratia careant; sed neque ignorant quoq;, totum, quod hîc pręstant, nullius aut roboris aut meriti apud DEVM fore, si CHRISTI meritum hinc excludant. Huius enim solius donum & beneficium est, quod nostra ieiunia, nostræ preces, nostræ eleemosynæ, & reliqua opera nostra DEO placent. Omne meritum, omnis vis & energia, quæ illis tribuitur, ex CHRISTI morte & merito fluit. Quod proinde si è medio sustuleris, omnem actionum nostrarum valorem extinxeris: Sicut ediuerso quoq, sublato omni adulti hominis opere, Christi meritum otiosum & inefficax in illo erit. Sed & fatendum est quoque, & fatemur libenter, singularis cuiusdam gratię & misericordię esse, illud ipsum opus tametsi ex gratia ortũ, tanta mercede in altera vita pensari.

Pietatis cuiuscunque generis officia, Christi meritũ & gratiã illustrant.

AT quid opus est verbis? si ieiunia Christi meritum obscurant cur ipse ea suadet? cur vtilem & fructuosum ieiunationis modum præfinit? Cur Apostolos sponso sublato ieiunauros certò prædicit? Cur Apostoli ipsi ieiunia carnisque mortificationem

Quodcunque opus Christus suadet, hoc illius meritum non obscurat.

verbo & exemplo tantopere commendant? Cur ſancti Patres CHRISTI legem edocti eiuſdemque ſpiritu pleni, eam pietatis partem tam ſtudiosè exercuerũt ſemper? Conſtat enim, quò quiſque eorum extiterat ſanctior, eò ieiunia excoluiſſe impenſiùs. Cur denique ieiunia piè exculta tam admirabiles fructus, non ſolùm in hac, ſed in altera quoque vita, progenerant? Mitto hîc vęſaniæ quàm ſanæ doctrinæ ſimilius videri, aſſerere, quod indomitos carnis motus reprimit, quod vitiorum fomitem reſtinguit, quod virtutem animo inſerit, quod mentem ad DEVM ſubrigit, quod peccatorum reliquias exhaurit, quod DEVM denique placatum placatumque nobis reddit, id CHRISTI meritum obſcurare. At ieiunium probè excultum hæc omnia efficere probatum eſt iam olim prolixè.

AD principale membri huius argumentum reſponſum eſt iam dudum antè; dictum eſt enim, legiſlatorem, dum legem Eccleſiæ vel Reipublicæ vtilem vel neceſſariam fert, nullius pœnam aut culpam per ſe intendere: Sed tantùm boni communis promotionẽ, aut eiuſdem cõſeruationem, aut aliquid aliud eiuſmodi; ſed neque nouum eſt quoq;, cibo vel potu interdicere alicui ſub graui aliqua pœna. Conſtat enim, Adamo, ſub mortis comminatione, vt ab arbore ſcientiæ boni & mali abſtineret, interdictum fuiſſe. Sub pari pœna filiis Aaron indictum eſt, vt, dum ſacris operarentur, vel aliàs in tabernaculo occuparentur, à vino & omni potu inebriante ſeſe continerent. Sed & homini DEI vitã adempta eſt, eò quòd fallacibus Pſeudoprophetæ ſermonibus circumuentus, cibum, contra DEI mandatum, in Bethel ſumpſiſſet. Ionathas tandem, quòd contra præceptum paternum modicum mellis imprudens deguſtaſſet, mortem vix euaſit. Non eſt ergo nouum aut ab humanitate alienum, pœnam alicui decernere & irrogare, propter cibum vel potum contra legem vſurpatum. Nam etſi res parui momenti ſit bibere vel manducare, ſi hæc ſecundùm ſe abſolutè ſpectes, non eſt tamen res leuis, contra expreſſum mandatum bibere vel manducare: Quandoquidem contra expreſſum mandatum bibere vel manducare, nõ eſt tam manducare vel bibere, quàm ipſum legiſlatorem vel legem contemnere.

Non eſt nouum cibum aliquem ſub mortis pœna interdicere.

Geneſ. 2.

Leuit. 10.

2. Reg. 13.

1. Reg. 14.

Secundùm ſe nõ eſt malũ comedere vel bibere, eſt tamen malũ & graue quoq; peccatum cõtra expreſſum mãdatum illud facere.

DICIS

DICIS: De cibo & potu eiusmodi leges ferri deberent, quæ violatæ nullam pœnam vel culpam adducerent. Iam antè dictum est, leges, quæ calcatæ nullam adducunt pœnam aut culpam, non esse veri nominis leges, sed quasdam tantùm admonitiones vel exhortationes. Tum in legislatoris potestate positum non esse, temerarios veræ & iustæ legis præuaricatores à noxa immunes seruare: Siquidem temeraria legis præuaricatio intrinsecè noxam inclusam habet. Addo, eiusmodi leges conuenienter fortasis ferri potuisse aut posse, si omnes, quibus feruntur, essent sancti, vitaque & moribus integri; sed quia plerique eorum sunt nequam & refractarij, talesque qui neque DEVM metuunt, neque hominem curant, omnino opus erat aliquo pœnarum antidoto. Quandoquidem grauium pœnarum interminatione non obstante, multi adhuc comperiuntur, qui contra legis præceptum agere pro nihilo ducunt. Quid ergo futurum putamus, si in legis præuaricatorem nulla pœna decreta fuisset? Nihil est ergo hactenus allatum, quod ieiuniorum legem iniustam esse probet.

Leges quæ temerè violate noxam nullam adducunt, nõ sunt veri nominis leges.

ARGVMENTVM TERTIVM.

CONTRA legis posibilitatem eiusmodi rationem instituunt; esto, nõnulli inter fideles inueniantur, qui præceptum hoc vtcunque explere valeant, maxima tamen mortalium pars citra incommodum explere nequit. Quandoquidem inter Christianos, ad quos solos lex hæc pertinet, plurimi comperiuntur pueri, iuuenes, elanguidi senes, ex morbo vel corporis constitutione debiles, rerum necessariarum inopes, duris necessariisque laboribus assiduò intenti, lactantes, vterum gestantes, aliiq; id genus complures; quos si ad ieiuniorum legem compellis, si non perimis, grauiter certè lædis; si autem omnes illos veluti impotentes à lege absoluis, vix paucos quos ieiuniorum lex obstringat reliquos facis. At quorsum attinet legem ferre, quam nulli, aut certè pauciſsimi obseruare valent?

SOLVTIO III. ARGVMENTI.

HOC argumentum seipsum conficit: Nam si illi omnes à ieiunij lege absoluuntur, qui commodè ieiunare non possunt, vt absolui

absolui hinc solent, ergo lex hæc non est admodum difficilis nedum impossibilis. Neque hinc tamen sequitur legem hanc esse superuacaneam; Quamuis enim multi sunt, qui ieiunium ferre commodè non possunt, reliqui tamen sunt innumeri, qui & possunt, & quibus spiritale hoc præsidium oppidò est necessarium. Addo veteres Theologos & Patres multò pauciores à ieiuniorũ lege exemisse, quàm hoc tempore passim inde eximuntur. Nemo, clamabat olim Basilius Magnus, ieiunantium numero se subducat, in quo generationes cunctæ, sexus omnis, ætas & ordo omnis includitur. Similia legas apud Bernardum, qui sexcentos ferè annos post Basilium in Ecclesia DEI floruit.

Olim multò pauciores à ieiuniij lege eximebãtur quàm hac ætate.

Serm. 66. super cant.

NON debuit autem lex hæc inter eos secernere, qui possunt commodè, & qui commodè non possunt, sed aliarum legum more, quæ simpliciter citra vllam limitationem aut exemptionem proponi solent, omnes qui commodè possunt, indiscriminatim obligare. Qui autem possunt commodè vel non possunt, id humanæ prudentiæ, quæ circa singularia occpatur, definiendum relinqui debuit, præcipuè vero eorum iudicio id permissum oportuit, quos DEVS Ecclesiæ suæ pastores & rectores instituit. Horum enim munus est legum Ecclesiasticarum vinculum, si forte perplexum fuerit, explicare; vel si necessitas id postulauerit, in totum vel in partem tollere.

Quorum est Ecclesiasticarum legum difficultates enodare et explicare.

ARGVMENTVM QVARTVM.

LEGIS ieiuniorum inutilitatem quidam ex aduersariis ita oppugnant: Quod non leuem peccandi ansam subministrat, illud iusto titulo inter vtilia censeri non valet; ieiuniorum autem lex est eiusmodi. Constat enim perpaucos esse, qui indicta ieiunia seruent; multò verò pauciores, qui rectè seruent; At tam isti quàm illi, hoc est, tam ij, qui non seruant, quàm ij qui malè seruant, peccant. Peccatum autem magnum animæ detrimentum adfert. Sed & dato quoque, comperiri nonnullos, qui rectè ieiunent; attamen quod ieiunia habeãtur inter cultus externos, corporalesq; exercitationes, per modicum ad pietatem conferunt. Notum est enim illud Apostoli: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Quod si qui sunt, qui ieiunium commendant, animoque & corpori salutare prædicant, illi non commendant illud corporale

1. Tim. 4.

rale & externum, quod certo ciborum delectu, vnaque corporis refectione constat; sed internum & mysticum, quod vitiis bellum indicit verius quàm gulę aut ventri; Vel si externum quoque probant, non probant tamen superstitiosum illud, & penè Iudaicum, quod hactenus in Papatu viget, sed purum & Euangelicum; quale est, quod non est positum in dierum vel ciborum discrimine, verùm in quadam spiritus libertate, mentisque & corporis sobrietate.

SOLVTIO IIII. ARGVMENTI.

EXIMIAM esse ieiuniorum vim & vtilitatem ex Scripturis & Patribus ostensum est iam antè; probatum est enim ieiunia pio animi studio suscepta, peccata, ne commitantur, impedire; commissa expiare, ad paradisum, vnde propter inuiolatum ieiunium expulsi fueramus, reditum præstare, mentem ad DEVM eleuare, promerita supplicia redimere, impendentes clades arcere, magna DEI beneficia impetrare, sanitati demum vtriusq; hominis plurimùm conferre. Qui ergo ieiuniorum legem plus incommodi quàm commodi adferre deblaterant, non modò ab omni pietate alienos sese ostendunt, verùm etiam Ecclesiam & Apostolos, qui ieiuniorum leges ediderunt, aperta iniuria afficiunt.

Ingẽtia sunt cõmoda, quę ieiunia adferunt.

Apostolos & Ecclesiam iniuria afficiunt, qui ieiunia plus incõmodi quàm cõmodi adferre dicunt.

CAETERVM peccata, quæ non ieiunantes vel malè ieiunantes committunt, ea ex ieiuniorum lege non proueniunt, sed ex peruersa nõ ieiunantium vel malè ieiunantium voluntate. Quòd si ieiunij legem ob id è medio tollere oportet, quòd nonnulli, vel multi quoque cum salutis suæ detrimento ea non seruant vel malè seruant, è medio tollere oportebit omnes diuinas humanasque leges; Pauciss imos enim comperias, qui integrè religioseque eas seruent. Quod si qui sunt porrò, qui malè, hoc est, præposterè ieiunant, quales sunt, qui ieiunio errorem vel vitium aliquod admiscent, illi, vt in aliis fieri solet, de errore vel vitio admoneantur; nihil enim tam bonum aut sanctum est, in quod abusus quispiam irrepere non valeat.

Peccata malè ieiunantium, vel nõ ieiunãtium, non oriuntur ex ieiuniorũ lege, sed ex praua hominum voluntate.

DICIS: Comperiuntur, qui maioris interdum faciunt ieiunia, & alia quædam Ecclesiæ statuta, quàm DEI aut legis naturæ decreta: Ecclesia autem eiusmodi errorem adeò non emendat, vt facto quoque eundem confirmet; Constat enim acriùs

eos plerunq; punire, qui sanctiones, quas ipsa edidit, præuaricantur, quàm eos, qui diuinum vel naturale ius violasse deprehensi sunt. Sit ita, tametsi negari queat; at non ideo errat, aut facto suo vllum omnino errorem confirmat. Nam quòd sua quàm DEI præcepta studiosiùs quandoque vindicet, non ea de causa hoc facit, quòd sua grauiora, aut salubriora, aut magis necessaria censeat, absit, sed quòd quorundam errori obuiam itum, rudiumque saluti consultum cupiat. Nam qui, citra vllam prorsus necessitatem, die Veneris, vel alio tempore, quo id non licet, carnes vorant, vel cum excommunicatis liberè communicant, vel festa ab Ecclesia indicta temerè violant, vel aliquid aliud contra Ecclesiæ decreta designant, indicium haudquaquam obscurum faciunt, secus se de Ecclesiæ potestate & auctoritate sentire, quàm Catholicos decet. At si quid est vsquam, quod hæresin sapit, hoc Ecclesia nequaquam dissimulare aut impunitum relinquere debet; multò verò minus manifestos errores. Facit hoc ipsum quoque ad salutarem aliorum terrorem: Quandoquidem si eiusmodi temeritatem relinqueret impunem, tota illius auctoritas paulatim vilescceret, & in apertum contemptum abiret, quod vtiq; cederet in magnum Christianæ religionis detrimentum. Hoc autem periculum in præceptis diuinis, vel iuris naturalis locum non habet. Omnes enim intelligunt & profitentur DEO & legi naturæ obtemperandum esse.

Cur Ecclesia suarũ legum & statutorũ transgressionem grauiùs nõnunquã puniat, quàm diuinorum præceptorum præuaricationem.

CVM verò inter cætera allegatur, externum cultum corporisque exercitationem externam spiritali vitæ parùm per se conducere, id allegatur, quod certa quadam ratione concedere licet. Certum est enim, cultum externum interno cultu destitutum parum prodesse: Quemadmodum parum quoque potest corporis exercitatio, si desit feruor spiritus. Verùm vbi externum & internum, corporale rursum & spiritale, simul cõiunguntur, ibi mirabilia operantur. Christiani autem dum ieiunant, si tamen Christianè, hoc est, rectè ieiunant, ita corpus exercent, vt tamen spiritum non negligant. Nam etsi proximus ieiuniorum finis est corporis extenuatio, motuumque carnalium compressio, primarius tamen ieiunantis scopus est vitiorum mortificatio, mentisque & spiritus ad DEVM eleuatio, cæteraq;, quorum suprà iam meminimus.

Sola per se corporis exercitatio parum confert ad salutem.

PORRO

PORRO autem dum Apostolus Timotheum instituens, corporis exercitationem ad modicum vtilem prædicat, nequaquam carnis mortificationem, quam alibi seriò commendat, ipseque familiarissimam habebat, damnat, aut dissuadet: Verùm charissimo discipulo, qui hac in parte nonnihil excedebat, frænum iniicere studet. Nam cùm is debilis & valetudinarius esset, neque secus tamen ieiunio & abstinentia ac sanus quispiam sese maceraret, fiebat vt alia, quæ ad pastorale munus pertinebant maioris-que momenti erant, minùs promptè alacriterque obire posset. Suadet proinde Apostolus, posteaquam vtrumque per valetudinem commodè præstare non potest, vt hoc potiùs quàm illud remissiùs vsurpet; præsertim cùm ex priuato vnius ieiunio exiguum commodum in alterum redundet: ex prædicatione autem & oratione plurimum. Atque istuc omnino sonat oratio, qua Apostolus vtitur: Non enim dicit corporalem exercitationem ἀνωφέλιμον, hoc est, inutilem esse, sed πρὸς ὀλίγον ὠφέλιμον, hoc est, ad modicum vtilem: Vult autem per hæc significare, vtilitatem illius minus latè patere quàm aliarum virtutum; & earum præcipuè, quæ ordinem ad alterum sortiuntur. Huc quoque tendunt, qui ieiunia inter minora bona censenda asserunt.

1. Tim. 4.

Quo sensu & occasione Apostolus corporis exercitationem ad modicum vtilē esse scribat.

QVANDO verò Patres internum tantùm & mysticum ieiunium commendare asserunt, insigni vanitate sese imbutos ostendunt: Constat enim quotquot de ieiunio ex instituto scripserunt, aut docuerunt, ad vnum omnes de externo scripsisse & docuisse, Etsi non de hoc solo: Norant enim externum vel corporale interno & spiritali destitutum parui momenti esse. Externum autem interno destitutum dicitur, cùm non solùm cæteris virtutibus homine Christiano dignis orbatur; sed scelere quoque vitæque turpitudine contaminatur. Cuiusmodi ieiunium DEO, qui sacrificantis animum spectat potiùs, quàm ipsum sacrificium, gratum esse non potest. Neque est hoc ieiunio peculiare, sed ipsi cum omni honesto officio, quatenus in exteriori actione versatur, commune. Nullum enim opus, quantumlibet heroicum, DEO placet, si quocunque notabili vitio pollutum est.

Quomodo ieiunium externum seu corporale, interno destitutum dicatur.

Aliter sectarij, aliter orthodoxi vsurpant τὸ Euangelicum.

TANDEM cùm illos, qui corporale ieiunium commendant, purum tantùm & Euangelicum commendare asseuerant, illud asseuerant, quod nulli negant. Certum est enim, nullum vnquam Theologum, Iudaicum aut aliud quodcunque superstitiosum ieiunium commendasse. Interim Antagonistæ τὸ purum & Euangelicum purè & Euangelicè non exponunt, sed impurè & hæreticè. Non enim ob id Christianorum ieiunium Euangelicum appellatur, quòd vnicuique liberum sit ieiunare, quando velit, & quantum velit, & quomodo velit, quomodo ipsi τὸ Euangelicum exponunt: Verùm ob id hoc nominis sortitur, quia in Euangelio insinuatum, & à CHRISTO Euangelij conditore commendatum, & vsurpatum est, & quia ab Apostolis legitimisque eorundem successoribus ad normam Euangelicæ legi conuenientem institutum, grauique sub pœna omnibus, qui possunt, ab eisdem iniunctum est; & quia constanti eorum vsu, qui vnquam Euangelio paruerunt, validissimè confirmatum, & familiarissimè vsurpatum est; & quia tandem ad finem Euangelio proprium, qui est charitas, omne Christianorum ieiunium referendum est. Nulla sunt ergo, quibus ieiuniorum vtilitatem oppugnant, aut eorundem inutilitatem persuadere laborant.

ARGVMENTVM QVINTVM.

IEIVNIORVM necessitatem eiusmodi telo impetunt. Quicquid fieri potest per ieiunium, hoc ipsum per vestium asperitatē, per crebras vigilias & lucubrationes, per assiduas preces, frequentesque peregrinationes, per improbos labores, aliasq; eiusmodi corporis vel spiritus exercitationes fieri potest. Sed & multi quoque competiuntur, qui carnis mortificatione, aut corporis extenuatione non admodum indigent, vt illi omnes, qui nullam aut perquàm exiguam carnis aduersùs spiritum luctam sentiunt, nullúmue debitum, pro quo DEO satisfaciant, aut vitium, quod per ieiunia exhauriant, contraxerunt; vt ergo ieiunia, his positis, non sunt necessaria, ita lex de ieiuniis lata videri possit superuacanea.

SOLVTIO ARGVMENTI V.

NVLLVS vnquam mortalium ad eam vitæ sanctimoniā in hac vita euasit, aut euasurus est quandoque, vt ieiunando vel orando

vel

vel aliud eiuſmodi opus præſtando proficere non queat: Nam vt eos quiſpiam progreſſus in ſpiritali vita fecerit, vt nullos vnquam carnis ſtimulos, nullam amplius eiuſdem rebellionem ſentiat, (id quod citra peculiare priuilegium contingere non ſolet: Quandoquidem vſque ad cineres fomes & mala libido carni noſtræ cohęrent: Quare etiam Eccleſia anathematis eos condemnat, qui hominem ad tantam perfectionem in hac vita deuenire poſſe contendunt, vt ampliùs proficere non valeat) adhuc ieiunia ſuum locum obtinerent, & illum quidem iuſtum.

Nullus mortalium in hac vita peruenit vnquã ad ſummũ, hoc eſt, tantum profecit, quin plus proficere potuerit. Ad noſtram; de hær. in Clem.

QVOMODO? dicam paucis. ſuprà prolixè oſtenſum eſt, ieiunia non ſolùm valere ad carnalium deſideriorum mitigationem, mentisque ad DEVM ſublationem; verùm etiam ad alia complura æquè atque hæc ipſa ad vitam ſalutemque vtilia vel neceſſaria; puta ad gratię augmentationem, ad impetrandam plenam à DEO peccatorum remiſsionem: *Siquidem in multis offendimus omnes, & ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; peccata autem & offenſæ citra pœnam non expiantur. Tum rurſum ad depellendam communem vel priuatam aliquam cladem; ad præſtandam debitam Eccleſiæ obedientiam. Nulla enim perfectio eſt tanta, quæ hominem Chriſtianum à maiorum obedientia eximat. Imò verò quò quiſque fuerit perfectior, eò CHRISTI exemplo in omnibus obſequentiorem præſtare ſe debet. Tum denique ad aliorum exemplum publicamque ædificationem. Eſſet enim res peſsimi exempli, Eccleſia tota ieiunante nolle ſe aliorum moribus accommodare.

1. Ioan. 2.
1. Ioan. 1.

Nulla perfectio eſt tanta, quę hominem liberet à maiorum obedientia.

SED neque indicitur quoque ieiunium eiuſmodi remedio indigentibus, (tametſi omnes aliquatenus eo indigeant, vel vt lapſi plenè reſurgant, vel certè ne in peccatum aliquod proruant) ſed omnibus promiſcuè, qui ieiuniorum legem citra graue incommodum obſeruare valent. Fruſtra proinde vitæ perfectio ieiuniorum neceſsitati opponitur. Sed aiebant; per aliud totum id fieri poteſt, quod fit per ieiunium. Primò negari iſtud poteſt: Sunt enim morbi, qui ſolo ieiunio ſanantur. Deinde vt fieri id poſsit, non æquè tamen commodè poteſt, vt fatentur omnes. Poſtremò de aliis illis, aut lex aliqua ferri debuit, aut nulla omnino; ſi de aliis ferri debuit, cur non etiam de ieiunio? ſi autem non debuit, quis ſponte vſurpabit? An non ſeuerè iniuncta vulgò præ-

Ieiuniũ non indicitur tali medicamento egẽtibus, ſed omnibus ieiunare valentibus.

ſtantur negligentiſsimè ? quid ergo fieret ſi nihil extaret præceptum?

ARGVMENTVM SEXTVM.

QVOD autem ieiunia præſertim diuturna, non ſint ſecundùm hominis naturam, id eiuſmodi argumentatione probant. Conſtat naturam noſtram poſt peccatum effectã eſſe infirmam & debilem, multisque miſeriis & morbis obnoxiam. Conſtat certa nihilominus experientia multos ſępe propter ieiunia in graues ægritudines incidiſſe. Conſtat tandem Eccleſiam, animaduerſa humanæ naturæ imbecillitate, multa temporis lapſu de ieiuniorum rigore remiſiſſe, multosque ab ea lege abſoluiſſe, qui olim religiosè illam obſeruabãt. Hæc autem clarè oſtendunt ieiunium non eſſe ſecundùm ieiunantium naturam.

SOLVTIO VI. ARGVMENTI.

ETSI aduerſario concedi queat, ieiunium non eſſe ſecundùm hominis naturam, vt animal tantùm vita ſenſuq; prædituum eſt: ſiquidem per ieiunium adimitur aliquid corpori, quod ſalua temperantiæ lege concedi eidem poterat; Eſt tamen ſecundùm hominis naturam vt animal mente & ratione ornatum eſt. Quandoquidẽ vt animo & corpore valeas, vel rectiùs valeas, ratio ſuadet vt ab iis omnibus abſtineas, quæ citra vtriuſque offenſionem ſumere non potes. Nam & beſtiæ naturæ ductu, quò meliùs habeant, abſtinent vno tempore à quibuſdam, à quibus alio non abſtinent. Sed & verè quoque defendi poteſt, moderatum ieiunium ad vtriuſque partis ſanitatem & integritatem multum ſæpe conferre. Experientia namque compertum eſt non ſemel, qui frequenter abſtinent agiliores vegetioresque euadere, & diutius nonnunquam viuere, quàm ij, quorum omne ſtudium in vnũ hoc intendit, vt gulæ ventrique omnem curam cultumque deferant.

Ieiunium rationali hominis vitæ cõsentaneum eſt, animali non ſemper.

Beſtiæ & pecudes naturæ ductu abſtinent quandoque à quibuſdã, à quibus aliàs nõ abſtinent.

Mediocris abſtinentia producit vitam & conſeruat valetudinẽ.

ILLVSTRE huius rei exemplum ſuppeditant, qui diluuium anteceſſerunt. Nam cùm hi carnium & vini vſum maiorem partem ignorarent, plerique tamen tot annorum hecatontadas viuebant, quot huius ætatis homines decades. Tum patres illi, qui ſeculo deſerto vitam in ſolitudine tranſigebant: Quamuis enim ij duriſsimam vitę rationem tenerent, in multos tamen annos ætatem producebant. Tum Hebræorum demum populus per deſertum

Diuturnæ vitæ cauſæ ante diluuium.

tum oberrans. Siquidē tantiſper ſanus & incolumis viuebat, dum cœleſti manna & aqua contentus erat: vbi primùm verò manna faſtidito ad carnes & cæpas Ægyptias anhelare cœpit, cœpit cum variis quoque miſeriis & infortuniis conflictari, ita vt ex tanta populi multitudine, quæ ex Ægypto egreſſa fuerat, duo tantùm ad promiſſam terram peruenerint.

SED quorſum antiquis cōmemorandis immoror? An non in omnium oculis eſt, qui gulę ventriq; dediti, in comeſſationibus & ebrietatibus ætatem conterunt, eos variis ſubinde morbis, doloribus, & miſeriis inuolui? & poſt longam moleſtamq; cùm morbis conflictationem miſerè tandem miſerum ſpiritum abiicere? Nam vnde dirus ille articulorum cruciatus, membrorum cōuulſio, capitis vertigo, oris grauiolentia, oculorum lippitudo? Vnde lepræ, mortesq; repentinę, & alia ſexcenta id genus incommoda, niſi ex crapula & gula? An non dici ſolet: Plures interire crapula & ebrietate quàm gladio? an nō ſanitatis matrem ſobrietatem appellant antiqui? Ieiunium, ſcribit Baſilius Magnus, eſt mētis pædagogus, ornamentum ſenibus, comes viatori, tutus conuictor, mater ſanitatis. Nullus ab aqua grauatus eſt crapula, nullius caput doluit aqua grauatum: nullus alienis pedibus opus habuit in aquæ potu vitam degens, nullius pedes ligati ſunt, nullius manus inutiles factæ ſunt irrigatæ aqua.

Luxus innumeros parit morbos.

Homi. 1. de Ieiu.

Sanitatis mater ieiunium.

Aquæ potu vitā tolerans, alienis pedibus, aut manib⁹ nō indiget.

NON multum ab his abſcedit illud Hieronymianum; legimus quoſdā morbo articulari & podagrę humoribus laborantes, proſcriptione bonorum ad ſimplicē menſam & pauperes cibos redactos, cōualuiſſe. Caruerant enim ſolicitudine diſpenſandę domus & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animū. Et paulò ante hunc locum: Multi morbi ex nimia ſaturitate concitantur, multíque impatientiam gulæ vomitu medentur, & quod turpiter ingeſſerunt, turpiùs egerunt. Hippocrates in Aphoriſmis docet craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi menſurā impleuerunt, niſi citò ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſin & peſsima morborū genera erūpere, & idcirco neceſſariā illis eſſe demptionem.

Hoc norent podagrici.

Podagra inedia & menſæ frugalitate ſanatur.

FACIT huc illud Chryſoſtomi quoque: Nihil ſic iucundum eſt ſicut cibus bene digeſtus; nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur, nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio: Sufficientia quippe cum nutrimento & ſoſpitatem ſimul pro-

Homil. 29. ad Hebr.

procreat & voluptatem, abundantia verò morbum facit. Hæc illi de ieiunio & sobrietate sanitatis matre. Quòd igitur Ecclesia indulgentiùs hoc tempore cum ieiunantibus agit quàm olim, hoc ea de causa non facit, quòd ieiunium valetudini obsit: sed quòd modicum quid à filiis suis obtinere malit, quàm omnino nihil. Nam si nunc tam pauci religiosè ieiunant, cùm tanta facta est remissio, quid fieret si Ecclesia antiquum rigorem vrgeret?

Cur Ecclesia indulgentiùs nunc agat cũ ieiunantibus, quã olim.

ARGVMENTVM SEPTIMVM.

PORRO autem quòd hæc lex ad patriæ consuetudinem non ita multùm faciat, ad oculum penè patet. Quãdoquidem id consuetudinarium vel secundùm regionis consuetudinem receptum dicitur, quod vel ab omnibus indiscriminatim, vel certè à potiori parte seruatur: atqui ieiunia Ecclesiastica, neque ab omnibus, neque à potiori Christiani populi portione seruantur; sed à paucis, idque tacentibus populique errorem & præuaricationem exemplo suo confirmantibus iis, à quibus ieiunia ortum traxerunt, vt sunt Episcopi, Monachi &c.

SOLVTIO VII. ARGVMENTI.

MAGNVM esse consuetudinis robur fatentur omnes: At non est illud tantum, vt ea efficiat bona & licita, quæ secundùm se sunt mala & illicita; vel vice versa, vt ea reddat mala, turpia, vel nefaria, quæ secundùm se sunt honesta, hominéque Christiano digna. Quamuis ergo ieiunium generatim acceptum res sit quædam media; attamẽ vt ad animæ vel corporis salutem est necessarium, sua natura bonum & vtile est, & eius oppositum intrinsecè malum & noxium est, adeóque nulla contraria consuetudine vis eius aboleri potest. Eiusdem rationis est quamdiu absoluti præcepti rationem tenet; etiamsi huic vel illi secundùm se absolutè necessarium non sit; Nam vt maiorum præcepta contemnere vel petulanter iisdem obsistere semper est malum, ita eo loco & tempore, & modo illis parêre, quo iis parêre obligaris, semper est bonum. Tamdiu autem præcepta vim obtinent, adeóq; in foro conscientiæ obligant, quàm diu superior vel legislator absolutè & cum ratione vult ea obtinere. Eiusdem enim est figere & fixum ex causa reuellere. Volũtatem porrò suam legislatores manifestiùs ostendere

Nulla omnino consuetudo, quæ per se bona sunt, mala efficere potest, neque quæ natura sua mala sunt, bona.

Legis vinculum tãdiu durat, quã diu legislator illud cum ratione durare iubet.

dere non possunt, quàm si legum suarum transgressores publicè puniant, aut veluti præuaricatores publicè obiurgent.

CVM igitur Catholicæ Ecclesiæ Pastores populum fidei suæ commissum, hoc vel illo die ex Ecclesiæ præcepto ieiunandum esse monere soleant; eosque qui indicta ieiunia non seruant non DEI sacerdotem, sed DEVM ipsum, qui per sacerdotem loquitur, contemnere publicè prædicent, & eos tandem, qui indictum ieiunium temerè violarunt, si non publicè, saltem in interno DEI foro puniant, satis planum fit ieiuniorum legem per quorundam malè ieiunantium consuetudinem necdum abrogatam esse. Quòd autem eiusmodi transgressores non publica semper pœna mulctentur, plures sunt causæ. Primò de eiusmodi transgressione non semper constat. Deinde vt maximè de ea compertum sit, non certò tamen semper constat, neque certò quoque constare potest de transgressionis causa. Tandem propter præuaricantium multitudinem nimis onerosum foret, cõtra omnes iuridicè procedere. In foro tamen interno nemo impunè præceptum hoc violat.

Cur Ecclesia ieiuniorum legem nõ seruantes publicè nõ semper puniat.

TAMDEM si eos, qui indicta ieiunia religiosè obseruant, cum eis conferas, qui non ieiunant vel malè ieiunant, concedi potest non ita multos esse, qui rectè legíque conuenienter ieiunent. Veruntamen si ritè ieiunantes secundùm se absolutè consideres, multa adhuc hominum millia comperies, qui ieiuniorum legem probè seruant, sed & illi ipsi quoque, qui non plenè obseruant (nam syncerè Catholici aliquam semper illorum partem tuentur) intelligunt perperam & contra legem se agere, optarentque nullum ieiunium indictum esse: quæ omnia arguunt, prauam non ieiunantium vel malè ieiunantium consuetudinem ieiunij legem non sustulisse. Quod si qui inter Ecclesiæ proceres, aut monachos inueniuntur, qui non ieiunant vel malè ieiunant, illi nullam nobis helluandi vel non ieiunandi potestatem faciunt; nouimus enim scriptum esse: *Omnia, quæcunque dixerint vobis, facite: secundùm opera autem illorum nolite facere*. Tametsi falsò quoq; assertum sit, Episcopos vel Monachos communia Ecclesiæ ieiunia instituisse; non enim illi ea instituerunt, sed Apostoli, proximíque eorundem successores.

Multa mortalium millia ieiunia ab Ecclesia indicta probè adhuc obseruant.

Matth. 23.

ARGVMENTVM OCTAVVM.

QVOD autem ieiuniorum lex tempori & loco vniuersè non conueniat, id ex iis, quæ proximè contra hanc legem attulerunt, colligi posse contendunt; aiunt enim: Quod cum natura pugnat, & à communi mortalium consuetudine dissidet, quomodo illud cum tempore, aut loco consentiet? Rursum (& eôdem ferè spectat) si luxus & gula vbique hoc tempore principatum obtinent, vbi, quæso, ieiunium & abstinentia sedem inueniet? Denique negari non potest, quin multis locis ea desint, quibus Quadragesimæ onus tolerari queat; aut certè tã carè hoc tempore ea passim æstimari, vt mediocris fortunæ homines parare non valeant, nedum pauperes.

SOLVTIO ARGVMENTI VIII.

IAM antè ostensum est dilucidè, ieiuniorum legem cum hominum natura bene instituta, aut cum piorum consuetudine non pugnare. Pugnat autem cum Epicuræorum vsu & refractariorum more; verùm illiusmodi hominum consuetudo nequaquam earum est virium, vt legem aliquam firmare, aut infirmare valeat. Quòd si nihil hactenus de ieiunio cautum extaret, nullæq; leges aut consuetudines abstinentiã à nobis exigerent, profectò nostra hęc tempora & loca, in quibus perpetua bacchanalia obtinẽt, nouas ieiuniorum & abstinentiarum leges efflagitarent; nõ tantùm ob animarum salutem, quæ assidua illa helluatione & perpotatione vehementer offenditur; verùm etiam propter corporum sanitatem, quæ maxima incommoda hinc hauriunt.

Nante hac nulla ieiunia fuissent indicta ob animarũ & corporum salutẽ, hoc tempore indici deberent.

CAETERVM quando in eiusdem argumenti patrocinium allegatur, multis locis deesse oleum, pisces, cæteráq; ad obseruandum ieiunium necessaria, nihil, quod alicuius momenti sit, allegatur. Nam passim vel hæc ipsa, vel alia his cognata comperiuntur, quæ etsi specie vel toto quoque genere ab illis dissident, Ecclesia tamen in aliorum locum clementer indulget. Sed & nusquam quoque desunt olera, legumina aliáque id genus complura, quibus solis ferè ieiuniorum tempore vtebatur primitiua Ecclesia, & in hodiernum vsque diem vti feruntur ij omnes, qui ieiuniis dant operam in Armenia & Grecia. Quòd si pauperes manuum labore vitam

Vsus leguminũ frequens, in primitiua Ecclesia & Græcia ieiuniorũ tempore.

vitam tolerantes, vel alij quicunq; ad ieiunium necessaria parare non possunt, faciant quod possunt: Nō enim tenentur ad oppidò difficilia, nedum ad impossibilia: si qui, inquam, sunt, qui ieiunare & artem simul, quam ad alendam familiam tractare debent, tractare nequeunt, causa superiori indicata, ne ieiunēt; sed vel orent, vel aliud pium opus obeant. Verùm vsu interdum venire solet, his præsertim locis, vt desint, quę ad ieiunium sunt necessaria, nec desint tamen, quæ ad luxum & vanitatē fouendam sunt opportuna.

ARGVMENTVM NONVM CVM *eiusdem solutione.*

IEIVNIORVM legem nō esse manifestam ex vario ieiunantium & ieiuniorum ritu inferunt. Si enim, inquiunt, lex hæc esset plana, idem seruaretur vbiq; & semper. Verùm hæc collectio non est necessaria, neque ad infringendam ieiuniorum legem valida. Nam etsi in diuersis regnis vel prouinciis diuersus existere queat ieiunandi ritus, in eadem tamen diœcesi, vel certè in eadem ciuitate non existit diuersus sed vnus tòti populo communis. Quilibet autem, nisi DEVM, eosque, quibus cum versatur, offendere velit, eum ieiunandi modum seruare debet, quem obseruant viri sanctiores loci, in quo ætatem agit, etiamsi hic modus cum primo ieiuniorum instituto, vel cum communi Ecclesiæ consuetudine per omnia non conueniat.

In ieiuniorum obseruatione quilibet se accōmodare debet laudatæ consuetudini loci, in quo versatur.

ARGVMENTVM DECIMVM *& postremum.*

IEIVNIORVM porrò legem ob priuatum commodum primò conscriptam apertè dicere nō audent, tametsi qui impudentiores apud illos sunt, hoc quoq; interdum effutiant, interim legis huius exactores, hoc est, modernos Pontifices & Episcopos in ius vocāt; asserunt enim vna hac lege auctoritatē suā arroganter venditare, commodáq; non vulgaria ex legis huius relaxatione aucupari.

SOLVTIO DECIMI ET POstremi *Argumenti.*

PIAM, sanctam, & rectam eorum fuisse mentem & voluntatem, qui primò ieiunia indixerunt, nec aliud quicquam spectasse,

quàm DEI gloriam & animarum ſalutem apud eos, qui de Eccleſia Catholica rectè ſentiunt, extra controuerſiam eſt. Nam ſi hi Apoſtoli vniuersè non fuêre (nam præcipuorum auctores extitiſſe ex illorum Canonibus & Conſtitutionibus oſtenſum eſt iam antè) fuerunt certè proximi eorundem ſucceſſores. Hos autem omnes nòn ſolùm illuſtris ſanctimonia commendat, ſed immortalis quoq; martyrij palma condecorat. Quare piaculum eſt non leue ea de ſanctiſsimis viris euomere, quæ ne de vulgari quidem homine citra temeritatem ſuſpicari liceret; puta lucri aut auctoritatis oſtentandæ gratia hanc vel aliam quamcunque legem tuliſſe. Quomodo credi queat eos ſæculi huius gratiam quæſiuiſſe, aut pecuniæ lucra conſectatos eſſe, qui vt CHRISTVM lucri facerent, omnia quiſquiliarum & ſtercorum loco habebant? vnumq; hoc grande lucrum ducebant, ſi quid pro CHRISTI nomine perferendum ſe obtuliſſet?

Quales fuerint, & quis eorũ ſcopus extiterit, qui primò ieiunia indixerunt.

QVOD ſi qui Eccleſiarum rectores, qui hos poſtea conſecuti ſunt, quoſdam quos iuſtam cauſam habere iudicabant, ab hac lege abſoluerunt, vel etiam nunc abſoluunt, & ieiunij loco aliquam pecuniarũ eleemoſynam iniungunt, aut aliquando iniunxerunt, non ob id ſtatim veluti qui ſua poteſtate abutantur, condemnandi ſunt. Eſt enim in Eccleſia receptiſsimum iis, qui ieiuniorum onus ferre non poſſunt, ieiuniorum vice eleemoſynam, aut preces, aut aliquod aliud pium & religioſum opus indicere. Verùm ſi qui eſſent, qui eiuſmodi diſpenſationibus, non DEI gloriam, aut animarum ſalutem, ſed proprium quæſtum & gloriam quærerent, illos vtique nemo bonus probaret, nec vllo quoque iuſto titulo probare poſſet, quin omnes potiùs inter diſſipatores bonarumque legum euerſores eiuſmodi homines cenſerent.

QVAE hactenus explicata ſunt, ea perſpicuè oſtendunt, legẽ de ieiunio latam, iuſtam, honeſtam, vtilem, cæterisque omnibus bonæ legis conditionibus ornatam eſſe, atque ideò præuaricantium multitudine non obſtante, robur ſuum inconcuſſum etiamnum obtinere; Omnesque adeò, qui citra iuſtam cauſam illam præuaricantur, certam noxam pœnæque reatum ſibi aſciſcere. Supereſt vt nonnulla de iis in diſputationem proponamus, qui ex hac ieiuniorum lege eximuntur.

Quo

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quo docetur non omnes, qui Ecclesiastica ieiunia soluunt, prævaricatæ legis reatu constringi, sed eos solùm, qui citra legitimam causam illud faciunt.

IEIVNIVM ab Ecclesia indictum, citra iustam causam violare peccatum esse, ostensum est hactenus. Qua autem ratione violetur istuc ex iis, quæ de ieiuniorum partibus suprà disputata sunt, negotio nō admodum magno colligi quiuerit. Conflatur enim totum ex suis partibus, neque potest vllum omnino totum perfectum existere, quod ex suis partibus simul sumptis integrè constitutum non sit; verùm quò ea de re cōstet planiùs, antequam, quod capitis huius proprium est, exponam, pauca de dissolutionis huius viis & modis præmittam.

Totum conflatur ex suis partibus simul sumptis.

IGITVR indictum ieiunium trifariam solui contingit; vno modo, sola voluntate, altero modo, solo opere, tertio & postremo, opere & voluntate simul. Sola voluntate soluunt ieiunium, qui ea omnia, quæ ad intrinsecam ieiunij rationem faciunt, accuratè seruant, nihil eorum omnium seruaturi, si secus facere possent. Hoc modo ieiunant qui & sæpiùs & citiùs & lautiùs quoque comederent, si ad manum haberent; sed quia quod animus malè appetit, facultas non suggerit, vel inuiti ieiunant.

Contingit ieiunium trifariam solui, opere videlicet & voluntate, & vtroque simul.

CONTRA verò solo opere non etiam voluntate illud infringunt, qui vel crebriùs interdiu, vel maturiùs, quàm ieiuniorum fert ratio, manducant, vel ab escis interdictis nō abstinent, nihil horum facturi si ieiunium indictum esse animaduerterent. Quorum proinde noxa pro ignorationis ratione, vel nulla est vel non admodum magna est. Opere tandem & voluntate simul illud violant, qui scientes volentesque vel omnia, vel aliqua ex iis non seruant, quæ Ecclesiasticum ieiunium intrinsecè absoluunt. Cuiusmodi sunt, qui vel sæpiùs, vel maturiùs, quàm par est, cibum sumunt, vel escas pro temporis ratione inhibitas citra necessitatem & facultatem vorant.

Cuiusmodi sint qui ieiunium opere & voluntate simul violāt.

PORRO autem vt illi, qui nulla aut mala voluntate, hoc est, non propter DEVM, sed propter auaritiam vel inanem gloriam, aut inappetentiam, aut aliam eiusmodi causam, quæ ieiunio intrinseca sunt, integrè seruantes, aut temperantię legem inter cœnandum vel prandendum excedentes Ecclesiæ ieiunium propriè non soluunt; (Quandoquidem cibi quantitas, & legis scopus sub Ecclesiæ præceptum non cadunt) ita illi quoque in legem hanc non committũt, qui siti compulsi ante vel post cœnam vel prandium vini aut ceruisiæ haustum bibunt. Nec illi rursum, qui manè aut vesperi, vel intra prandium & cœnam aliquid per modum medicamenti accipiunt. Nec illi item, qui pro muneris ratione dominorum esculenta, aut poculenta prægustãt; aut prandium inchoatum, neque tamen propter ministerium aliquod, aut aliquod legitimum impedimentum absolutum mensa repetita absoluũt. Nec illi tandem, qui seriis negotiis præpediti, prandio in noctem reiecto, modicum quid ante vel circa meridiem, quò diem durare valeant, sumunt: Siquidem nulli ex his omnibus vnam formalem corporis refectionem excedunt, atque ita ieiunij legem non infringunt.

Legis finis sub præceptum nõ cadit.

Modicum quid quocunq; tempore sumptum nõ infringit ieiunium.

SED nec illi quoque ieiunium soluere putandi sunt, qui pro loci consuetudine modicum quid vesperi accipiunt; siue id crudi vel cocti fructus sint, siue frustum panis, siue aliud quodcunque eiusmodi. Nam si in aliis Ecclesiæ præceptis patriæ consuetudini conformare se licet, cur non etiam in ieiuniorum obseruatione? Modò tamen loci consuetudo eiusmodi non sit, quæ cum legis vel præcepti ratione apertè pugnet. Quandoquidem ad hunc locum quod spectat, nulla consuetudine à violatæ legis reatu excusare se possunt, qui Ecclesiæ indulgentiam in ieiunij fraudem trahunt: Cuiusmodi sunt, qui extra cœnam vel prandium concessis ea frequentia vel quantitate vtuntur, vt ligurire rectiùs eos dixeris, quàm religiosè ieiunare. Satis enim compertum est, non solùm carnibus, piscibus, ouis, &c. corpus refici, esuriemque sedari posse, verùm atro quoque pane, terræque fructibus, & aliis id genus escis, si copiosè ingeras.

Patriæ consuetudini conformare se licet, modò eiusmodi consuetudo legi non sit contraria.

ET quemadmodum ieiunij meritum perdunt, & legem eiusdem soluunt, qui ea quæ ante vel post cœnam vel prandium per modum

modum medicamenti humanæ infirmitati indulgentur, in ieiunij fraudem transferunt; ita illi quoque vtrumque incommodum incurrunt, qui ſtatam refectionis horam citra cauſam inſigniter anteuertunt: Secus ſi cauſa non leui impulſi hoc faciunt. Nam ne iter facturus comitum commoditate careas; aut nequam rerum, ſi tardiùs prandeas, iacturam facias, aut ne officium, quod tibi obeundũ incumbit, negligas; aut ne aliud quodcunque incommodum feras, prandium antecapere licet. Quandoquidem ſi ob hæc aliaque his ſimilia ieiunium interdum ſoluere licet, quantò magis cœnæ vel prandij tempus anteuertere? Interim non eorum par eſt ratio, qui in ſeram noctem inediam prorogant, & eorum, qui horam ieiunio ſoluendo præfinitam inſigniter antecapiunt. Nam ne citra cauſam multùm anticipes, id, vt ſuprà obiter monuimus, lex iubet, ne autem prandium in noctem differas, id non vetat. Imò verò quò diutius cœna differtur, eò meliùs ieiunatur: modò tamen iſtud non fiat ex aliqua Iudaica, vel Mahumetica ſuperſtitione, ſed mortificationis & pietatis ſtudio.

Licet tẽpus cœnæ vel prandij anteuertere, ſi iuſta cauſa id exigit.

Qvi imprudentes ieiuniorum tempore manè comedunt, non ob id ſtatim ab illius diei ieiunio liberi pronunciandi ſunt; nam anticipatione illa non obſtante, obligantur reliquam diei partem, quantum per vires & occupationes licet, ieiunando producere, Eccleſiæque præcepto ſatisfacere. Quare ſi poſtea quaſi violato iam ieiunio denuo prandent vel cœnant, peccant. Verùm ſi anticipatio illa ſcientibus vel craſsè ignorantibus acciderat, non erit aliquod operæprecium vel illo ipſo, vel alio die ieiunare: Siquidem peccatum eſt iam plenè conſummatum, nec fieri poteſt, vt iam perfectum non ſit. Quemadmodum ille quoque qui vnam vel plures ex horis Canonicis recitare omiſit, non tenetur illas poſtera luce repetere: Nam vel ſtudio omiſit, & citra cauſam: & ſic iam tum omiſsionis peccatum incurrit: Vel ex inculpata obliuione, aut graui aliqua occupatione, atque ita multò minùs redintegrare obligatur: Quandoquidem non tenebatur abſolutè orare: vel ieiunare (par enim vtriuſque eſt ratio) ſed ea tantùm lege, ſi recordaretur, vel commodè poſſet.

Qui prudentes manè comedũt, ſiue poſtea totã diẽ ieiunio producant, ſiue denuò cœnent, vel prandeant, ieiunium ſimpliciter ſoluunt.

Ieiunium vno die omiſſum, altero die vt compenſetur, nullũ eſt operæpretium.

De cibo-

De ciborum delectu nihil est quod hoc loco addam. Nam quæ ad eam partem attinent, ea copiosè iam antè expositasunt: solum monuerim non idem esse prorsus, solutum esse à ieiuniorum lege & à ciborum discrimine. Quamuis enim communiter à ieiunij lege absoluti haberi soleant, quibus ob causam carnium vsus vel gemina corporis refectio indulgetur, non contra tamen quibus ob causam ieiunium relaxatur, iisdem quoque carnium vel lacticiniorum vsus permittitur. Neque rursum quibus lacticiniorum vsus indulgetur, iisdem quoque ieiuniorum vinculum relaxatur: siquidem indultum illud ieiuniorum difficultatem, si qua ea est, non auget, sed eleuat.

A ieiunio absoluti, non semper absoluitur à ciborum delectu & vice versa.

Caetervm causæ ieiuniorum vinculum in totum vel in partem relaxantes sunt permultæ, prout ea quæ per accidens impediunt vel obsunt, nullo ferè certo numero contineri solent. Compendio tamen omnes ad tria vel quatuor capita reduci possunt, nimirum ad impotētiam, necessitatem, pietatem, & iustam legis relaxationem, cui adiungere quoque licet legitimam legis interpretationem. Habent autem duo hæc postrema nō semper locum, sed tùm demum cum de tribus, vel de aliqua ex tribus primariis causis dubium aliquod occurrit. Nam cùm de impotentia, vel necessitate, vel pietate euidenter constat, nulla opus est dispensatione, aut interpretatione.

Causę ieiunium in totum vel in partem relaxantes ad tria primaria capita referuntur.

Impotentia à ieiunio excusat pueros & iuuenes infra vigesimum primum annum constitutos, sed non simpliciter.

Impotentia à ieiuniorum lege absoluit pueros & adolescentes ad iustum corporis robur & incrementum nondum perductos, quales generatim haberi solent, qui infra vigesimum primum ætatis annum etiamnum degunt. At verò licet Ecclesia ante id tempus ad ordinaria ieiunia absolutè non compellat, lex tamen naturæ rectæque rationis magisterium, non omnes infra vigesimum primum annum cōstitutos, ab omni ieiuniorum onere eximit: Siquidem multi ea ætate minores ob succi sanguinisq; copiam, interniq́ue caloris efferuescentiam, multis sæpe vitiis & flagitiis, pro quibus flendum & satisfaciendum est, inuoluuntur, taliq́ue interdum dæmonio occupati tenentur, quod absque ieiunij & orationis flagello non pellitur. Et vt nihil horum vrgeret, vrget tamen interdum tanta Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitas, vt operæprecium videatur non modò robustiores ephebos, verum

rùm teneros quoque pueros, imò ipsa etiam iumenta & pecudes ad ieiunium compellere. Nam & iumentorũ quoq; & infantium ieiunia ad diuinam iram placandam vtiliter nonnunquam adhibita leguntur. Ionæ 3.

QVAMOBREM licet fortè necessarium non sit, eos, qui primum supra vigesimum ætatis annum nondum absoluerũt, compellere, vt omnia Ecclesiæ ieiunia obseruent strictè, attamen quò durioribus Christianæ religionis legibus paulatim assuefiãt: Tum quò præcipites illos ad libidinem & carnis illecebras impetus fręno hoc instructi faciliùs coërceant, & Deo nihilominus pro contractis debitis satisfaciant, & contra grauiores tandem lapsus sese cõmuniant, expedit omnino, illos, qui decimumquartũ, vel quintum, vel sextum annũ excesserunt, inducere, vt ieiunia extra Quadragesimam occurrentia cum cæteris fidelibus communia habeant, ipsam verò Quadragesimam in partem obseruẽt, semel nimirum aut iterum vel alternis diebus singulis septimanis, per totam Quadragesimam ieiunio operam dantes. Deberent hi autem eò ad plura & grauiora semper ieiunia aliaq; onera subeunda induci, quò ad iustum incrementum accederent propiùs. Nec est vt hinc magnum aliquod roboris detrimentũ metuant: Nam si post absolutũ decimumquartum annum permulti spõte & inoffensa valetudine vacãt negotiis & rebus, quæ corporis vires multò magis exhauriunt, quàm quæcunq; ieiunia; poterunt profectò citra vllum corporis incõmodum, aut virium præiudicium semel atq; iterum intra hebdomadam ventri bellum indicere.

Qualia ieiunia sint præsinienda pueris cæterisq; ad iustum corporis incremẽtum nondũ adductis.

EADEM ætatis imbecillitas excusat etiam senes, licet non omnes, sed eos solùm, qui citra virium detrimentum ampliùs ieiunare non possunt. Cæterùm quænam ætas veluti iam emerita à ieiunij vinculo absoluat, id certò definiri commodè vix potest. Nam pro varia corporum constitutione, exhaustorumque laborum quantitate, & morborum in primæua ætate exantlatorum grauitate, alij trigesimo ætatis anno senescunt, hoc est, viribus destitui incipiunt: Alij quadragesimo, alij quinquagesimo, sexagesimo plerique omnes. Quare sexagenarij, nisi compertum sit eius esse roboris, vt citra valetudinis offensionem ieiunium ferre valeant, ieiunare non tenentur. Nam cùm de grandi ætate certò

Senes excusantur à ieiunio, sed non omnes.

Sexagenarij plerique omnes à ieiunij lege absolui possunt.

constet,& de corporis robore res ambigua exiſtat,non eſt hîc exſpectandus ampliorum virium acceſſus(præſertim cùm in ea ætate virium detrimenta egerrimè inſtaurari ſoleant) ſed præſens corporis imbecillitas ſalubri frequentiq́ue alimento eſt fouenda & confirmanda. Si qui tamen ſexagenarij ſunt, qui ſe communi lege teneri putant, aut quid commodè præſtare hîc queant,dubitant, illi peritos conſulant, illorumq́ue conſilio acquieſcant.

Mulieres vterũ geſtantes vel infantes lactantes generatim à ieiunio liberæ ſunt, & quare.

Hoc ipſo quoque titulo à ieiunij lege eximi ſolent,mulieres vterum geſtãtes,aut fœtum adhuc tenerum lactantes. Nam cùm eiuſmodi fœminæ præter ſe ipſas infantem quoque, quem gremio vel vtero geſtant, nutrire habeant, vnaq́ue vice tantum alimenti ſumere ſumptumq́; commodè digerere nõ valeant,quantum vtriq; ſat ſit, non debent ad ſtrictam ieiuniorum rationem adigi,ſi qua tamẽ tanti roboris eſſet, vt citra incõmodum vtrumque prẹſtare poſſet,illa à communi ieiunantium lege abſolui non deberet. Siquidem immunitas illa à ieiunio non omnibus eſt cõceſſa,ſed tantùm impotentibus. At quia rariſsimæ ſunt,quę commodè id poſſunt,generali quadam ratione omnes inter eos cenſentur,qui ieiunium ferre non poſſunt.

Pauperes cæteroſq́ue oẽs, quos debilitas grãdior tenet à ieiunio excuſat impotentia.

Hæc eadem demum impotentia excuſat etiam pauperes, neceſſariis alimentis deſtitutos: ſiue illi oſtiatim panem vel ſtipem emendicent, ſiue domi lateant. Tum eos rurſum, qui propter ἀνορεξίαν, aut caloris depreſsionem, vel aliam quamcunque corporis infirmitatem,tantum ſimul cibi ſumere non poſſunt,vel non audent, quantum natura vt in diem integrum incolumis ſuſtentetur meritò efflagitat. Tum eos deniq; omnes,qui citra aliquod valetudinis detrimentum ieiunium non ferunt. Cuiuſmodi inter alios quàm plurimos ſunt, qui ob capitis vertiginem, aut ſtomachi debilitatem, niſi ſubinde reficiantur, in deliquium vel alios caſus facilè incidunt, quíue vacuo ſtomacho ſomnum capere, aut noctis frigora ſuperare non poſſunt: aut vnius diei inediam in plures dies ſentiunt. Hos itaque omnes impotentia pro ipſius impotentię ratione à toto,vel à parte ieiunij abſoluit.

Ad neceſsitatem porrò quod attinet,ea illos omnes ab indictis ieiuniis liberat,qui arduis & neceſſariis laboribus aſsiduò diſtinen-

tinentur. Arduos labores hoc loco vocamus, qui vnà cum ieiunio constare non possunt. Necessarios autem, sine quibus paterfamiliâs, aut alius quicunq; honestè se alere, aut statum tueri, aut filiam dotare, aut filio sumptus ad studia sufficere, aut debitum soluere commodè non potest, siue debitum illud reale fuerit, siue personale, siue etiam coniugale. Siquidem Ecclesia ieiunium instituens publicéue illud indicés, illius causa nequaquam vult creditorem defraudatum, familiámue aut statum neglectum, aut aliud quodcunque incommodum conflatum.

Qui dicendi sint labores arduí & necessarij.

Ecclesia propter ieiunium creditorem non vult defraudatum, aut statum neglectum.

QVAMOBREM si paterfamiliâs, aut Reipub. obsequiis mancipatus, aut publicus Theologiæ, aut iurisprudentiæ, aut medicinæ, aut philosophiæ, aut alterius cuiuscunque disciplinæ professor, aut concionator, aut confessarius, aut pastor, aut viator, aut agricola, aut cementarius, aut quicunque opifex alius, non potest simul id facere, quod ratione officij, status, vel ordinis facere obligatur, & ieiuniũ integrè obseruare, inculpatè eam ieiunij partem posthabere potest, quam munere suo saluo præstare non valet. Nam, vt modò dicebamus, ieiunia ea seueritate ab Ecclesia non sunt indicta, vt horum causa opera necessaria, iustóque titulo debita, aut omnino prætermitti, aut æquo negligẽtiùs tractari debeant.

Multi à ieiunij lege eximuntur propter arduos & necessarios labores.

VERVM qui laboribus vacant non admodum grauibus, vt tabelliones, pictores, sartores, &c. vel non admodum necessariis, vt mercatores, q̃ solius quæstus gratia, nulla rei familiaris necessitate compulsi terra marúe iter faciunt, aut alteri cuicunq; operi incumbunt: Tum cæteri omnes, qui rebus omnibus ad vitam & statum tuendum necessariis affluunt, non ea facilitate à ieiuniis absoluendi sunt, qua ij, quorum proximè meminimus. Nam etsi vtrobique par difficultas vrgeret, quæ tamen, vt exempla allata ostendunt, non vrget, vel non semper vrget, attamen non æqua vtrobique necessitas vrget. Nihilominus si qui ex horum grege non vulgaris lucri iacturam facturi crederentur, si post habito ieiunio iter non capesserent, aut operi cuipiam arduo impigrè non incumberent, à communi hac lege absolui possent. Quamuis enim istiusmodi lucra necessarium vsum non semper habeant, habere tamẽ possunt: possunt enim in necessarium aliorum vsum conuerti.

Laboribus parũ grauibus & necessariis intenti à ieiunij lege nõ absoluũtur, etiã si quandoq; absolui queant.

SED neq; probabile fit quoq;, Ecclesiam tanta seueritate indicta ieiunia vrgere, vt quenquam illorum causa graue aliquod damnum accipere velit, vel lucrum non contemnendum amittere. Coniecturam huius rei ex insigni illius clementia & sapientia, aliisque eiusdem legibus & sanctionibus facere licet. Constat enim, Christianum hominem non minùs obligari ad obseruationem festorum quàm ieiuniorum, sed certa quadam ratione magis: Siquidem multi ob priuatam vtilitatem vel publicam necessitatem excusantur ab obseruatione ieiuniorum, qui simili necessitate vrgente non absoluerentur à festorum obseruatione. Atqui festi religione non obstante, ne quis graue rerum detrimentum accipiat, aut insigne aliquod lucrum deperdat, festo die laborandi copiam facit; cur ergo, si quid eiusmodi vsu venerit, ieiunium soluere non permittat?

Facilius Ecclesia dispensat in precepto ieiunij, quàm festi.

QVOD si spes lucri diuites à ieiunij obseruatione nonnunquã excusat, multò sanè magis eos ab hac lege excusabit, qui simul ieiunare & ea præstare non possunt, quæ ad tuendam famam, vel familiæ incolumitatẽ sunt necessaria. Sunt eñ hæc illis multis partibus præstãtiora, & quæ defendãtur multò digniora. Porrò quod de nullius rei necessarię egentibus negotiatoribus paulò antè dictum & exceptum est, hoc ad similis sortis, hoc est, pro cõditionis suæ ratione diuites mercenarios trahi quoq; potest. Quare si cui operã suam locare visum fuerit, debent laborem ita moderari, vt opus diurnũ vnà cum ieiunio tolerare valeant, hoc est, debent minùs laborare & minùs rursũ diurnę mercedis loco exigere. Minùs aũt rectè facerent, qui citra causam, aut vrgentem necessitatem eiuscemodi conducere nollent, nisi ieiunium soluerent, opusque diurnum, quod extra ieiuniorum tempora præstare soliti erant, integrè explerent. Si tamen necessitas operis festinationem exigeret, neq; alios ad manũ haberent, possent conductores suo iure vti. Sed neq; mercenarios quoq; grauioris noxæ damnare auderem, si quod de laboris & mercedis ieiuniorũ tempore diminutione dicebatur, nõ accuratè semper obseruarent. Consultiùs tamen faciunt, qui Ecclesiæ statuto morem gerunt.

Cuiusmodi mercenarij à ieiunio eximantur, vel non eximantur.

PIETAS eos oẽs à ieiunio excusatos habet, qui simul ieiunare, & munus illud obire, vel opus prestare nõ possunt, quod ex se maioris momenti, maiorisue necessitatis vel vtilitatis est, quàm ipsum ieiu-

Quos pietas à ieiunio absoluat.

ieiunium. Quapropter si fidei mysteria rudibus tradere; grauiter afflictos in sua afflictione solari; lecto affixis necessaria administrare; mortuos sepelire, vel, vt sepeliantur, curare; carceri mancipatos redimere; fame, siti, frigore, vel alio incommodo pereuntibus vel periclitantibus opem ferre, peccatorum confessiones excipere, sacramenta administrare, cæteráque necessaria misericordiæ opera, vel charitatis officia exhibere, & ieiunia ab Ecclesia indicta vnà cum his seruare non valeo, teneor hæc illis posthabere; vt quæ tantum præstent ieiuniis, quantum charitas morali abstinentiæ.

Inter eos, qui pietatis opera obeunt, plurimum intercedit; quare pietatis titulus non omnes à ieiunio eximit.

VIDETVR hîc tamen inter eos secernendum, qui ex officio vel pacta mercede hæc opera præstant; & eos, qui solo charitatis igne inflammati absque vlla caducæ mercedis spe aut pactione in eiusmodi pietatis muniis sese occupant. Inter eos rursum, qui vrgente necessitate hæc obeunt, eò videlicet quòd nemo adsit, qui obeat, vel egentibus opem ferat; & eos, qui citra vllam necessitatem vltrò in isthæc sese ingerunt. Inter eos demum, qui hac occasione à ieiunij molestia callidè eximere sese satagunt; & eos qui vtrumque libenter præstarent, sed quia per vires id non possunt, alterum, quod secundùm se excellentius iudicant, Deóque acceptius fore sperant, citra fraudem suscipiunt. Nam vt de aliis nihil dicam, non fit probabile, iustum iudicem eos ab ordinariis ieiuniis liberos censere, qui citra vllam necessitatem in istiusmodi munera sese ingerunt; aut nihil aliud, quàm caducam mercedem, cùm alioqui non indigeant, aut molestiarum, quæ ieiunia adferunt, excusionem quærunt. Secus de iis censendum, qui ex instituto solius DEI honorem proximíque vtilitatem præ oculis habentes hæc præstãt, esto secundariò & quasi per accidens aliquod etiam emolumentum inde ad se redeat.

Triplex peregrinationis ratio, & peregrinantium genus, qui omnes à ieiunio absolui possunt, si simul ieiunare & ieri facere non queunt.

EX hac pietatis munia obeuntium distinctione planum fit quoque, non omnes promiscuè, qui religionis ergò peregrinantur, à ieiunij lege absolui, sed eos præcipuè, quos vera pietas, vel vrgens Ecclesiæ aut Reipub. necessitas ad hoc impellit. Inter hos autem primus locus iis meritò tribuitur, qui pro communi patrię, Ecclesię, vel Reipub. salute, pace, vel tranquillitate id faciunt, præsertim si per alium id commodè fieri non queat, vel certè non

æquè commodè. Neq; enim parum refert cùm ad impetrandum id, quod petitur, tum ad communem quoque populi pietatem & deuotionem excitandam, hícne an ille, hoc eſt, illuſtríſne publicáue perſona legatione ad diui cuiuſpiam monumentum fungatur, an vilis & abiecta. Proximus illis aſsignari poteſt, qui tanto animi feruore ad loca ſacra viſenda feruntur, vt probabiliſsimum ſit, longè maiora ſpiritus præſidia ex eiuſmodi peregrinatione hauſturos, quàm ex ieiunij obſeruatione: Siquidem non eſt mentis Eccleſiæ maius bonum, ſiue id publicum fuerit, ſiue priuatum, per minus bonum impedire. Poſtremus illis, qui peregrinationis voto obſtricti, extrinſeca quadam neceſsitate tempore, quo et lege ieiunatur, ad peregrinandum vrgentur; ſiue neceſsitas illa inde proueniat, quòd tempus, quo votum exoluere oportet, iam inſtat; ſiue ex eo, quòd commodus itineris comes ſeſe offerat; ſiue ex eo, quòd alia quæcunque commoditas ad hoc inuitet. Qui tamen vtrumque ſimul præſtare poſſunt, quacunq; tandem ratione poſsint, pietatis titulo à ieiunio nō excuſantur; multò verò minùs illi, qui vana quadam curioſitate eum laborem ſuſcipiunt.

Quæ cauſæ vxores ieiunare alio qui valentes à ieiunio abſoluant.

Hoc pietatis titulo excuſare licet vxores, quas duri mariti ieiunare non ſinunt. Nam etſi magnum bonum ſit ieiunium piè obſeruatum, maius tamen eſt pax domeſtica, animorumque conſenſio, & mutua coniugũ inter ſe beneuolentia. Quare ſi vtrumq; obtineri non poteſt, hoc illi anteferatur; maximè verò cùm non deſint cauſæ & modi, quibus violati ieiunij damnum ſarciatur. Et quod de ieiunio hoc loco dicitur, hoc, iis præſertim in locis, vbi hæreſes & ſchiſmata publicè obtinent, ad ciborũ delectum tranſferri poſſe videtur; modò tamen vis aliqua adſit, & omnis prorſus legis contemptus deſit. Nam ſi improbus & in hæreſi obſtinatus maritus in Catholicæ religionis contemptum orthodoxam vxorem, filium, vel filiam ad carnium eſum adigere vellet, fortiſsimo conſtantiſsimóque animo ſacrilegis eius conatibus obſiſtendum foret. Meminiſſe enim hîc oporteret illud CHRISTI: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo.* Item: *Qui plus amat patrem, aut matrem, aut filium &c. quàm me, non eſt me dignus.* Denique non illi ſolùm à ieiunio excuſantur, qui cauſam prætermittendi ieiunij verè piam vel iuſtam habent, ſed illi etiam qui bona

Matth. 10.

fide

fidepiam vel iuſtam habere ſe putāt; eſto fortaſsis fallantur. Nam qui ita affecti ſunt, illi per ſe contra præceptum non agunt: ſed tantùm per accidens.

PORRO autem ad huius relaxationem legis vel interpretationem quod ſpectat, ſi de impotentia, vel neceſsitate, vel pietatis ratione certò conſtat, nulla, vt nuperrimè dicebamus, opus erit, aut ſuperiorum gratia, aut eruditorum interpretatione: Quod ſi verò de vna aliqua ex tribus dubium occurrat, illos in conſilium adhibere conueniet, qui rei, de qua quæſtio eſt, ſint gnari; & morum innocentia vitęq; probitate commendati. Quòd ſi eiuſmodi non habentur, vel habiti propoſitum dubium nō reſoluunt, conueniatur ſuperior, ſi aditus ad illum patet, illiusque ſententiæ ſtetur; ſiue abſolutè ſuper lege diſpenſet, ſiue opus per legem imperatum in aliud permutet. Quod ſi ſuperioris ſententia exquiri nō poteſt, neque eruditi ſuper dubio conſulti abſolutè reſpondent, illud ſequare, in quod illi magis propendere, vel quod rationis lumen magis ſuadere videtur.

Quando opus diſpenſatione, aut legis interpretatione & quando non.

VIRI autem, quos infra ordinarium ſuper hac controuerſia conſulere licet, ſunt proprij parochi muneris ſui non ignari; Medici eruditi religioſoque pectore præditi; Theologi Theologorum appellatione non indigni, & alij deniq; omnes, in ejuſmodi rebus probè exercitati. Neque enim opus eſt in caſibus vſq; adeò frequenter occurrentibus ordinariū ſemper adire, etiamſi citra magnam difficultatem adiri & conſuli queat. In grauibus tamē & illum ipſum & ſummum quoq; Eccleſiæ Hierarcham conuenire oporteret. Verùm ſiue Papam, ſiue Epiſcopum diœceſanum, ſiue alium quemcunq; publica autoritate præditū gratiæ impetrandæ cauſa adeas, iuſtam diſpenſandi cauſam adferas neceſſarium eſt.

Qui ſint conſulendi, occurrente dubio de lege ieiunij.

Iuſta legis relaxatio iuſtam cauſam depoſcit.

FATENDVM eſt tamen, ſi Pont. Max. citra cauſam cum aliquo ſuper hac vel alia lege, quam ipſe cum cauſa in totum vel in partem abrogare poteſt, diſpenſaret, diſpenſationem ſuo robore non carituram. Nihilominus propter ſcandalum, quod eiuſmodi diſpēſatione infirmis fortè pareret; tum propter aliqualem quoq; iniuriam, quam temerè diſpenſando Apoſtolicis cōſtitutionibus irrogaret, minùs prudenter faceret, ſi id faceret. Ea propter licet ſummi pontifices in Apoſtolorum decretis, vniuerſaliumque

Pontifices in legum relaxatione ſobrios & cautos eſſe oportet.

Syno-

Synodorum sanctionibus, quæ ad fidem vel Sacramentorum integritatem, vel ad vniuersales Ecclesiæ traditiones, generalésue eiusdem ritus & consuetudines non pertinent, pro potestatis suæ plenitudine dispensare valeant; attamen absque vrgentibus causis in his dispensare communiter non solent.

Post pontificem maximum in ieiunio dispensare possunt locorum ordinarij, generales ordinum vicarij; imò singuli ferè Ecclesiarum, Collegiorum, vel monasteriorum rectores. Nam, vt proximè dicebamus, casus eiusmodi occurrũt frequentiùs, quàm vt omnes ad Papam vel Episcopum deferri queant. Cùm hæc ergo facultas in inferioris ordinis Prælatos conueniat, si quando à subditis interrogantur, sitne hæc vel illa causa satis idonea prandium anticipandi, vel cœnam sumendi, vel non ieiunandi, vel omnibus promiscuè vescendi, nõ debent respondere, hoc se illorum conscientiis relinquere, sed vel paternè dispensare, aut quid opus sit facto, disertè exponere, aut onus ieiunij, quod hoc ipso deprecari videntur, quòd consilium petunt, in aliud pium opus commutare.

Quomodo Prælati Episcopo inferiores in ieiunij relaxatione procedere debeãt cum suis subditis.

At videndum est tamen, & diligenter expendendum, quam adferant causam, qui dispensationem aut legis interpretationem, aut iniuncti operis in aliud opus permutationem petunt. Neque enim illi causam satis legitimam adferunt, qui maiores carnis stimulos se experiri exponunt, dum ieiunant quàm dum cœnant. Nec illi rursum, qui propter helluandi consuetudinem difficulter inediam se ferre conqueruntur. Nec illi tandem, qui illos, quibus cum viuunt, vel inter quos agunt, Ecclesiæ ieiunia nihil curare causantur. Siquidem nihil horum omnium per se adducit ad malum, aut eam adfert difficultatem, quam homo, si strenuè pugnare velit, expugnare non valeat. Adferunt hi tamen eiusmodi causam, propter quam, si aliæ quoque iustiores accederent, facilius cum ipsis dispensari possit.

Qui ieiunij relaxationem petũt, causas non quascunque, sed iustas adferant oportet.

Iam si gulæ ventríque dediti, aut improborum helluonum contubernio adiuncti, à ieiuniorum lege, si aliàs ieiunare valent, exempti non sunt, nec ea tantùm de causa iure eximi inde possunt, multò minùs illi eximi hinc debent, qui pro causa suam allegãt iustitiam vel perfectionem. Nam etsi istiusmodi verè id essent, quod

quod se esse profitentur (quod tamen verisimile non sit: quandoquidem viri perfecti & iusti suam iniustitiam & imperfectionem accusare solēt familiariùs, quàm suam iustitiam vel perfectionem venditare) adhuc D. Paulo, qui crebris ieiuniis & vigiliis corpus suum castigabat & in seruitutem redigebat, non sunt sanctiores; neque Angelis, qui in peccatum prolapsi sunt, firmiores. Nam si iustus septies cadit in die, non est quòd eiusmodi de constanti sua iustitia multa sibi polliceātur. Imò verò si iusti sunt, hoc ipso propter gratiam, quam præ cæteris ampliorem sortiti sunt, & aliorum ædificationem, legem perfectiùs seruare obligantur. Nam si iusti legem non seruant, quid expectandum est ab impiis & peccatoribus?

Nulla iustitia vel perfectio absoluit à lege ieiunij.

Sed nec illos quoque, qui verè iustam dispensationis causam adferunt, à toto statim ieiunio absoluere oportebit, sed ab ea tantùm parte, quam citra priuatum aut publicum aliorum detrimētum præstare nequeunt. Neque si à toto fortasis superior absoluat, totam mox gratiam admittere conueniet; sed hactenus tantùm, quatenus priuata vel publica vtilitas vel necessitas illud efflagitat. Ratio huius est manifesta: nam qui iusta necessitate compulsus à lege vel regula recedit, ille iustam excusationem habet, qui autem voluntariè & citra necessitatem id facit, apertè contra legem committit. Igitur qui ob causam iustam vel necessariam, quam habet vel habere se putat, plùs à lege vel regula declinat, quàm causa vel necessitas postulat, ille in illo ampliori, neque iustè neq; necessariò exorbitat, sed iniquè & voluntariè; & per consequens in eo ampliori peccat, vt qui in illo nullam iustam exorbitandi causam habeat. Peccat hic, inquam, si rem secundùm se spectes. An autem extrinsecè propter imprudentem dispensationem liberetur à peccato, id nos hoc loco in medio relinquimus; viderint, qui talibus dispensationibus sibi blandiuntur.

Qui ieiunij legē relaxant, nō debent totam relaxare, sed eam tantùm partem, quā supplex ferre nō potest.

Quamobrem si corporis infirmitas, aut capitis debilitas, aut laboris assiduitas, crebriorem sibi sumptionem exigit, nō tamen carnium aut ouorum vsum, non licebit eiusmodi ægris, aut inualidis, aut operariis carnibus vesci. Contrà verò si eiusmodi malo vel morbo teneris, qui peritorum medicorum iudicio carnium vel ouorum vsum efflagitat, non tamen crebram corporis refe-

Potest ciborum delectus relaxari absq; ieiunij relaxatione & viceuersa, si necessitas id postulat.

ctionem, licebit tibi carnibus vel ouis vesci, non tamen sæpius interdiu comedere: modò tamen, quantum corpori sustentando sat est, vna simul vice sumere, commodéq; digerere possis. Fateor tamé, qui eius constitutionis vel debilitatis sunt, vt citra carnium esum vitam tolerare omnino non queant, eos communi quadam ratione à ieiunij lege liberos cẽseri; posito nihilominus, in horum albo comperiri, qui cum carnibus ieiunij legem ferre possunt, absque illis autem non possunt, debent hi cum cæteris indicta ieiunia seruare & carnibus vesci.

Quilibet indicto ieiunio præstare debet, qd̃ potest, quodcunque tãdem illud sit, ab eo autem, quod nõ potest, remissionem impetrare.

Rvrsvm si quotidie per Quadragesimam ieiunare non vales; vales tamen alternis diebus, vel semel aut iterum intra septimanã, obligaris alternis diebus, vel semel aut iterum hebdomadatim id laboris subire. Pari modo si tẽpore vespertino, modico cibo sumpto, siue id panis sit & vinum, siue terrę vel arborum fructus, siue aliud quodcunque eiusmodi, ieiunium continuare potes; eo autem sustentaculo destitutus continuare non potes, debes vesperi aliquid sumere & continuare ieiunium. Sic si vsque ad meridiem inediam ferre potes, non tamen noctu dormire, aut calefieri, nisi cœnulam, hoc est aliquantum plus sumas, quàm perfecti ieiunij ratio permittit, licebit tibi vesperi cœnulam sumere, non tamen ante sextam vel nonam prandere. Idem de cæteris similibus casibus statuatur; sunt enim eiusmodi frequentissimi, neque possunt omnes commodè assignari.

Imprudentia quorundam de ieiuniorum solutione loquentiũ.

Constat hinc, cùm corporum tum animarum quoq; medicos cautos hîc esse debere: ne videlicet, vbi necessitas vnum tãtùm aut alterum cõcedi flagitat, ibi omnia indiscriminatim concedant. Debent enim id solum indulgere, quod infirmitas vel necessitas postulat, & non amplius. Aut ne, vbi vnum propter necessitatem indulserunt, ibi totum reliquum damnent, aut veluti inutile respuant. Comperiuntur enim inepti quidam, qui ex vno aut altero patrum dicto, quod non intelligunt, pronunciare audent; qui vnum Quadragesimæ diem non seruant, eos totius violatæ Quadragesimæ reos fieri; tum qui ita comparati sunt, vt ieiunare nequeant, nisi vesperi aliquantum plus quàm communiter consuetum est fieri, sumant, illos à totius Quadragenarij ieiunij vinculo liberos esse. Sed vtrumque inconsultè & perniciosè. Inconsultè

sultè quidem, quia contra rectę rationis dictamen, communemq; doctorum hominum sententiam. Perniciosè verò, quia ineptiis suis quandoque efficiunt, vt hi, qui nihil aut modicum omnino peccaturi erant, peccent sæpius & grauiùs. Patet ex his ergo, non omnes, qui ieiuniorum legem violant, vel non integrè seruant, noxæ semper affines fieri.

QVAE de ieiunio hoc capite & alibi exposuimus, ea planum faciunt, ieiuniorum legem multis hoc tempore partibus leuiorem, obseruatúq; faciliorem esse, quàm erat Apostolorum & martyrum, imò etiam atauorum & abauorum nostrorũ ætate. Olim, vt ex Basilio Magno, Bernardo & aliis Patribus suprà audiuimus, nulla ætas, nullus sexus, nulla hominum conditio à ieiuniorum lege eximebatur; nunc tam multi ab hac regula excipiuntur, vt vix minima Christianorum pars maneat reliqua. Olim potior totius anni pars ieiunio erat consecrata (nec enim veteres contenti erant ieiunio Quadragesimali, cæterisque per anni circulum occurrentibus; verùm, vt suprà demonstratum est, singulis septimanis ter ieiuniis operam dabant, nimirum sabbato, prosabbato, & feria quarta) nunc verò minima: Siquidem ieiunia illa singulis hebdomadibus recurrentia & alia pręterea complura, penitus in desuetudinem abierunt, hoc solo excepto, quòd sabbato & prosabbato & quibusdam locis feria quarta à carnibus adhuc abstinetur.

Ieiunij hac ætate multis partib⁹ facilius, quàm erat olim.

OLIM ieiunium producebatur vsque ad vesperam vel nonam diei horam; nunc plerisque in locis horam vnam ante meridiem cœnatur. Olim, quòd ieiunia tardè admodum soluerentur, noctu nihil quicquam sumebatur; nunc vesperi passim aliquid, & alicubi satis multum sumitur. Olim ieiuniorum diebus non modò à carnibus, ouis, caseo, cæterisque lacticiniis abstinebatur, verùm etiam à vino & pinguioribus piscibus; nunc nullum pisculentorum, aut poculentorum genus excipitur, & multis præterea locis, ouorum & lacticiniorum vsus permittitur. Olim adesse debebant non vulgares causæ, vt cum aliquo super ieiunio indicto dispensaretur, neque tunc quoque ieiunium tam relaxabatur, quàm in aliud pium opus permutabatur; nunc leui sæpe de causa ieiunij vinculum relaxatur;

Quantum intercedat inter modernum & veterum ieiunij, breuis notatio.

neque frequenter admodum ieiunij loco aliud opus iniungitur.

De conſ. d. 1. ſolent. Olim tandem eleemoſynę, preces, aliáque eiuſmodi pietatis officia ieiunio adiungebantur, ieiuniumque illis comitibus deſtitutum pro nihilo ferè ducebatur. Nunc iſtæ appendices ieiuniorúmue comites æquè atque ieiunium ipſum apud pleroſque plùs ſatis frigent.

CVM tantum ergo à priſca illa ſeueritate & perfectione degeneratum ſit hoc tempore, vt ieiunium noſtrum cum priſcorum ieiunio collatum, moralis abſtinentiæ rationem quandoque vix aſſequatur, non modò moroſos ingratosque ſeſe oſtendunt, qui de ieiuniorum onere queritantur & murmurant, ſed graui quoq; noxa ſeſe cõtaminant, ſi citra cauſam ea violant, vel minùs quàm par eſt religioſè obſeruant. Verùm de ieiunio eiuſdemque vi, partibus, & periſtaſibus ſatis; proximum eſt, vt de oratione nonnulla quoque in medium adferamus.

LAVS DEO.

DE

DE ORATIONE

LIBER TERTIVS.

De deuotione, eiusdemq́, causis & effectis.

CAPVT PRIMVM.

INTER virtutes iustitiæ annexas primatum obtinet religio. Appellamus autem religionem, virtutem iustitiæ adiunctam non absolutè iustitiam; quia, licet ad alterum spectet, & debitum reddat, (quorum vtrumque cum iustitia commune habet) non reddit tamen, quantum debet, sed quantum potest. Etenim si parentibus, aut præceptoribus, vel aliâs præclarè de nobis meritis par reddere non possumus, multò minùs DEO, cui totum, quod habemus & possumus, debemus insolidum, par reddere poterimus. Ad perfectam autem iustitiæ rationem pertinet, vt id totum integrè dependatur, quod debetur.

Religio virtus iustitiæ annexa.

DEO nemo par reddere valet.

RELIGIONI autem duplices actus assignari solent: alteri interni, alteri externi. De externis, quòd latè pateant, & ad nostrum institutum non ita multùm faciant, in præsentiarum nihil; de internis ea solùm, quæ ad id, quod explicandum hoc loco suscepimus, sunt omnino necessaria, vel certè admodum opportuna. Inter internos religionis actus primas tenent deuotio & oratio. Deuotio aliud ferè nihil est, quàm vehemens quædam animi ad ea, quæ pertinent ad DEI cultum, debitumque eius honorem & reuerentiam applicatio; vel, est talis quædam voluntatis affectio, qua homo se suaque omnia promptè alacriterque diuino mancipat obsequio. Breuiter, est voluntas promptè famulandi DEO.

Duplices religionis actus.

PRIMARIAE deuotionis causæ sunt duæ: Interna vna, externa altera. Externa, quæ principatum obtinet, est DEVS. Hic vnus enim est, qui quoscunque visum fuerit temporis puncto deuotos, sibique addictos efficit. Interna complectitur ea omnia, quæ serio animo versa pertractataq́; nostram erga DEVM fiduciam & charitatem excitare nata sunt. Nam cùm deuotio sit peculiaris

Deuotionis causæ sunt duæ, interna vna, externa altera.

quidam voluntatis actus, omnisque eiusmodi oriatur ex aliqua intelligentia (est enim voluntatis obiectum, bonum intellectum) non potest ea animi alacritas & promptitudo, qua voluntas in res diuinas fertur, ex aliqua intellectus consideratione non proficisci.

MEDITATIONIS autem deuotionem ciere & excitare idonea materia patet latissimè. Verùm ad nostrum institutum quod spectat, tota ad duo capita reduci potest: nempe ad attentã diuinę erga nos clementiæ & benignitatis, summęq; eiusdem excellentiæ considerationem, & frequentem nostræ malitiæ miserięque contemplationẽ. Etenim cùm homo beneficia, quæ à Deo Opt. Max. iam antè accepit, subindeq; accipit; & mala itidẽ tam pœnæ q̃ culpę, quę per eiusdem misericordiam euasit & identidẽ euadit, diligenter considerat, fieri vix potest, vt ad redamandum tantum benefactorem, tanq̃ benignum parentem nõ inardescat; notum est enim illud regij vatis: *In meditatione mea exardescit ignis.* Amor aũt suaptè natura acuit & excitat deuotionem, sicut deuotio vicissim fouet & auget dilectionem. Rursum cùm suam erga Deum ingratitudinem, miseriam, imbecillitatẽ, frequentes lapsus, vanitatem, sexcentáq; eiusmodi alia crebrò serióq; mẽte pertractat, fieri plánè nequit, vt sibi non displiceat, totáq; mox fiducia in DEVM reiecta, eiusdem opem & misericordiam submissè non imploret. *Ad Dominum*, clamat Propheta, *cùm tribularer, clamaui.*

Vniuersa meditatiõis materia, quæ latè alioqui patet, ad duo capita reduci potest.

Psalm. 38.

Amor acuit & excitat deuotionem.

Psal. 119.

QVI se ergo ad deuotionẽ excitare desiderat (vt vnusquilibet Christianorum meritò desiderare debet) is primũ omnium toto pectore totáq; animi submissione Deum Opt. Max. vt pro sua immensa clementia & benignitate deuotionis gratiam impertiri dignetur, roget & obsecret: Mox grata animi memoria tam priuata quàm communia eiusdem beneficia recolat. Perpendat, inquam, secum, quòd ad Dei imaginẽ sit conditus; quòd Filij Dei morte & sanguine à dæmone, inferno, & morte assertus; quòd baptismi Sacramẽto initiatus & expiatus; quòd CHRISTI carne & sanguine toties pastus; quòd tanta patientia ad pœnitentiam expectatus; quòd tot mediis modisq; ad meliorẽ vitæ frugem excitatus; quòd ex tot animę corporisq; periculis liberatus; quòd occæcato & curioso hoc sęculo ab errore & hęresi clementer cõseruatus. Postremò ob oculos ponat defectus, quibus scatet; cogitet & doleat, se tantis

Quid facere debeat, qui deuotionis gratiam consequi desiderat.

tantis Dei beneficiis tam frequenter tamq; impudenter abusum. Expendat & damnet mentis suæ cæcitatem, voluntatis prauitatẽ, incensam carnis libidinem, cordis mutabilitatem, fœdam virtutum omnium orbitatem, innatam in bene agendo ignauiam, in malè operando alacritatem, frequentem sensuum mentisq; euagationem, cęterasq; vitę miserias & morum labes; certus, nisi id fecerit, & quidem crebrò & diligenter fecerit, haud temerè ad deuotionis apicem se peruenturum. Quandoquidem, vt effectus sine causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione, ordinaria via non obuenit; ita deuotio quoque vel religio in actu absque meditatione, crebráque earum rerum, quas nunc obiter & ex parte tantùm attigimus, pertractatione non facilè alicui obtingit.

Deuotio exigit meditationem.

DICIS; Si hinc diuinæ potentiæ, sapientiæ, clementiæ, maiestatis &c. inde humanę miseriæ, infirmitatis, malitię, ingratitudinis &c. consideratio, deuotionis causa existit, ergo quò quisque fuerit acutior rebusque sublimibus vel subtilibus contẽplandis aptior, eò erit deuotior; At certa rerum experiẽtia oppositum ostendit. Videmus enim homines rudes, simplices & indoctos magnis sæpe Theologis & Philosophis multis partibus deuotiores esse. Sic quoq; magis plerunq; ad sui cõtemptum incensumq; Dei amorẽ inflammantur, qui incarnati Verbi œconomiam, hoc est, Christi Dñi nostri natiuitatem, vitam, crucem, mortem, resurrectionem, damnatorum cruciatus, eorundemq; miseriam, mortis, & quæ huic coniungitur, iudicij qualitatem, aliáque eiusmodi corporalia attentè considerant, quàm qui Trinitatis mysteria vel naturæ secreta anxiè indagant.

NAE ita res habet, interim ea quorundã perspicacium vel eruditorũ tepiditas non prouenit ex indolis bonitate, aut præstantis eruditionis vbertate: neq; rursum nonnullorũ simpliciũ deuotio ex naturali eorundẽ tarditate per se oritur; sed vtrumq; ex bono vel malo vtriusque qualitatis vsu proficiscitur. Etenim excellenti doctrina vel ingenio præditi, eruditionis suę excellentiam, ingeniúque perspicacitatem magnificientes, magisque hęc ipsa interdum quàm diuinam benignitatem admirantes, viribus suis multum tribuunt, de DEO verò rebusq; diuinis parum, aut certè multò quàm par est, minùs solliciti sunt. Cùm ergo diuinis donis ad tumo-

Vnde prouenial quòd rudes, debiles, obscuri & infortunati magis plerunq; sint deuoti, quã ingenioſi, validi, illustres, fortunati &c.

tumorem & fastum abutantur, suamque quàm DEI gloriam studiosiùs nonnunquam aucupentur, iusto DEI iudicio in sua miseria & tepiditate deseruntur; & quod grauius est, quandoq; tanquam putidi & insanabiles omnino abiiciuntur. At verò rudes & simplices suæ simplicitatis & infirmitatis non ignari, DEO eiusdemque prouidentiæ & gubernationi se totos submittunt atque permittunt; Et quia eiusmodi homines nullum obstaculum diuino influxui ponunt, fit, vt DEVS, qui mites & humiles magni vbique facit, liberalissimè se illis communicet.

Cur plura vota edantur in aduersitate quàm prosperitate.

EADEM est causa, cur fœminæ pleræque omnes magis sint deuotæ quàm viri, eoque deuotiores, quò se fragiliores, hebetiores, pluribusque naturæ donis destitutas intelligunt. Pauperes rursum quàm diuites, debiles quàm sani validoq; corpore præditi, obscuri quàm illustres, aduersæ fortunæ fluctibus tandem iactati quàm fortunati, adeoque, vt multò plura vota in ægritudine & aduersitate quàm in sanitate & prosperitate edantur. Interim sanitas, vel alia quæcunque fœlicitas per se non sunt causæ illius frigiditatis & indeuotionis. Nam si eruditi, robusti, fortunati &c. agnoscerent, se eiusmodi naturæ vel fortunæ beneficia ex se non habere, sed gratis à DEO accepisse, iuxta illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* quodque strictam de omnibus rationem olim sint reddituri, & quòd, nisi DEVS pro sua bonitate illa conseruaret, temporis puncto interirent omnia, non se efferrent, sed humili pectore pro acceptis beneficiis gratias agerent, Christoque Domino, vt ea conseruaret, & ad bonum vsum dirigeret, demisso animo supplicarent.

1. Cor. 4.

Cur sensibꝰ obiecta magis plerunq; moueant ad pietatem & deuotionẽ quã abstracta & spiritalia.

PORRO autem quòd res sensibus obiectæ, & inter eas, quæ ad CHRISTI humanitatem pertinent, magis, dum animo pertractantur ad dilectionem, animique deuotionem quandoq; excitant quàm cœlestia, cæteraque à materia vel sensibus abstracta, isthuc non prouenit ex rei, quæ consideratur, natura, sed ex mentis nostræ conditione. Neque enim nos spiritus sumus, vt Angeli, sed caro & sanguis, iisque, quæ sub sensum cadunt, iam inde ab ineunte ætate perpetuò assueti. Quare licet diuina maiestas & bonitas animo conceptæ & pertractatæ animi deuotionem excitare secundùm se sint maximè idoneæ (est enim DEVS amabilis super omne amabile, incensus autem amor incẽsum generat feruorem,

uorem, ingentemque animi deuotionem) attamen, quia homines sumus sensu præditi, carneque vestiti; quemadmodum ad diuinorum mysteriorum cognitionem egemus sensili quadam χαρα-γωγίᾳ, ita quoque ad obtinendam diuinam dilectionem, internamque animi deuotionem. Inter ea autem CHRISTI humanitas & quæ in illam salutis nostræ causa inciderunt, principem locum obtinent. Quod de naturalium secretorum pertractatione addebatur, leue est: Constat enim, non quæuis sublimia vel subtilia animo pertractata deuotionem parere; sed ea solùm vel potissimùm, quæ DEI dilectionem, veramq; animi submissionem procreare nata sunt. Quæ autem ad hæc non faciunt, vt rerum naturalium consideratio, deuotionem eleuant sæpe magis quàm augent.

Christi humanitas & passio peridoneũ meditationis argumentum submini-strant.

PARIT autem deuotio per se quidem lætitiam, per accidens verò tristitiam, sed talem, quæ sit secundùm DEVM. Quomodo autem vtrumque affectum alia & alia ratione generet, ex iis, quæ de deuotionis causa proximè in medium allata sunt, spectandum venit. Dictum est enim, deuotionem ex duplici capite dimanare; hinc nimirum ex diuinæ clementiæ pertractatione; inde verò ex nostræ miseriæ consideratione; Summa illa summi DEI erga genus nostrum clementia & bonitas animo concepta per se quidem offert causam lætitiæ, per accidens verò tristitiæ. Quandoquidem animus diuino amore incensus, DEVM totius fœlicitatis fontem apprehendit vt absentem; hoc autem absentis desiderium sua natura affligit, afflictumque cum Propheta exclamare compellit: *Sitiuit anima mea ad* DEVM *fontem viuum; quando veniam & apparebo ante faciem* DEI. Item: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea desiderat ad te* DEVS. Item: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* At verò propriæ miseriæ propriæque infœlicitatis & abiectionis contemplatio per se quidem est causa tristitiæ, per accidens autem lætitiæ. Nam dum iustus suum in hac lachrymarum valle exilium, suam miseriam & quotidianam crucem mente reuoluit, meritò suspirat & gemit: at verò cùm harum calamitatum finem per DEI benignitatẽ suo tempore futuram animo perpendit, gaudet in Domino, & cum Apostolo exultans dicit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Item: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra*

Deus secũdùm se cõceptus animũ recreat, conceptus autem vt absens amanti, animo mœrorẽ generat.

Deuotio lætitiã & tristitiam parit, sed alia & alia ratione.

Psal. 41.
Psal. 41.
Psal. 119.
Rom. 8.
2. Cor. 5.

ſtra diſſoluatur, quòd habemus domum non manu factam æternam in cœlis.

Christi Domini mors & perpeſſio alio & alio modo lætitiam & triſtitiam excitant.

QVOD de DEI Opt. Max. excellentia & benignitate, noſtræque naturæ infirmitate hîc aſſertum eſt, hoc ipſum ad CHRISTI paſsionem & mortem trahi quoque poteſt. Nam hæc ipſa etiam vtrumque affectum excitare nata ſunt. Triſtitiam quidem, dum pœnarum acerbitas earundemque cauſa, quæ vtique peccata noſtra fuêre, animo pertractatur; lætitiam verò, dum ſingularis illa DEI miſericordia & charitas, qui hominem vſque adeò dilexit, vt proprij Filij morte & ſanguine, vulneribus illius mederi voluerit, ſeriò perpenditur. Ad externas verò lachrymas quod attinet, eæ non modò ex vera animi triſtitia oboriuntur, verùm interdum quoque ex quadam ſenſus teneritudine contemplationisque ſuauitate. Liqueſcit enim animus, & in lachrymas diffluit, dum immenſam illam DEI erga hominem benignitatem & clementiam intenſè expendit: Sed & in humanis quoque, dum rei afflictæ & quaſi deploratæ inopinatum aliquod gaudium vel gaudij argumentum accedit, aliquid eiuſmodi nonnunquam contingit. Comperti ſunt enim non ſemel, qui quòd præter ſpem in amicos vel liberos, quos extinctos putabant, fortè incidiſſent, præ lætitiæ magnitudine illachrymarentur, nonnulli quoque, qui omnino diſſoluerentur.

Contemplatio nō modò internam deuotionē, ſed externas quoque lachrymas excitat.

Intenſum gaudium interdum necat.

Tetrici moroſique homines parùm deuoti.

COLLIGERE hinc licet, homines moroſos, tetricos, agreſtes &c. qui abſque moleſtia & tædio cum nemine viuere, cum nullo pacatè verſari queunt, perrarò vera deuotione ornatos eſſe. Siquidem verè deuoti & ſpiritales non ſolùm ex primaria lætitiæ cauſa, quæ eſt diuina benignitas animo oblata, in Domino ſunt læti & affabiles; verùm etiam ex ſecundaria, quæ eſt priuatæ miſeriæ, prout ſanabilis olimque per CHRISTVM ſananda concipitur, conſideratio; Quandoquidem triſtitia, quæ ſecundùm DEVM eſt, qualis ſolet eſſe Sanctorum, ſemper cùm gaudio coniuncta eſt. Hinc illud Auguſtini: Doleat, & de dolore gaudeat. Sic magnos quoſdam Sanctos ſemper hilares, ſemper in Domino lætos, nec non omnibus, quibus cùm agebant, gratos acceptosque extitiſſe legimus. Et de deuotione, eiuſdemq; primariis cauſis & effectis hæc breuiter; de oratione, quæ ſecundum

Triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, ſemper cum gaudio coniuncta eſt.

inter

inter internos religionis actus locum obtinet, similia ferè in consideratione veniunt.

DE ORATIONE SECVNDVM SE, eiusdemq; partibus.

CAPVT SECVNDVM.

ESTSI verò oratio propter singularem virtutem & excellentiam, qua pollet, vsumque necessarium, virtus à nonnullis appellatur: imò verò virtutum omnium maxima; per se tamen non est aliqua infusa vel innata vel acquisita virtus: Quandoquidem omni omnino veræ rationis virtuti aliquod semper vitium opponitur, orationi autem nullum peculiare vitium aduersatur. Ad hæc virtus est bona mentis qualitas, qua & rectè viuitur, & nullus malè vtitur: Oratio autem neque mentis qualitas est, nec semper quoque cum bono vsu coniuncta est. Constat enim, fures, adulteros, sicarios, aliosque id genus nequam & sceleratos homines, ne in crimine vel flagitio, quod animo conceperant, deprehendantur, multùm sæpe orare. Tandem Hugo Victorinus constituit tres cótemplationis partes, lectionem, orationem, & meditationem: sed lectio & meditatio non habentur inter virtutes: ergo neque oratio quoque inter eas censenda est, cùm ipso authore par omnium sit ratio. Sed neque si qua virtus quoque esset, omnium statim prima vel maxima esset: Quia licet concedi posset, inter morales primatum obtinere, Theologicis tamen inferior esset, præsertim Charitate; hæc enim secundùm Apostolum inter omnes arcem tenet.

Oratio nõ est virtus propriè, sed virtutis actus.

Quamuis oratio virtus esset, non omnium tamen præstantissima esset.

EST autem oratio proprius religionis actus. Nam etsi nos nostra oratione nihil quicquam DEO Opt. Max. præstemus, si id solum spectemus, quod orantes petimus; sed aliquod potiùs beneficium ab eo expectemus; præstamus tamẽ illi aliquid, si ipsam petitionem secundùm se, vel ipsum petitionis modum consideremus. Nam quicunque aliquid ab aliquo petit, ipsamet petitione se inopem, alteriusq; ope & gratia indigentem ostendit, adeóque illi, à quo, quod sibi deest, petit, tanquam superiori, opulen-

Oratio est actus latriæ, vel religionis.

tiori, & præstantiori sese submittit. Rursum quicunque alterius opem implorat, in eo, cuius fidem implorat, potentiam ad iuuandum, promptum animi studium ad volendum, iustitiam ad iniuriam illatam vindicandum, clementiam ad offensam condonandum, si venia fortè poscatur, aliáque eiusmodi posita agnoscit. Atqui hęc, aliáque his cognata de DEO concipere, vocéue vel alio symbolo exprimere, aliud nihil est, quàm honorem, cultum, & reuerentiam eidem tanquam primo summóque rerum omnium moderatori, primóq; intelligentis naturę principio & fini, bonorumq; omnium eiusdem causæ deferre; hoc autem ad religionem pertinere, nemo est qui dubitat. Siquidem proprium illius munus est, animum impellere & inclinare, vti DEVM rite decenterque colat. Oratio itaque est actus vel vsus religionis, quam Græci λατρείαν appellant. Et quia soli DEO latria debetur, consequens fit, orationem, vt est proprius latrię vel religionis actus, in solum DEVM conuenire, verùm de hoc, loco magis idoneo postea.

Oratio trifariâ accipitur.

CAETERVM oratio, vt suprà quoque meminimus, trifariam accipitur; Generalissimè, communiter, & propriè. Generalissimè sumpta complectitur omnem honestam actionem. Cap. 2. Quo sensu glossa exponit illud Lucæ: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Homo, ait illa, nunquam definit orare, nisi quando definit iustus esse. Item: Semper orat, qui semper agit bona. At communi quadam ratione comprehendit omnem contemplationis, laudationis, & gratiarum actionis actum. Iuxta quam notionem Damascenus scribit: Orationem esse mentis in Deum ascensum. Augustinus: Pium in DEVM mentis affectum. Bernardus: Hominis DEO adhærentis affectionem, illuminatæque mentis stationem ad fruendum DEO, quamdiu licet. Hugo Victorinus: Conuersionem in DEVM, per pium & humilem affectum, Spe, Fide, & Charitate subnixam. Iuxta eandem notionem Pharisæus in templum ascendisse scribitur, vt oraret; & DOMINVS in montem solus, & Apostolos monuisse, vt vigilarent & orarent. Oratio autem propriè sumpta, est interni desiderij explicatio, vel petitio apertè vel tacitè DEO oblata.

Luc. 18.

Matth. 14.

Oratio intellectus & voluntatis actum includit.

EX qua orationis definitione planum euadit, quod perplexam alioqui disputationem habet, nempe orare, neque solius ratio-

rationis, neque solius rursum voluntatis opus esse, sed vtriusque simul, etsi istud alia & alia ratione. Etenim si efficax oratio deposcit scientiam & meditationem; si salubriter precaturus ante precationem apud se constituere debet, quid sit petendum, qua via vel ratione, quod petitur, impetrandū; Tandem si orare, est mentis desiderium symbolo aliquo patefacere, profectò plena oratio absque rationis opere constare non potest. Rursum si orare, est desiderio in DEVM tendere, si ratio nihil deliberat, nihil ordinat, nihil considerat, quod voluntas antè non imperarit, si denique oratio est internus religionis actus, & hęc pars iustitię, quę omniū iudicio in voluntate insidet, euidens fit, voluntatis opus à perfecta oratione seiungi non posse.

ABSOLVTA proinde suisq; numeris perfecta oratio vtriusq; facultatis opus includit. Nihil enim seriò petitur, quod actu non desideratur: neque seriò rursum id desideratur, quod oblata occasione illi non panditur, qui desideria nostra explere potest, & explere nihilominus paratus est. Verùm enimuerò licet res ita habeat, attamen quòd orationis nomine petitio communiter designari & accipi soleat, quæ non est absque interno vel externo verbo, imò verò est ipsamet interna vel externa locutio; concedi potest orationem voluntatis imperium & desiderium ita includere, vt tamen proprium practicæ rationis opus existat. Ratio autem practica hoc à theorica discrepat, quòd hæc tantùm apprehendat, non etiam efficiat; illa verò vtrumque præstet.

Oratio propriè est practicæ rationis opus.

AT verò practica ratio bifariam aliquid efficit. Vno modo absolutè imperando; vt cùm corporis membris, vel inferioribus viribus, vel subditis, in quos absoluta potestas est, hoc vel illud simpliciter iniungit. Altero modo non absolutè imperando, sed qualitercunq; persuadendo, vel inducendo; vt cùm ab eo aliquid concedi vel effici cupit, qui nulla ex parte ipsi est subditus. Non enim tunc imperat; sed cum quadam animi submissione rogat, causasq; & rationes, cur hoc vel illud fieri conueniat, in medium adfert. Hoc ipsum in oratione quoque locum habet. Nam cùm rem aliquam à DEO impetrare volumus, non modò nos nostráque omnia humiliter illi submittimus, supplicesque eidem simus, verùm si rectè cordatéq; orationem instituimus, nonnullas quoque rationes & causas, cur id, quod petimus, concedi debeat, vel

Practica ratio bifariam accipitur.

conueniat, exponimus. Vel enim allegamus illius promissionem, vel potentiam, vel clementiam, vel aliquam aliam eiusdem perfectionem, vel nostram necessitatem, vel hostium iniquitatem, vel aliquod aliud istiusmodi; quæ omnia sua mouendi & impetrandi vi pollent.

Vt quisque affectus est, ita orat.

PORRO autem ad priuatos precandi modos quod attinet, tot eiusmodi assignari poterunt, quot precantium sunt affectiones: vt enim quisq; affectus est, ita orare consueuit. Constat namque, aliter orare, qui læto rerum successu exultant: Aliter, qui malorum mole pressi, animum penè despondent: Aliter, qui tentationibus nõ vulgaribus pulsantur: Aliter qui largo spiritaliũ consolationum haustu inebriantur: Aliter, qui peccatorum veniam precibus vrgent: Aliter, qui virtutum augmentum oratione efflagitant: Aliter, qui gehennæ diuinîue iudicij terrore concutiuntur: Aliter, qui futurorum bonorum spe dilatantur, vel eorundem desiderio inflammantur: Aliter, qui cœlestium arcanorum patefactione illuminantur: Aliter, qui spiritus sterilitate internáque mentis ariditate constringuntur: Aliter demum, qui alio alióque modo afficiuntur. Nam ex vario animorum statu, tam variæ oriuntur orationum formæ, vt certo numero comprehendi vix queant.

QVOD si orationum discrimini, quod ex diuersa orantium affectione petitur, ea addere discrimina lubeat, quæ peti possunt ex re quæ petitur; vel ex persona, ex qua vel pro qua petitur; vel ex causis, propter quas petitur; vel ex principiis, è quibus oratio proximè vel mediatè proficiscitur, modorum precandi nullum facilè modum inueniemus. His itaque quasi infinitis, artisque rationem fugientibus posthabitis, de ea solùm orationis partitione breuiter hoc loco agere placet, quæ & certior, & apud eruditos receptior est.

Orationis in suas partes diductio. Quid mentalis, quid item vocalis oratio.

ORATIONVM itaque alia est mentalis tantùm, alia verbalis aut scripta tantùm, alia ex vtraque mixta. Mentaliter tantùm orat, qui internum animi desiderium, quo in DEVM propter rem aliquam fertur, nullo externo signo manifestat. Vocaliter tantùm orat, qui inter orandum vel recitandum, castra, vt dici solet, in aëre fabricat, hoc est, qui nihil prorsus, quid dicat, aut quô tendat, attendit. Mentaliter & vocaliter simul orat, qui mentis aciem

aciem in id, quod petit, vel ad eum, à quo voce vel scripto aliquid petit, defigit.

Orationum alia bona, alia mala, & quæ vtraque.

ORATIONVM rursus alia est bona, alia mala. Bona est, quæ nulla debita parte, aut circumstantia destituta est. Mala est, quæ praua aliqua circumstantia vitiata est, aut necessaria aliqua parte orbata est. Quòd autem non omnis oratio sit bona, id ex sacris literis manifestum est; scriptum est enim: *Oratio eius fiat in peccatum.* Item: *Maledicam benedictionibus*, hoc est, orationibus *vestris*: Siquidem omne omnino sacrificium, cultusque diuinus aut oratione constat, aut oratione perficitur.

Nullum constat sacrificium citra orationem.

Orationum alia priuata, alia publica.

ORATIONVM tandem alia est priuata, alia publica. Hæc nomine totius Ecclesię, pro populi salute per publicos ministros, & plurimùm in publico loco funditur; illa pro se vel alio à priuato depromitur, & priuatim quoque frequentiùs, quamuis publicus locus neutiquam illi repugnet.

1. Timoth. 2.

APOSTOLVS PAVLVS, vbi discipulum suum Timotheum de pastoralis muneris ratione instituit, quatuor orationis mẽbra vel species insinuat. Scribit is autem in hunc modum: *Obsecro primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: hoc enim bonum & acceptũ est coram Saluatore nostro* DEO, *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hæc ille, qui de obsecratione, oratione, postulatione, & gratiarum actione loqui videtur, tanquam de diuersis orationis speciebus. Certè Cassianus, ex sententia Abbatis Isaac, ad distinctas orationis formas is thæc spectare haud obscurè insinuat; inter cætera autem ita scribit:

Coll. 9. c. 11.

OBSECRATIO est imploratio vel petitio p̃ peccatis. Orationes sunt, quibus DEO aliquid offerimus, vel vouemus. Postulationes p̃ aliis, dum sumus in feruore spiritus constituti, solemus emittere. Gratiarum actiones mẽs DEO refert, cũ p̃terita recolit beneficia, vel p̃sentia contẽplatur; vel cùm in futurũ, q̃ & quãta prę̃parauerit DEVS his, qui diligunt eũ, prospicit. Obsecratio de compunctione peccatorũ nascitur. Oratio de fiducia oblationũ & consumatione votorũ profluit. Postulatio de charitatis ardore procedit. Gratiarum actio de beneficiorum DEI consideratione generatur. Prima species pertinet ad incipientes, qui adhuc vitiorũ suorũ aculeis ac memoria remordentur. Secunda ad illos, qui in profectu spiritali appe-

Quomodo oratio, obsecratio, postulatio, & gratiarum actio inter se differant secundùm Cassianum.

appetitúq; virtutum consistunt. Tertia ad eos, qui perfectionem votorum suorum operibus adimplentes, pro aliis quoque intercedere prouocantur. Quarta ad illos, qui iam, pœnalis conscientiæ spina de cordibus euulsa, securi munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro, mente purissima pertractãtes, ad illam ignitã, & quæ ore hominum comprehendi & exprimi nõ potest, orationem feruentissimam raptantur, & nonnullis interiectis subdit:

HAS quatuor supplicationum species ita Dominus exemplo suo initiari dignatus est, vt in hoc quoque impleret illud, quod de ipso dicitur: *Cœpit* IESVS *facere & docere*. Nam obsecrationis genus assumpsit, cùm dixit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*. Oratio est, cùm dicit: *Ego te clarificaui super terrã, opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem.* Postulatio est, cùm dicit: *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Gratiarum actio est, cùm dicit: *Confiteor tibi pater cœli & terræ, quia reuelasti ea paruulis.* Item: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*; *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Hæc compendio ex Cassiano.

Actor. 1.
Matth. 26.
Ioan. 17.
Ioan 17.
Matth. 11.
Ioan. 11.

HAYMO Apostoli locum edisserens, quatuor illas orationis partes ita exponit, vt singulas singulis præcipuis sacrę liturgię partibus accommodet. Obsecrationis nomine ea complectitur, quæ mysteriorum consecrationem antecedunt: In iis enim recolitur CHRISTI doctrina & vita: Referuntur hîc quoque Sanctorum suffragia & merita: & alia quædam ad obtestationem pertinentia. Orationis verò ea, quæ ad corporis & sanguinis CHRISTI consecrationem faciunt. Hæc enim deposcunt summam mentis in DEVM eleuationem, summamq; ad ea, quæ præ manibus sunt, attentionem. Postulationis autem ea quæ à consecratione vsq; ad Sacramenti sumptionem decurrunt: multa enim in hac parte pro viuis vitáq; defunctis certò ac determinatè petuntur. Gratiarum actionis tandem ea, quæ post communionem vsque ad sacrificij finem sequuntur.

BERNARDVS obsecrationem tum demum locum habere docet, cùm homo causæ suæ parum fidens, non per se, sed per aliũ DEVM interpellat; vt si dicat, sancte Petre vel Paule, ora pro me. Orationem verò cùm per se aliquid efflagitat. Postulationem autem cùm nullius ampliùs noxę sibi conscius, pro se vel altero gloriam

De vit. solit.

riam postulat: Gratiarum actionem tandem, cùm ad eam perfectionem deuenit, vt priùs quodammodo à DEO audiri mereatur, quàm salutaria vel necessaria ab eo petat. Non multùm ab his dissident, quæ Glossa ordinaria ad Apostoli locum adfert. Monet enim, obsecratione difficilia peti; vt impij conuersionem, aut insignis alicuius calamitatis depulsionem; Oratione, virtutum, cœlestiumq; donorum ornamenta; Postulatione interminabilis vitæ fœlicitatem; Gratiarum actione autem & hæc ipsa, & cætera quoque, quæ diuinitus obtigere, quadantenus pensari.

Membra orationis, quę Apostolus assignat, sunt quatuor potiùs orationis partes, quàm species. 22.q.83 a.17.

EN omnes isti Patres de quatuor illis partibus, quas Apostolus assignat, perinde loquuntur atque de quatuor orationis speciebus, cùm tamen reipsa non sint orationis species, sed integrales orationis partes. Nam vt D. Thomas rectè alicubi annotauit, ad orationem perfectam deposcuntur tres conditiones. Harum prima est ascensus vel eleuatio mentis in DEVM: Oraturus enim animo pertractare debet DEI potentiam, clementiã, sapientiam, maiestatem, aliáq; eiusmodi, quæ inter orandum interdum quoque exprimuntur; vt cùm ita precamur: Omnipotens sempiterne DEVS &c.

Perfecta oratio tres conditiones deposcit.

ALTERA est petitio, quæ postulationis vocabulo exprimitur, siue determinatè aliquid petatur, vt si quis cum Salomone ita precetur: *Duo rogaui à te, vanitatem & verba mendacij longè fac à me: mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*: siue indefinitè, vt si quis cum Psalmista DEVM eiusmodi oratione interpellet: *DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Vel cum Publicano ita oret: *DEVS propitius esto mihi peccatori*. Vel cum cæco illo Euangelico, eiusmodi precatione CHRISTVM adeat: *IESV fili Dauid, miserere mei*. Siue factum aliquod simpliciter narret, vt si cum sororibus Lazari CHRISTVM in hunc modum compellet: *Domine ecce, quem amas, infirmatur*. Hoc petitionis genus insinuationem vocant, sicut primum postulationem, medium autem supplicationem.

Prouerb. 30.

Psal. 69.

Luc. 18.

Marc. 10.

Ioan. 11.

TERTIA & postrema est ratio impetrandi id, quod petitur. Hæc autem ex parte DEI, est illius beneficentia, clementia, sanctitas &c. propter quæ exaudiri petimus. Atque huc pertinet obsecratio, quæ aliud nihil est, quàm quædam per sacra obtestatio, vt cùm ita oramus: per crucem & passionem tuam libera nos

Quid propriè sit obsecratio.

Domine. Hoc orationis genere vtitur Ecclesia in omnibus penè precibus, quas dirigit ad patrem; semper enim sub orationis finem adiungere solet per CHRISTVM Dominum nostrum. Quin ad Filium quoque preces suas transmittens, semper ferè eius mortem vel crucem vel aliquam aliam æconomiæ illius partem interponere consueuit. Ratio verò impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio: Qui enim dona accepta grata memoria recolunt, vt semel collata augeantur, conseruentur & perficiantur, certa quadam ratione promerentur; sicut è diuerso, qui per ingratitudinem benefactorem non agnoscunt, viam ad alia beneficia impetranda sibi quodammodo obstruunt. Pertinent ad hunc etiam locum illustria DEI opera, eiusdemque promissa & dicta, quæ precibus inter orandum interdum quoque admiscentur, vt cùm ita inuocatur: Omnipotens sempiterne DEVS, qui hoc vel illud feciſti, dixiſti, promiſiſti, &c.

Ingratitudo beneuolentiæ fontem obstruit.

OMNES hæ partes precandiue formulæ in vna sæpe oratione comperiuntur, vt cùm Ecclesia in hunc modum orat: Omnipotens sempiterne DEVS, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacunque tribulatione ad te clamantium, vt omnes in necessitatibus suis misericordiam sibi gaudeant adfuisse, per CHRISTVM Dominum nostrum. Hic ☞ omnipotens sempiterne DEVS, ad orationem; Illud verò, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo ad gratiarum actionem, ☞ autem perueniant ad te preces &c. ad petitionem vel postulationem, (Apostolus enim vtrumque pro eodem vsurpat: Nam vt ad Timotheum scribit: *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus*; ita ad Philippenses: *In omni oratione, & obsecratione, & gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud* DEVM.) Illud denique per CHRISTVM Dominum nostrum, ad obsecrationem. Similes orandi formulæ occurrunt aliæ non paucæ. Ex quo planum fit, quę Apostolus de oratione exponit, ita seorsim in Psalmis & alibi posita comperiri, vt tamen rectiùs appellentur vnius perfectæ orationis partes integrales, quàm diuersæ orationis species. Quare non est necessum, vt orationis definitio de singulis ex æquo & reciprocè semper prædicetur; sed sat est, si de omnibus simul sumptis. Verùm de orationis partibus cæterisque, quæ ad quidditatis illius

1. Timoth. 2.

Cap. 4.

illius notitiam faciunt, satis; proximum est, vt de eiusdem qualitate & quantitate, aliisque id genus circumstantiis nonnulla quoque in medium adferamus.

De orationis qualitate, quantitate, forma cæterisque eiusdem comitibus & circumstantiis.

CAPVT TERTIVM.

QVID, cuius facultatis, cuius item virtutis opus sit oratio, tum quæ eiusdem sint partes vel species, expositum est hactenus: proximum est, vt de iis nonnulla etiam proponamus, quæ ita orationi adiuncta sunt, vt propriam tamen & intrinsecam illius rationem nõ ingrediantur. Etenim soláne mente DEO vota tua pendas, an mente & voce simul: rursum paucísne id præstes, an multis; manéne, an vesperi, an alia diei parte; domíne an foris, hoc est, in templóne an alio loco; corporéne erecto, an prono, vel prostrato &c. id orationis substantiam nõ mutat. Nihilominus quòd hæc omnia suas difficultates habeant, eáque, quæ rem circumstant, magnam in moralibus sæpe vim adferant, prætermittere non potuimus, quin aliquid quoque hisce de rebus in medium adferremus. Pono hîc autem, duplex orationis genus esse. Alterum commune & publicum; alterum priuatum & certa quadam ratione secretum. Ad orationem publicam vel communem pertinent horæ Canonicæ, sacrificium Missæ, publicæ Litaniæ, preces funebres, aliæque eiusmodi, quę totius populi nomine & loco per publicos Ecclesię ministros persoluuntur. Ad priuatam omnes omnino preces, quæ per publicos ministros non depromuntur, vbicunque tandem vel per quoscunque promantur.

Quæ rẽ circumstant magnam vim habent.

IAM hoc fundamento præiacto, facile est respondere ad quęstionem, qua quæri hîc solet, mentaline oratione vtendum sit tantùm, an verò mixta, hoc est, mentali & vocali simul. Certum est enim orationem communem & publicam solo interno mentis actu constare non posse. Oportet enim de eiusmodi precum ratione & qualitate communitati certò compertum esse; tum quò se publicorum ministrorum studio conformet,

Publica oratio solo interno mẽtis actu absolui non potest, & quare.

mentemque iuxta ea, quæ publicè decantantur, vel recitantur, in DEVM subleuet; tum etiam, quò suisne votis ac legibus fiat satis, an secùs, apertè cognoscat. Nam cùm per occupationes iugem statumque DEO cultum per se deferre non valeat, propriis impensis & sumptibus ministros alit, qui vicem illius expleant, próq; communi omnium salute statas solennesque preces diuinæ maiestati quotidie offerant; sacramenta itidem administrent, aliáq; id genus munera Ecclesiastica publicè obeant. Sed & ipsi quoque Ecclesiæ eiusdémue Hierarchis de ministrorum suorum fide & diligentia palàm constare debet: At nulli hac de re certò constare potest, nisi preces ordinariæ clara & intelligibili voce persoluantur.

In publicis & p̃sertim liturgicis precibus bifariá peccatur.

DEBENT proinde publicæ preces mente & voce simul exolui; & quidem tali, quæ ab astantibus vtcunque intelligi queat. Qua in re bifariam à quibusdam peccatur: Sunt enim, qui, dum sacris operantur, ea, quæ ad populi informationem faciunt, eiusdemque pietatem & deuotionem excitare nata sunt, & iuxta Ecclesiæ ritum & ordinationem clara intelligibilique voce enunciari debuerunt, voce vsque adeò submissa proferunt, vt ipsi seipsos vix intelligant, nedum alij, qui aliqua intercapedine ab altari distant. Sunt alij, qui in oppositum vitium quodammodo dilapsi, ea quæ secundùm legem receptamque Ecclesiæ consuetudinem secretò dici solent, & secretò quoque dici deberent, voce vsque adeò sublata efferunt, vt non solùm propè astantes, sed multùm quoque distantes audire valeant. At verò quanta vocis contentione in Missæ sacrificio, vel canonicis precibus opus sit, id spiritus vnctio, vel prudentium vsus, si lex defuerit, facilè demonstrauerit.

Oratio priuata solo mentis actu constare potest.

ORATIO autem priuata suóque modo libera vtroque modo persolui potest, nimirum mente tantùm, & mente & ore simul. Quòd sola mente vel solo interno animi actu orare liceat, id scriptura multis passim locis & exemplis declarat, vsusque piorum & ratio præterea ipsa validè confirmat. Quandoquidem, vt ex Damasceno, Augustino, & aliis Patribus suprà auditum est, oratio communiter sumpta, est mentis in DEVM ascensus, vel pius in DEVM affectus: atqui vt mente in DEVM ascendas, nullo opus est verborum strepitu, nullo labiorum motu: siqui-

siquidem negotium hoc gemitibus & suspiriis magis plerunque agitur quàm sermonibus. Ad hæc vocali oratione hactenus tantùm opus est, quatenus latens animi desiderium alteri patefiat; DEO autem, quem solum præ oculis habet, qui priuatæ orationi vacat, omnia mortalium omnium vota & desideria sunt apertissima. Denique nullum extat diuinum præceptum aut humanum, quod mentalem orationem inhibeat; quicquid autem non inhibetur, hoc licitè vsurpatur.

Plures causę priuatam orationē vocem non deposcere ostendunt.

QVOD autem mentali orationi vocalis non modò inculpatè sed fructuosè quoque accedere queat, id nemo in dubium vocat, neque citra erroris suspicionem, manifestæque vaſaniæ notam in dubium vocare potest. Constat enim, CHRISTVM Dominum vocali oratione crebrò nostri causa vsum esse, precandique formulam, qua vocaliter vteremur, clementer prescripsisse. Constat, idem Apostolos multosque alios egregios viros studiosè præstitisse, publicéque docuisse. Constat tandem, quicquid in nobis siue externum siue internum existit, id totum à DEO ortum traxisse, adeóque non tantùm mentem, sed linguam quoque cæteráque omnia corporis membra in illius honorem & cultum salubriter verti. Imò verò tantum abest, vt vocalis oratio, dummodo mentali non destituatur, sit illicita aut superuacanea, aut otiosa, vt multarum quoque vtilitatum sit causa. Etenim cùm homines simus ex corpore & animo concreti, crassisque & corporatis rebus iã inde ab ortu assueti, naturaliter crassa & corporata actiùs nos mouent, quàm interna meréq; spiritalia.

Mentali orationi vocalis salubriter adiungitur.

QVOD dicimus, certæ experientiæ fides manifestè probat. Quàm multi & quàm admirabiles animorũ motus viua doctoris voce cientur sæpe, qui nulla priuata meditatione cieri potuissent? An non magis communiter frigemus, dum ingentes calamitates, quas aliquando perpessi sumus, vel damna, quæ accepimus, aut discrimina, quæ euasimus, solitaria cogitatione versamus, quàm dum ea aliis exponimus, vel patheticè ab aliis exponi audimus? Vtiq;. Habet enim viua vox occultã quandam energiã, quæ verbis exprimi non facilè potest. Sic quoq; dum indignas aliorũ clades, vel casus miserabiles ad viuum descriptos legimus: vel ex aliis, qui legunt aut referũt, fortè audimus, longè magis cõcitamur, quàm dum priuatim ea apud nos pertractamus.

Viua vox occultam quandam energiam sortitur.

VALET proinde vocalis oratio ad excitandum deuotionis sensum, internamq; mentis illustrationem: Quandoquidē verba, quibus oratio contexta est, admonent, quid sit petendum, quomodo petendum, &c. Atq; hæc potissima Christo causa extitisse videri potest, cur certam vocalis orationis formulam Apostolis, cæterisq; per Apostolos præscripserit. Sanè rudibus & idiotis, qui vix aliud quicquam capiunt, quàm quod sensu aliquo hauriunt, vocalis oratio vsq; adeò est necessaria, vt ea destituti nihil omnino rectè petituri videantur.

Vocalis oratio rudibus & idiotis apprimè necessaria.

VALET eadem rursum ad conseruandam earum rerum memoriā, quas per orationem petere vel impetrare institueramus. Tum ad coërcendam & compescendam mentem, ne multùm diuagetur. Nam cùm cogitatus res sit fluxa, nisi externo quopiam præsidio firmetur, & quasi contineatur, citò euanescit. Quod eñ fixum mansurum est, bene firmatum & radicatum sit, necessum est. Difficillimum est autem, sola mente constanter orare, vniq; illi quod petitur, animo immotè semper affixum esse. Verba autem adiuncta, etsi suaptè natura fluant; attamen mentem dilabentem ad institutum, hoc est, ad illud, quod legitur, vel dicitur, subinde reuocant.

Cogitatus res fluxa & inconstans.

VALET tandem ad aliorum quoque exemplum & informationem. Nam dum alij orationi nos vacare animaduertunt, & ipsi quoque, quid sibi faciendum incumbat, intelligunt. Mitto hìc, tantam quandoque internam esse deuotionem, vt ipsis etiam precantibus insciis, & propemodum inuitis, in verba quædam externa prorumpat. Motus enim virium superiorum, si fuerint vehementiores, frequenter redundant in inferiores, & propter naturalem connexionem interdum quoque in externas corporis partes.

Motus interiores, si fuerint vehementiores, redundant interdum in externū hominem.

HAEC omnia probant, vocalem orationem vtilem & salutarem esse: At verò sítne itidem necessaria, nonnullam quæstionem habet. Nobis, prolixa disputatione missa, probabilius fit, secundùm se absolutè necessariam non esse. Nam si per se absolutè necessaria esset, aut id esset necessitate finis, aut necessitate præcepti; at neutro modo videtur necessaria. Non necessitate finis: Nam quicquid obtineri potest oratione vocali, hoc ipsum etiam men-

Vocalis oratio secundùm se absolutè ad salutē non est necessaria.

mentali impetrari potest. Neque necessitate rursum præcepti saltem communis; quia nusquam in nouo, aut veteri Testamento cautum extat, vt priuatim orantes beatitudinem, aut aliquid ad illam faciens, vocali oratione vrgeant. Quod si quæ Scripturæ de vocali oratione agunt, vt plurimæ sanè agunt, illę de ea non agunt tanquam de re præcepta, sed tanquam de re vtili & salutari. Orauit sanè CHRISTVS sæpe vocaliter, & vocaliter orare docuit; verùm non omnis CHRISTI actio aut institutio legis vim obtinet. Dixerim per se absolutè, aut communi præcepto non esse necessariam: Nam qui quacunque de causa impeditus, mentaliter orare non posset, ille profectò, cùm priuata necessitas, aut publica vtilitas id postularet, vocaliter orare deberet. Idē de illo statuas, qui voto, vel iuramento, vocali orationi se obligauit: Aut cui à confessario, aut alio quocunque, legitimam potestatem habente, tale quippiam impositum fuerit.

Qui mentaliter orare non potest, aut vocaliter orare obligatus est, is vocaliter orare tenetur.

DE mentalis orationis necessitate nulla est controuersia: Nam cùm vocalis per se non sit necessaria, vt obiter iam ostensum est, si mentalis suo saltem loco & tempore necessaria non esset, nulla vnquam simpliciter necessaria esset. At hoc est falsum, Scripturæque & Patrum traditioni omnino dissentaneum: Neque enim scriptum esset: *Oportet semper orare*. Item: *Petite, & accipietis*, Luc. 11. multaque alia eiusmodi, si semper liberum foret orare vel non orare; vel si absque vlla petitione, desiderata, vel ad salutem necessaria impetrare liceret. Sed neque frustra quoque ab Augustino scriptum est: Nullum credimus ad salutem venire, nisi DEO De dogm. Eccl. inuitante; nullum inuitatum, nisi DEO auxiliante, suam salutem operari; nullum nisi orantem auxilium promereri. Et à Magno Gregorio: Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerint, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti DEO disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulādo mereantur accipere, quod eis omnipotens DEVS ante sæcula disposuit donare. Deniq; tantæ interdū insurgunt tentationes & tempestates, vt nisi cum Apostolis clamemus: *Domine, salua nos, perimus*, Matth. 8. omnino nobis pereundum sit. Tenetur proinde homo nō solùm vitam æternam, reliquaq; ad salutem necessaria ex Charitate deside-

Nulli adulto salus obtingit citra orationem. In dialog.

desiderare, sed ex religione quoque petere. Verùm de orationis præcepto & necessitate paulò pòst ex instituto.

Quando vocali, quando rursum mẽtali oratione vtendum est, id certa regula tradi non potest, sicut nec illud quoque, vtra altera sit vtilior.

CAETERVM quando solam mentalem, quando rursum mẽtalem & vocalem simul adhibere conueniat, id certa regula tradi vix potest. Generatim dici queat hactenus, vocali vtendum esse, quatenus ad deuotionem excitandam, vel retinẽdam, vel incendendam est vtile. Quamobrem si externa verba internam deuotionem impediunt, vt eorum plerunque solent, qui magnos spiritus progressus habent: desistendum est à vocali, & veniendũ vel redeundum ad mentalem. Ediuerso si mentalis oratio magnam adfert mentis distractionem, transeundum est ad vocalem. Deberent tamen hæc omnia certo quodam ordine sibi inuicem succedere: verùm vtcunque res instituatur, nunquam mentalis à vocali seiungi debet. Nam sola vocalis, qualis eorum est, qui tota orationis decursu nihil, quid dicant, aduertunt, nullius apud DEVM est ponderis. Mentalis verò vocalem per se non magnopere desiderat. Nam vt mentem sursum eleues, peccatorum veniam, aut cœlestem gratiam impetres, sat est, si sola mente vota tua DEO explices. Quilibet ergo priuatim orans, eo vtatur orandi modo, quo magis adiuuatur & incitatur ad pietatem; publicè autem, hoc est, vnà cum aliis preces fundens, nullis nouis aut peregrinis gestibus vtatur, ne aliis, quibus cum orat, offensionem offerat.

EX his planum fit, licet mentalis oratio secundùm se absolutè haberi soleat præstantior, certò tamen definiri non posse, vtra huic vel illi homini sit salubrior vel vtilior. Nam aliis opportunior est mentalis, aliis vocalis, prout quisque affectus est. Et eisdem ad numerum vno tempore vtilior est vocalis, alio mentalis. Vox enim, vt dictum est, quandoque impedit, quandoque promouet, quandoque medio modo se habet. Verùm de mentali & mixta oratione, deque vtriusque discrimine & vsu satis. De orationis malitia & bonitate (nam hæc res ad qualitatem quoque, de qua hîc sermo est, spectat) nihil est ferè, quod iis addamus, quæ suprà exposita sunt, cùm de oratiõis diuisione agebatur, nisi hoc forsan addẽdum sit, esse qui malæ orationi inter veræ rationis orationes locum ægrè concedant; sed id absque ratione, cùm æquè mali atque boni tacitè vel apertè aliquid à DEO petere queant, & sæpe petant.

petant. Fatendum est tamen, malos vt eiusmodi, nunquam bonum, aut si bonum, nunquam tamen bene petere; sed semper malum, vel malè. Malè petunt, cùm inter petendum debitam aliquam circumstantiam omittunt. Malum verò petunt, cùm id petunt, quod citra peccatum fieri, vel impetrari aut non potest, aut ægrè admodum potest: Vt si quis petat iniustum lucrum aut Episcopatum.

Mali aut malè aut malum plerunq; petunt.

DE ORATIONIS QVANTITATE.

De orationis porrò mensura, hoc est, longitudine vel breuitate commodè aliquid dicturi, iterum hîc inter priuatam & publicam secernere debent. Constat namque, orationes communes vel publicas eo pondere eáque mensura & numero exoluendas esse, quo præfinitum est ab Ecclesia: Siquidem priuata auctoritate nihil hîc addere, nihil adimere, nihil mutare licet, verùm id simpliciter præstandum & dependendum est, quod à maioribus constitutum est. Ad priuatas autem preces quod spectat, eæ orantis constitutioni & fini, ad quem referuntur, quoad eius fieri potest, accommodari debent; siue is boni alicuius impetratio, siue mali cuiuspiam depulsio, siue aliud quodcunque eiusmodi sit: Neque enim vnus idemque precantibus omnibus scopus præfixus est, sed alius plerunque aliis.

Priuatæ orationis mensura est incerta, publicæ lex Ecclesiastica.

Publicae proinde orationis mensura est lex vel sanctio Ecclesiæ; priuatæ verò id, quod iam diximus, vel prudens cuiusque orantis discretio. Qui enim iudicio valet, haud difficulter apud se statuet, quousque orationis studium producere conueniat. Statuendum est tamen, orationes omnino liberas non facilè dici posse, aut nimis productas, aut nimis quoque contractas. Nam qui liberè orat, si prolixè orat, non peccat; sed neq; peccat rursum, si vota sua paucis exponat.

Liberæ orationes non facilè sunt nimis contractæ, aut nimis productæ.

Qvi Deo pro contractis debitis satisfacere desiderat, is crebras preces fundere studeat: nam quò quisque diutius frequentiusque precatur, eò citiùs & pleniùs satisfacit: Quandoquidem prolixior oratio maiori constat labore, maiorique difficultate; cæteris autem exequatis maioris laboris molestiæue quãtitatem, maius consequitur satisfactionis pondus. Qui autem vitæ æternæ meritum venatur, magis quærat orationis feruorem, internamq; animi

Vbi maior labor & molestia, ibi cæteris exæquatis maior contingit satisfactio.

animi deuotionem, quàm verborum prolixitatem. Eò namque oratio magis est meritoria, quò ex maiori charitate, maioriq́ue spiritus feruore fuerit orta. Quare qui meritum, aut internam mentis dulcedinem aucupatur, tantisper oret, dum feruor ille spiritus perstat: Eo autem se remittente, ab oratione desistat. Siquidem natura ad id redire trepidat, & quodammodo horret, in quo antè cũ tædio & molestia versatã se meminit. Vnde Monachi Ægyptij, ne in id incommodum inciderent, crebras orationes habuisse legũtur, sed breuissimas & raptim quodãmodo eiaculatas.

Cauendum ne orationis prolixitate in tædiũ incidamus.

AT obiiciat hîc fortè quispiam: Oratio continua non potest esse contracta, aut ad certam aliquam mensuram accommodata; Christus aũt & post illũ Apostolus semper, vel citra intermissionẽ orandum esse prædicãt. Idem ille, qui dixit: Oportet semper orare, & nõ deficere; dixit quoq;: orantes nolite multum loqui, quod idem sonare videtur, quod inter orandum cõtracta oratione vtamini. At quia mota difficultas non tota prorsus hac responsione sublata videtur, ne vlla antilogiæ suspicio fiat hîc reliqua, paucis explanãdum est, quid sit semper orare, quid rursum, inter orandũ non multa loqui: Siquidem de vtroq; loco non idem omnium est iudiciũm, nec eadem doctorum hominum interpretatio.

1. Thess. 5. Luc. 18. Matth. 6.

D. THOMAS orationem non quidem secundùm se sed secundùm causam, quæ ad orandum mouet, cõtinuam esse debere admonet, etsi postea in ea sententia non persistat. Orationis autẽ causa, eodem auctore, est charitatis, hoc est, gratiæ & gloriæ desiderium. Ioan. Gerson eundẽ Christi locum edisserens, virtualiter vel habitualiter semper orãdum asserit. Virtualiter autem vel habitualiter, vt eidẽ placet, is semp orat, qui, vbi semel orare cœpit, nunquam orare per cõtrariam voluntatem desistit; ita vt ampliùs orare nolit. Origenes & Glossa ad eundẽ locum hactenus semper orandum tradunt, quatenus nunq̃ desistendum est à bene operando. Dici em̃ solet; semper orat, qui semper bene agit. Huic interpretationi astipulatur Alensis quoq;. Secundùm hos ergo oratione vulgatissimè sumpta semper orandum est; dictum est namque, orationem trifariam accipi, propriè, communiter & communissimè, hoc est, impropriissimè.

2.2.q.83 act.14

3.p. nu.77.

Quomodo semper orãdum secundùm Gersonem Orig. Glossam, & alios.

OMNES isti interpretes orationem continuã ponunt & admittunt, quãuis alij alio sensu & modo: verùm ad Dominicæ paraboIæ

læ ſcopũ parum, ni fallor cõuenienter. Nam ſi rem rectè expendimus, Chriſtus Dñs ſimilitudine illa nõ docuit, neq; docere voluit, ſemper citra vllam omnino intermiſsionẽ orãdum eſſe; nôrat eñ in hac mortali vita id fieri nullo modo poſſe: Voluit autẽ per illam nos admonere, non ſtatim deſiſtendum eſſe, ſi ſemel aut iterũ aut etiam ſæpius repulſam acceperimus; verùm iterum iterumq; vrgendum & inſtandum, dum voti tandem compotes euaſerimus. Quemadmodũ quoq; vidua illa non contenta fuit ſemel aut iterũ iniquum iudicem interpellare; ſed repetitis vicibus toties eũdem adiit & interpellauit, donec tandem ſua importunitate inuitũ expugnauit. Neq; enim Dñs paradigmate illo indicare voluit, viduã illam perpetuò ad iudicis oſtium hęſiſſe, donec tandem, quod beneuolentia non poterat, importunitate extorqueret, ſed crebrò eundẽ adiiſſe, frequenterq; de ſuo aduerſario vindictã expetiiſſe.

Quo ſenſu dictũ ſit, ſemper orandum eſſe.

Addo, verba illa non eſſe Chriſti, continuam orationem indicentis; ſed Euangeliſtæ, quomodo Chriſtus ſimilitudine quadã inſtanter orandum eſſe docuerit, exponentis. Quòd autem allatæ ad Euangelicam parabolam explanationes non ita ſunt planæ, vt omni prorſus difficultate careant, opoſa probatione non magnopere indiget. Ex prima ſequitur, qui Chriſto per gratiã vel charitatẽ ſemel adiũctus eſt, eum vt determinatè aliquid à Deo petat, opus non habere: parabola aũt agit de inſtanti oratione; prout vidua illa de aduerſario ſuo inſtãter vindictam petebat. Secunda ad parabolæ ſcopum minus adhuc facit: Aliud eñ quærit illa, quàm ſimplicem rei cuiuſpiam petitionem, à qua animus per oppoſitã volũtatem nunquam reſiliat. Sed neq; verum eſt quoq;, orationẽ virtualiter vel habitualiter continuam eſſe debere. Nam re, quæ petebatur, ſemel impetrata, nõ eſt vt eam actu vel habitu ampliùs vrgeamus; & eadem necdum obtenta, quoties lubitum fuerit, deſiſtere licet, maximè ſi id, quod petitur, ad ſalutem non eſt abſolutè neceſſarium. Quin tertia quoque non ita multum cum parabola affinitatis habet: Aliud eſt namq; ab hoſte vindictã vel aliam quamcunq; rem vtilem vel neceſſariam petere; aliud bonis operibus continuò vacare. Oportet ergo ſemper, hoc eſt, inſtanter magnaq; cum contentione, quod nobis neceſſarium iudicamus, petere: neque priùs à petitione deſiſtere, quàm iudicem noſtra importunitate in ſententiam noſtram tranſtulerimus.

Refutatur ſententia Thomæ, Gerſonis, Origenis, & aliorum quorundam de continua oratione.

DICIS: Esto, CHRISTI parabola continuam orationem non depoſcat, depoſcit tamen Apoſtoli admonitio: Siquidem is nulla vſus ſimilitudine aut circuitione, abſolutè ſine intermiſsione orãdum pronunciat. Concedi poteſt, Pauli dictum aliquãtò acriùs vrgere; Sed neq; huius quoq; mens fuit, mentali aut vocali orationi perpetuò inſiſtendum eſſe, ita vt nulla ab orationis ſtudio detur ceſſatio, aut requies. Voluit nos autem crebras frequẽtesq; ad Deum preces eiaculari, ne lõgo temporis interuallo ab oratione feriãtes, hoſtis inſidiis capiamur, aut in aliquod aliud incommodum incidamus, idq; vſitata ſcripturę phraſi. Nam Actorum duodecimo ſine intermiſsione pro Petro carceri mancipato oratum legimus; & tamen non fit veriſimile, nullã orantibus à precatione requiem fuiſſe indultam. Sic quoq; Anna filia Phanuel nunquã de templo deceſsiſſe ſcribitur, & tamen credi vix poteſt, eam dormiuiſſe in templo, aut cibum ſumpſiſſe in templo, aut cętera politicæ aut animalis vitę munia in templo obiuiſſe. Sed neq; tota quoque nocte & die ieiunabat & orabat, vt ibi aſſeritur; ſed hæc omnia per certas tantùm temporum intercapedines præſtabat.

1. Theſſ. 5.

Scripturæ phraſi ea aſsiduò fieri dicuntur, quæ fiunt crebrò.

Lucæ 2.

Lucæ 2.

RECTE proinde ſine intermiſsione, vel ſemper orare dicitur, qui ſtatis quotidie horis orat, etiamſi intermedio tempore aliud agat. Nec ab hac ſententia abhorrent, quæ D. Thomas in ſolutione quarti argumenti in rem præſentem adfert; ait enim: Aliquis continuè orat, vel propter cõtinuitatem deſiderij, vt dictum eſt, vel quia non intermittit, quin temporibus ſtatutis oret, vel propter effectum, ſiue in ipſo orante, quia etiam poſt orationem manet magis deuotus; ſiue etiam in alio, puta cùm aliquis ſuis beneficiis prouocat alium, vt pro ſe oret, etiam quãdo ipſe ab orando ceſſat & quieſcit. Denique ſemper orandum eſt, ſicut ſemper gaudendum eſt. Apoſtolus enim vtrumq; coniungit; ait namque: Semper gaudete, ſine intermiſsione orate, atqui, vt ex Salomone didicimus, nõ ſemper gaudendum vel ridendum eſt; ſed ſuo quoque tempore flendum & plangendum. Sortiuntur enim mortalia omnia ſuum tempus ſuamq; viciſsitudinem.

Qui cõtinuò vel ſine intermiſsione orare rectè dicantur.

Semper orandũ ſicut ſemp gaudendum.
1. Theſſ. 5.
Eccleſ. 3.

SED iuſtus nihilominus homo eget perpetuo Dei auxilio, vel ne cadat, vel vt lapſus reſurgat, vel vt à peccatis, quibus irretitus tenetur, ſe expediat, (ſine peccato enim non viuitur) vel certè vt DEO pro offenſis aliqualiter ſatisfaciat; gratia autem communiter

muniter non datur, neque semel data conseruatur, nisi humiliter id petatur. Quicquid hîc dicitur, hoc totum cõcedi potest, verùm hinc nõ sequitur, continuæ orationi insistendũ esse. Sat est enim, si debita loca & tempora obseruentur: Siquidem præceptum, quo ad orationem vrgemur, est vnum ex eorum numero, quæ certum à nobis actum exigunt; eiusmodi autem non obligant ad semper, vt dici solet, sed pro loci & temporis & aliarum peristaseon qualitate. Debet proinde homo orare, sed necessitate id exigente; vt cùm sacramentum sumere, aut periculosum iter ingredi instituit; aut grandius cum Dæmone vel carne certamen inire; vel aliquod aliud negotium põderosum capessere compellitur. Verùm de hoc postea.

Quando præcipuè sit orãdum, ita vt peccetur si orationi non insistatur.

QVOD verò ad multiloquium attinet, quod CHRISTVS ab orationis regno proscribere videtur; ait namque: Orantes, nolite multum loqui; non est istuc ita accipiendum, quasi prolixè orare, aut eandem rem sæpius vrgere, nefas sit, licet enim: nam & Dominus ipse in oratione frequenter pernoctabat, & in agone constitutus prolixiùs orabat, & calicis translationem tertiò deprecabatur. Sic plurimos Sanctos diem cum nocte orando transmisisse legimus. Proscribitur hîc autem & condemnatur inanis quædam gentilitiáq; in orando garrulitas. Etenim cùm pagani eos inuocarent, propitiorumque numinum loco haberent, quos homines extitisse plerique eorum nihil dubitabant; perinde cum illis agebant atque cum hominibus, erroribus, perturbationibus, cæterisque humanæ naturæ miseriis obnoxiis.

Matth. 6.

Lucæ 6.

Lucæ 22.

Quid sit inter orandum multum loqui.

QVAMOBREM vt duros aut aliàs difficiles blanda oratione inflectere, absentes voce contentiore aduocare, causæ statum nescientes informare, aliud tandem agentes cohortatione attentos reddere consueuimus; ita illi minima opinione sua præsentia composita, absentia verò sonora oratione compellabant, quò nimirum hac ratione faciliùs, quod petebant, impetrarent. Sic sacerdotes Baal diu multumque Baal DEVM suum, vt exaudirentur, inclamasse scribitur: quos proinde Elias Propheta eiusmodi sarcasmo excepit: *Clamate voce maiori, DEVS enim est, & fortè loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant se, iuxta ritum suum, cultellis & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Sed & Dæmones quoque, quos in Iouis,

3. Reg. 18.

Dæmones citra externa indicia mortalium cogitatus cognoscere non possunt.

aut Mercurij, aut Apollinis, aut Herculis, aut alterius hominis personam transformatos colebant, reipsa vocibus, aliisque indiciis, aut signis, è quibus orantium conceptus haurirent, egebant; vt qui in illorum corda illabi, secretosque eorundem cogitatus rimari non possent.

Cur pagani & infideles prolixa oratione Deos suos inuocabãt.

DOMINVS itaq; non omne multiloquium inhibet, sed tantùm paganum vel paganorum cognatum; ait enim: *nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt.* Causamque, cur multa temerè verba profunderent, adferens, hæc subdit: *putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur.* Quæ dicit huc tendunt: Non alia illi de causa prolixè orant, quàm vt inuitos auersosue in sententiam suam pertrahant, vel certè vt ignaros de causæ vel egestatis suæ statu informent. Vnde rursum subiungit: *nolite ergo illis assimilari. Scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum*; quasi dicat: Illi clament, illi verba prodigant, illi Rhetorũ tropis & flosculis vtãtur, quibus res est cũ mutis insensatisq; statuis, aut, si quid eo amplius, cũ iis, qui, quid in homine est, scire non possunt; Vobis autẽ, quibus cum eo negotiũ est, qui vbiq; præsens est, omniáq; scit, priusquã fiant, non opus est multis verbis, sed iis solũ, quibus vota vestra patefaciatis, meamq; potentiam & misericordiam vos agnoscere declaretis.

Cuiusmodi sint illi, qui multum loquuntur, & parum orant.

MVLTVM ergo loquitur & parum orat, qui multiloquio suo DEVM perinde ac hominem in suam sententiam pertrahere laborat, quasi aliter inflecti nõ queat: Quandoquidem istud conari vel opinari, nõ tam stultum est quàm planè impium. Multum rursum loquũ & parum orare dici potest, qui inhonesta vel aliàs illicita à DEO efflagitat, esto concisissima oratione id faciat: Siquidẽ quicquid est contra legẽ vel rationem, hoc totum multum, imò verò nimiũ est; à DEO enim petenda sunt gratia & gloria, & quæ adhæc obtinenda sunt vtilia vel necessaria, nõ caduci honores, aut opes, non inimicorũ interitus, nõ huius generis alia; aut si quid istiusce modi petendũ est, absolutè petendũ nõ est. Multum nihilominus loquitur & parũ orat, qui inter orandum vtitur verbis nimiũ affectatis, aut nimis exquisitè compositis: tollunt hæc enim omnem deuotionis & spiritus gustũ, nec placent DEO, qui candore & simplicitate magis capitur, quã verborũ lenocinio. Multum tandem loquitur & parum orat, qui multa verba citra necessitatẽ eructat, etiamsi tantùm honesta vel licita petat. Absit ab oratione, scribit Augu-

Augustinus, multa locutio, sed non desit multa petitio, si feruens perseuerat intentio: Nã multũ loqui, est in orando rem necessariã superfluis verbis agere: plerumq; enim hoc negotiũ plùs gemitib. quàm sermonibus agitur. Patet ergo semp orare, & nõ multa loq; inter se non pugnare, quóue modo vel ratione bonus Christianus vtrumq; p dictorũ pstare queat, & pstare quoq; suo tẽpore debeat. Epi. ad Probam.

DE ORATIONIS FORMA.

De orationis textura vel forma idem certa quadam ratione dici potest, quod de eiusdem qualitate & quantitate iam dictũ est. Nam si est communis vel publica, ea solùm verborum forma recitari vel decantari debet, quę ab Ecclesia est præfinita: Nihil enim homini priuato circa eam rẽ immutare licet; sed vnũ illud simpliciter dependendum est, quod maiorũ auctoritate constitutũ est, & eo quidẽ modo & ordine & verborum tenore, quo cõstitutum est. Si autẽ est oratio priuata, cũ aliud nihil sit orare, quàm interni desiderij interpretem agere, potest vnusquisq; iis verbis vel signis inter orandũ vti, quibus desiderium suum commodè decenterq; exprimat; si tamen vocali oratione vti placuerit: Nam si ea vti non voluerit, nulla opus erit externa precandi formula.

Publica oratio ea verborum forma persolui debet, quę ab Ecclesia est præfinita.

Verumenimvero quòd multi passim comperiantur vsq; adeò rudes, vt neq; idoneos cõceptus formare, neq; vtcunq; formatos commodè exprimere valeant: Tum etiam quòd nõ omnes vbiq;, quid petere conueniat, satis exploratum habeant, operæprecium fuit, vt per quosdam idoneos rei illius artifices certę quędam orationis normę conciperentur, scriptóq; inuulgarentur, quę & simplices erudirent, & à formandi labore liberarent, & inane confusumq; multiloquium, quod ibi plerunq; accidere solet, vbi imperitia regnat, præpedirent, & deuotionem suo pondere & grauitate excitarent, & de tempore tandem, quo orationi vacandum est, incogitantes commonefacerent.

Vbi imperitia regnat, ibi multiloquium plerunque locum habet.

Ea propter Apostoli, quàm ardua res sit, commodè orare, nõ ignari, precandi methodum à Christo expetendam putauerunt. *Doce nos*, inquiunt, *orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos.* Quin in veteri Testamento quoq; multæ extabant orandi leges, multi precandi modi; quos ætatis illius sapientes diuino spiritu afflati, pro diuersis rebus impetrandis vel incõmodis auertendis conscripserant, populóq; communes fecerãt. At multò verò plures sub lege Euan- Lucæ 11.

Euangelica sunt editi. Vix vlla enim extat res, quæ honestè peti possit, de qua peculiares orationes & preces non sint conscriptæ. Est nihilominus magnus in eiusmodi orationibus delectus habēdus, ne forsan inde virus hauriamus, vbi mel quærebamus. Omniū præstantissimæ & tutissimæ sunt, quæ petuntur ex sacris bibliis; proximum locum tenent, quas vniuersalis Ecclesiæ vsus approbauit; postremum, quas diuturna particularium Ecclesiarum consuetudo recepit: Quamuis ne illæ quidem omnes satis sunt limatę & aptæ.

Triplex precū Ecclesiasticarum genus.

INTER omnes autem precandi formulas, omnium iudicio, principatum obtinet oratio Dominica; siue orationis huius dignitatem, siue fœcunditatem, siue ordinem, siue breuitatem, siue aliud quodcunque eiusmodi considerare lubeat. Est orationum omnium digniſsima; quia ab eo dictata nobisque tradita, in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt reconditi, cuique tradita est omnis potestas in cœlo & in terra; nempe ab vnigenito summi DEI Filio. Quæ oratio, scribit Cyprianus, potest esse spiritualior, quàm quæ à CHRISTO nobis data est? à quo etiam Spiritus sanctus nobis missus est? Quæ petitio apud patrem exauditior, quàm quæ ab ore Filij, qui veritas est, prolata creditur?

Oratio dominica exceditomnes alias orationes, quodcunq; tandem spectare libuerit.

Collo. 2.

Matth. vlt.

Oratio dominica est prestantissima.

De orat. Domi.

Actor. 2.

Ioan. 14.

EST fœcundissima, quandoquidem nihil extat, quod iustè peti queat, quod ea in se non comprehendat. Magna, scribit idem Cyprianus, sunt orationis Dominicæ sacramenta, quia multa & magna breuiter sunt in sermone collecta; ita vt nihil prætermissum sit, quod non in precibus & in orationibus nostræ cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur. Huic cognatum est illud Augustini: si rectè & congruenter oramus, nihil aliud petere possumus, quàm quod in oratione Dominica positum est. Et infrà: Si omnia sanctarum precationum verba percurras, quantum existimo non inuenies, quod ista oratio Dominica non includat. Et scripturarum exemplis, quod dixerat, verum esse per singulas petitiones ostendens, hæc subdit:

Oratio dominica fœcūdissima.

In exp. or. Dom.

Ad Prob.

Nihil iustè peti potest, quod dominica oratio non comprehēdat.

QVI dicit: *Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, vt Prophetæ tui fideles inueniantur*, quid aliud dicit, quàm *sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit: *Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus*, quid aliud dicit, quàm *adueniat regnum tuum?* Qui dicit: *Dirige gressus meos in semitis tuis secundùm eloquium tuum*, quid aliud dicit, quàm *fiat*

Eccles. 36.

Psal. 79.

Psal. 118.

voluntas

voluntas tua? Qui dicit: *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi*, quid aliud dicit, quàm *panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Qui dicit: *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius*, & iterum: *si reddidi retribuentibus mihi mala*, quid aliud dicit, quàm *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Qui dicit: *Aufer à me concupiscentiam ventris*, quid aliud dicit, quàm *& ne nos inducas in tentationem?* Qui dicit: *Eripe me de inimicis meis*, quid aliud dicit, quàm *sed libera nos à malo?* Et sic si per omnia sanctarum precationum verba discurras, nihil inuenies, quod in ista oratione Dominica non contineatur. Hactenus Augustinus, qui idem quoq; confirmat ex omnibus pene afflictionibus, quæ in hominẽ cadunt. Verùm non est huius loci fusiùs isthæc persequi: Pertinẽt ea enim ad singularum petitionum explanationem, quam hic non meditamur.

Prouerb. 30. Psal. 131. Psal. 7. Eccles. 23. Psal. 58.

Est eadem rursum sapientissimo ordine digesta. Nam cùm oratio desideriorum nostrorum interpres sit, consentaneum est, vt votorum nostrorum ordini respondeat ordo petitionum. Est autem desiderij & executionis dispar ratio: Siquidem id postremò plerunq; obtinetur, in quod voluntas primò fertur; Vnde dici solet, quod primum est in intentione, id vltimũ est in executione. In voluntatis autem desiderium primò cadit finis: mox ea, quæ sunt ad finem; & quæ fini sunt viciniora, ea voto sunt priora; sicut è diuerso, quæ executione sunt priora, ea à fine magis sunt dissita. At finis noster Deus est. In Deum autem voluntas vel desiderium nostrum bifariam tendit: Vno modo absolutè, prout nimirum secundùm se summum bonum est, & huc tendit prima orationis Dominicæ petitio; petimus hac enim nominis illius sanctificationem, eiusdemque gloriam & perfectionem. Altero modo relatè; prout nimirum summum nostrum bonum est; & ad hoc pertinet secunda petitio, qua regni illius aduentum exoptamus.

Oratio dominica sapientissimo ordine digesta.

Voluntas humana bifariam in Deũ fertur, absolutè & relatè.

Ad finem autem, qui Deus est, bifariam aliquid nos promouet; vno modo per se, altero modo per accidẽs. Per se huc nos dirigit bonum vtile, quod est bipertitum. Alterum primariũ, quale est, quod directè in hunc scopum nos transmittit. Eiusmodi bonum est vitæ æternæ meritum. Meritum autem religiosa diuinorum præceptorum obseruatione præcipuè comparatur. Atque huc spectat tertia Dominicæ orationis petitio, nempe illa: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Alterum secundarium minusque

Ad cœlestẽ beatitudinem, bifariam nos aliquid promouet, per se & per accidẽs.

principale, quo nimirum veluti instrumento externóque adminiculo ad sempiternæ vitæ fontem promouemur. Hoc autem ambimus, dum ita oramus; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; siue de naturali & terreno pane id accipiatur, siue de cœlesti & transnaturali, hoc est, Eucharistico & Sacramentali. Nam vt panis naturalis inter cibos naturales primas sibi vendicat; ita Eucharistia inter cætera Sacramenta, quæ sunt quædam spiritalia alimenta.

Tria sunt, quæ à cœlesti gloria nos impediunt.

PER accidens ad DEVM cœlestemque beatitudinem prohibentis vel præpedientis remotione dirigimur. Ab vtroq; autem tria nos impediunt. Horum primum & potissimum est peccatum; siquidem vnum hoc directè à cœlesti regno excludit. Et huc tendit quinta petitio, nimirum illa: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Secundò non parum sæpe institutum melioris vitæ cursum remoratur tentatio: Efficit enim hæc, præsertim si grauior extiterit, ne promptam DEO præstemus obedientiam: Quandoquidem sua natura inclinat ad peccatum; & nisi cautio & peculiare DEI auxilium adsit, frequenter in illud deiicit: & contra hanc assignatur sexta petitio, quæ est eiusmodi: *Et ne nos inducas in tentationem*. Tertiò & postremò non leue multis vinculum iniiciunt vitę huius miserię & pœnę, aliáque, quę vel ex his oriuntur, vel eas comitantur; & contra hæc facit vltima petitio, quæ talis est: *Sed libera nos à malo*. Alij alia ratione & methodo colligunt petitionum harum sèriem & numerum, sed in rem præsentem sat est iam assignata.

Oratio dominica pro rerũ pondere est breuissima.

EST tandem pro rerum pondere & sententiarum grauitate breuissima. Contexuit autem CHRISTVS Dominus orationem hanc verbis paucis, primò quidem quò hinc coniiciamus, inter orandum magis vtendum esse mente & animo, quàm verborum strepitu, Patremq; misericordiarum DEVM (modò pio submissóq; pectore inuocetur) facilimos aditus prębere. Mox verò quò absq; molestia & tædio crebriùs repeti, maioríque cum deuotione & attentione dici possit: Siquidem animus orationis prolixitate defatigatus, facili negotio ad inepta dilabitur. Postremò autem quò commodiùs ab omnibus valeat ediscì. Vix enim tam rudis aut indocilis quispiã comperitur, qui orationem Dominicam, saltem secundùm sententiam, dummodo velit, memoria complecti non possit. sęd & verba quoq; tanta non sunt, vt perdiscì non queant.

Causæ diuersæ, cur oratio dominica sit succincta.

QVAM-

QVAMOBREM omni excusatione indigni videntur, qui hęc non tenent, aut vt teneant, diligentem operam non nauant. Certè Concilium Toletanum quartum CHRISTVM omnibus, vt orationem hanc dicant, præcepisse affirmat. At quomodo dicent, si ignorant? Quin Remense Concilium quoq; nulli Christiano orationem Dominicam ignorare fas esse disertis verbis pronunciat: nisi quis forsan isthæc, aliáque similia, quæ alibi leguntur, non ad verborum seriem referenda existimet; sed tantùm ad orationis sententiam; omnibus enim generatim compertum esse debet, quid petendum sit, quidque honestè peti possit; hoc autem totũ habetur in oratione Dominica. Patet ex his ergo, quot modis & partibus oratio Dominica cæteris omnibus à quibuscunque tandem conscriptis præstet.

Can. 9.

Can. 2. Quiuis Christianus orationem dominicã discere obligatur.

NEQVE hinc tamen sequitur, solis illis verbis, quæ Dominus præscripsit, inter orandum perpetuò vtendum esse: vt insulsè aliquando putauerunt & docuerunt insani VValdenses. Nam & ipse CHRISTVS & Apostoli eiusdem post ipsum alia orandi forma persæpe vsi sunt. *Mi pater*, ait CHRISTVS, *si possibile est, transeat à me calix iste.* Item: *Pater sancte, serua eos in nomine meo, quos dedisti mihi.* Item: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Et Apostoli: *Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum.* Possumus ergo exemplo CHRISTI & Apostolorum, imò totius Ecclesiæ, quæ pro rerum diuersitate, quas petit, diuersis precationibus de more vtitur, quibuslibet verbis, dummodo sint commoda, secreta cordis nostri vota DEO patefacere.

Licet alia oratione quam dominica vti.

Matth. 26.

Ioan 17.

Luc. 23.

Actor. 1.

AT quanquam animi desiderium quibuslibet idoneis verbis depromere liceat, non licet tamen aliquid desiderare, aut petere, quod ad aliquam Dominicæ orationis partem reduci non queat. Nam, vt ex Cypriano & Augustino paulò antè demonstratum est, quicquid piè iustéq; peti potest, hoc totum CHRISTVS oratione illa complexus est. Quare cùm Dominus ait: *sic vos orabitis*, non cogimur, ὧ, sic aduerbium; ad verborum similitudinem referre, sed sat est, si ad rerum petendarum cognationem referamus, vt idem sit; sic orabitis, quod orantes similia petetis. Et eodem modo exponere licet illud Cypriani: Aliter orare, quàm CHRISTVS docuit, non solùm ignorantia est, sed etiam culpa. Sed neque CHRISTVS quoque tradidit eam formam

Nihil licet petere à Deo, quod ad aliquam orationis dominicę petitionẽ reduci non queat.

Matth. 6.

absolutè præcipiendo, sed tantùm erudiendo & informando ab Apostolis, vt Lucas narrat, ad hoc rogatus. Interim, vt proximè dicebamus, nullo modo culpa vacare putandi sunt, qui orationem hanc, neq; discũt, neq; dicunt, neq; vt discant & dicant incũbunt.

Porro autem soláne lingua vernacula disci & dici debeat; an verò lingua tantùm latina vel alia peregrina, hoc nos propter diuersos locorum & prouinciarum ritus & consuetudines in medio relinquimus. Generatim dici potest, qui priuatim & liberè orant, consultiùs facere, si ea lingua vel idiomate mentem suam coram Deo effundant, quam rectiùs callent. Quandoquidem affectus consequitur intellectum, vbi autem nullus eorum, quæ petuntur, vel dicuntur, habetur intellectus, aut quidam tantùm generalis, ibi ordinaria lege exiguus assurgit affectus. Quare nisi lex aut mos patrius obstet, idiotæ literarumq́ue rudes rectiùs faciunt, si orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum fidei, præcepta Decalogi, cæteráq; fidei rudimenta ea lingua ediscant, quam vnà cum lacte hauserunt, quàm si quamuis aliam externam vel peregrinam ad eam rem adhibeant.

Oratio dominica, cæteræq́;, quę ad Christianam catechesin spectant, ab iis qui latinè non callent & priuatim orant, salubriùs discuntur & dicũtur lingua vernacula quàm latina.

Dixerim, priuatim orantes consultiùs facere, si noto sermone inter orandum vtãtur, quàm si ignoto: Nam si qui sunt viri aut fœminæ, quæ horas Canonicas ex ordinis sui statuto publicè canunt aut legunt, illę instituti sui legibus accommodare se debent, & nõ promiscuè hac vel illa lingua vti. Sed & tolerabilius est quoque, si Italus, vel Hispanus, vel Gallus orationem dominicam latinè recitet, quàm si Germanus, aut Sarmata, aut Bohemus id faciat. Siquidem natiuum horum idioma cum lingua latina nullam prorsus cognationem habet, illorum satis magnã. Et hæc de orationis forma.

DE ORATIONIS LOCO.

Ad loci porrò, in quo orandum est, qualitatem quod spectat, ea ex precum discrimine, cuius semel atq; iterum iam antea mentio facta est, peti debet. Neq; enim par ratio est publicarum & priuatarum precum. Quamuis enim communes vel publicæ preces vbilibet locorum salubriter fundi queant, & pro rerũ necessitate, vel temporũ difficultate fundi quoq; nonnunquã soleant (nam & per agros & cãpos, ꝑ vrbes & vias publicas, per exercitus & nauales classes, & alia q̃uis loca ad impendentẽ cladem vel præsentem mise-

Publicæ preces pro rerũ necessitate vbilibet depromi possunt.

miseriam depellendam opportuna, stationes haberi possunt, nostraque & auorum nostrorum memoria sæpe habitæ sunt. Sed & Martyrum quoq; tempore Christi fideles in montibus & cryptis terræque cauernis, vel in priuatis ædibus multò frequentiùs cõuentus agitabant, quàm in publicis Basilicis; vt quæ perraræ id ætatis extarent) vsitatiùs nihilominus in locis certò ad hoc munus determinatis & destinatis, vt sunt templa publicaque oratoria, fundi habeique assolent; Quò nimirum ij, pro quibus funduntur, illi, si voluerint, sese coniungere; nec, nõ riténe ac decenter ea fiant, quæ communi omnium nomine fieri debent, explorat è cognoscere valeant. Nam, vt obiter suprà indicatum est, Ecclesiæ ministri non ea de causa ex publico sacróue censu aluntur vt otientur, verùm vt quotidie pro communi omnium salute precentur, debitumq; DEO cultum deferant: Sicuti in veteri Testamento leuitæ pro cæteris omnibus tribubus, quarũ sudoribus victitabãt, iugiter in tabernaculo DEO deseruiebant. Debent proinde publicæ preces publicis certisque locis persolui; sicut etiam certis statisque temporibus & horis; nisi publica forsan vtilitas, vel necessitas aliud quandoque postulauerit.

Quo fine sacris initiati ex sacro censu alantur.

ATverò priuatæ & liberæ preces, imò etiam præceptæ, quæ iure vel consuetudine nullum certum locum sibi determinant, quouis loco, dummodo cæteræ circumstantię non desint, depromi ac fundi possunt. Ad secretum orationis locum pertinet illud Christi: *Tu verò cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ad quemlibet promiscuè illud Apostoli: *Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira & disceptatione, similiter & mulieres.* Et illud item Prophetæ Regij: *In omni loco dominationis eius, benedicat anima mea Dominũ.* Et illud tandem Christi: *Veri adoratores Patrem in spiritu & veritate adorant.* Siquidem spiritus, quòd partis exors sit, abstrahit à loco & tẽpore. Præterea oratio exterior interioris voti vel desiderij interpres & index est: atqui interior vis animi fertur in Deum sine ordine ad certum tempus vel locum. Denique cùm Dei præsentia à nullo loco excludatur; (Scriptum est enim: *Ego cælum & terram impleo.* Rursum: *Quò ibo à Spiritu tuo? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me*) nullus

Matth. 6. Preces priuatæ vbilibet fundi possunt. 1. Tim. 2. Psal. 102. Ioan. 4. Hierem. 25. Psal. 138.

quoq; locus ab illius cultu & laude vacare debet, adeóque secluſa aliorum offenſione, quæ in mentali oratione locum habere non poteſt, in omni loco licitè adoratur & inuocatur.

VERVM enimuerò licet vbilibet locorum, etiam in ſtabulo, ſi alius cõmodior locus ſe nõ obtulerit, Deum inuocare, eiuſdemq; fauorem & opem implorare liceat; ſit id tamen conuenientiùs in locis ſacris, precibusq; fundendis ex inſtituto deſtinatis, quàm in profanis. Nam ſi ea omnia, quæ ad humanæ vitę vſum cõficiuntur vel adminiſtrantur, habẽt ſua certa & determinata loca (neq; eñ eodẽ loco cubatur & cœnatur; idem ſtatuatur de reliquis. ſingulæ enim artes, ſingulaq; munia, ſua ſortiuntur loca ſuasq; officinas) cur oratio, quę; vt rectè fiat, maxima attẽtione & ſtudio eget, nullum peculiarem locum ſibi vẽdicet? Vt ergo locus ſacer profanis negotiis tractandis non cenſetur idoneus: ita neq; locus omnis profanus vocalibus præſertim & debitis precibus ad Deum fundendis ſat cõmodus videtur; adeóq; ſi domi oratorium vel alius opportunus locus deſit, conſultiſsimum & decẽtiſsimum eſt, orationis cauſa publica templa adire.

Satius & vtilius & decẽtius quoque eſt in ſacro quàm in profano loco orationem facere.

SED neq; ſolùm decens eſt, orationis cauſa ſacra loca frequẽtare; ſed multis quoq; de cauſis vtile & fructuoſum eſt: Quandoquidem propter cõſecrationem, Chriſtiq; in ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramẽto, ſacrarumq; reliquiarum & Angelorum præſentiam; tum ob certam quoq; DEI Opt. Max. promiſsionem, (neq; enim minor eſt virtus Epiſcopi cõſecrantis, piiſsimasq; totius Eccleſiæ nomine preces adhibentis, quàm Salomonis) publica templa multò ad orandum, feruoremque excitãdum ſunt aptiora, multóque ad id impetrandum, quod petitur, efficaciora, quàm loca quæcunque profana.

Sacer locus multa offert, quę deuotionem excitant & augent.

MITTO hìc piorum exemplum, quod magnã vtiq; ad excitandam deuotionem vim habet. Quis enim ad orandum ſe nõ componat, dum alios ſecum agentes tam feruidas preces fundere cõſiderat? Mitto ſingularem eorundem, dum ad vnum aliquod opus ſanctè conſpirant, quiduis efficiendi vel impetrandi potentiã; notum eſt enim illud Chriſti: *Dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã, de omni re, quãcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.* Iam ſi tantam vim habet duorum, aut trium conſenſus ad impetrandum, quid non impetrabitur ſi aliquot millia, vt ſæpe fit, in vnum

Matth. 18.

Concurſus orãtium auget orationis vires,

vnum coierint? Deumq; pro re aliqua salutari, vel necessaria suppliciter rogauerint?

Templa pij cuiusdam monitoris munere funguntur.

Mitto tandem, locum sacrum pij cuiusdam admonitoris officio ppetuò fungi. Etenim qui horreum, vel cœnopolium, aut aliũ quemcunq; eiusmodi locum profanum ingrediuntur, nihil ferè vnquam obuium habent, quod de pietate fundendísue ad Deum precibus illos cõmonefaciat; sed multa potiùs, quę à precandi benéq; agendi studio seuocant. At verò vbi quis pio animi studio quodcunq; templum intrauerit, vt nullus adsit, qui exemplo, prouocet, aut consilio instiget, ex ipso statim loco lociq; cõpositione orandum esse intelligit. Atq; hinc factum videtur, vt in plerisque Germanię ciuitatibus publica templa ita sint exędificata, vt ostiis ex diametro oppositis publicam quasi semitam transeuntibus offerant, quò hac ratione ij quoq; ad orandũ prouocentur & inducantur, qui nullam fortasis de oratione cogitationem conceperant: Mouent enim obiecta sua natura sensus, & illi mẽtem. Patet hinc ergo, non solùm decorum esse, in locis diuino cultui dedicatis orare, verùm etiam vtile & salutare. Sed obiicis; Christvs Dominus, vt paulò antè auditum est, orationem priuatam secretò vult fieri, ait enim: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum &c.* Secretum autem & publicum inter se pugnant. Ad hoc breuiter dici potest, publicum & priuatũ ad orationis naturam secũdùm se nihil facere. Nam cùm orare, actus sit genere suo bonus, vbilibet fieri potest, et laude dignus est, vbicunq; tandem fiat, modò rectè fiat. At verò ad orãtem quod attinet, debet is eo loco & tempore orare, quo minùs impeditur, magisq; ad deuotionem incitatur. Si quispiam ergo eius ingenij est, vt in hominum turba orare non queat, vel cõmodè id non queat, aut sine aliqua inani gloria vel grandi distractione nõ queat, oret is domi, vel loco aliâs secreto, nisi priuatum votum, aut Ecclesiæ statutum, aut superioris mandatum aliud exigat. Contràverò si quis solus orans plerunq; friget, cum aliis autem orans calet, aut minùs friget, is orantium multitudini sese adiungat. Denique si quis ita affectus est, vt æquè commodè publicè orare valeat, atq; priuatim, si nihil impedit extrinsecum, consultiùs facit, si publicè cum aliis, quàm solus domi oret. Rationes huius paulò antè allatæ sunt nonnullæ, quibus maioris lucis causa vnam aut alteram adhuc addo.

Matth. 6.

Quijuis eo loco oret, vbi maiori spiritali fructu sese orare posse persuasum habet.

Primo

Honesta amant lucem. Ioan. 3.

PRIMO orare res est secundùm se honesta; iam vt turpia amant tenebras, ita è diuerso honesta amant lucem: *Qui malè agit*, inquit Christus, *odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Mox publicè orare non parum facit ad diuini cultus amplificationem proximique ædificationem; Certum est enim, quò plures ad publicam orationem conueniunt, eò diuinum cultum augustiorem populique deuotionem auctiorem reddi: Neque enim frustra à Domino nostro dictum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.* Pertinet huc quoque illud Petri: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes, glorificent* DEVM. Denique qui publicè orant, ab erroris vel hæresis suspicione, in quam fortè deuenire poterant, sese vindicant. Quis enim eum de religione rectè sentire diceret vel iudicaret, quem nulla re impeditum ad nullum vnquam publicum orationis locum, nisi vi præcepti fortè adactum, prodire cerneret? Addi hîc potest, si in locis publicis orare res esset mala vel minùs bona, DEVM per Spiritum suum nunquam suasurum fuisse, vt publica orationis loca non sine ingentibus sumptibus passim erigerentur & instituerentur.

Publica oratio diuinum cultũ ornat, & proximum ædificat. Matth. 5. 1. Pet. 2.

Illud autem Christi: *Tu cùm oraueris &c.* non condemnat eos, qui publicè orant; condemnat autem insulsam pharisæorum ambitionem. Consueuerant enim illi in Synagogis & angulis platearum stantes orare, quò ab hominibus viderentur, piique ac religiosi vulgo haberentur, quod orandi studium, vt vanum & fastu plenum, Deo placere non potuit. Sed neque præcepti quoque vim Christi dictum obtinet, sed tantùm consilij. Ostendit enim infirmis viam, per quam incedentes ab inani gloria & turba inter precandum liberi esse queant: Confutat hîc nihilominus quorundam paganorum errorem; putabant hi enim, DEVM quasi loco circumscriptum, in solis delubris supplicum preces audire, quod & falsum & cogitatu planè ineptum erat. Mysticè autem clauso ostio intra cubiculum orant, qui vbicunque tandem orationi vacent, irruentibus malorum cogitationum turbis nullum locum præstant, curasque seculares, & quicquid tandem feruenti orationi impedimentum adferre potest, studiosè eliminant. Verùm de orationis loco satis.

Cur Dominus precaturos secretum cubiculi petere hortetur. Matth. 6.

Quid sit mysticèin cubiculo orare.

DE

De orationis tempore, quæ necessaria videbantur, exposita sunt iam antè: Quòd si quid adhuc reliquum est, illud, vbi de horis Canonicis seorsum disseretur, cõmodiùs explicabitur. Hîc vnum id solùm monuerim, nempè, publicas preces tempori, quod vel lege præfinitum, vel more receptum est, accommodari debere; priuatim autem orantes quauis diei hora orationi salubriter vacare posse. Fallũtur enim, qui solis dominicis & festis diebus orãdum putant; nam etsi dies illi peculiari quadam ratione pietati & deuotioni nuncupati & consecrati sint, cæteris tamen diebus ab oratione non est prorsus abstinendum. Sanè qui manè, antequã ordinarium opus adoriuntur, & vesperi rursum, priusquam quieti sese dedunt, breui saltem oratione sese non muniunt, illi Christiani hominis officium nimis supinè & negligenter qbeunt, magnęque ruinæ periculo sese exponunt.

Non solùm festis, sed etiã pro festis diebus orandum est.

De corporis compositione & situ, cæterisq; gestibus & cæremoniis, quarũ cùm in publica tum in priuata quoq; oratione vsus est, sacræ literę nihil, quod prȩcepti vim prę se ferat, tradunt. Scribit sanè Paulus: *Volo viros in omni loco orare leuãtes puras manus*. Et alio loco: *Flecto genua mea ad patrẽ domini nostri Iesu Christi etc.* Sed neq; per hoc, vt inter orãdum genua incuruemus, neq; per illud, vt manus subleuemus, mandat. Verùm verbo & exẽplo, vti castas humilesq; preces fundamus, tantùm suadet. Sed neq; sacri quoq; Canones aliud ferè his de rebus decernunt, quàm vt ad Euangelij lectionẽ stetur, ad nominis Iesu pronunciationem genu flectatur, ad versiculum, Gloria Patri & Filio &c. assurgatur, ne ad cõmunem orationem inter Pascha & Pẽtecosten genua curuentur. Quamobrẽ in publica oratione vnusquilibet Ecclesiæ suæ ritum & consuetudinem obseruet: in priuata autem id sequatur, quod in finem, in quem tendit, præ cæteris vtilius fore arbitratur.

1. Timoth. 2. Ephes. 3.

De corporis, gestibus & cæremoniis, quas inter orandum adhibere oportet, Scriptura & Canones pauca præscribunt.

Hvgo Victorinus de externis eiusmodi ritibus & cæremoniis, scribit alicubi in hunc modum: Sunt quædam in Ecclesia Sacramenta; in quibus etsi principaliter salus non consistit, tamẽ ex his salus augetur, inquãtum deuotio exercetur. Et ex iis quædam constant ex rebus, qualia sunt aquæ aspersiones, susceptio cinerũ, benedictio florum, cereorum, & huiusmodi. Aliqua cõstant ex factis; qualia sunt signaculũ crucis, exufflatio exorcizationis, expãsio manuum, incuruatio genuum, & huiusmodi. Aliqua cõstant in

Cæremoniarum rerumq; Sacramentalium aliæ constant rebus, aliæ factis, aliæ dictis.

dictis, vt Trinitatis inuocatio. Signa proinde corporalia & gestus, quæ in oratione adhibentur, suam quoq; significationē habent.

CAETERVM vt in quauis oratione duo minimùm se offerunt, vnus nimirum, qui rogat, alter qui rogatur: ita orantium gestus duo designant. Alterum ex his pertinet ad Deum, qui inuocatur; alterū ad hominē, qui inuocat. Ad Deum spectat vultûs ad Orientem cōuersio; Significatur hac enim, vt sol & lux, quæ inde oriuntur, & quendam inter sui ordinis res principatū obtinent, hęc quidem inter corporeas qualitates, ille verò inter cætera cœli luminaria; ita Deum, ad quem oratio dirigitur, naturas oēs procreatas immenso interuallo post se relinquere. Cùm ad orationē stamus, scribit Augustinus, ad Orientem cōuertimur, vnde cœlum surgit, non tanquam hìc habitet Deus, quasi cæteras mundi partes deserens, qui vbiq; locorum præsens est, non locorum spaciis, sed præsentia maiestatis; sed vt admoneatur animus ad naturā excellentiorē sese conuertere, hoc est, ad Deum, cùm ipsum corpus, quod terreum est, ad corpus cœleste excellentius conuertitur.

Quare Orientē versus oretur, plures extant causę.

Lib. 2. de serm. Dom. mont.

DAMASCENVS communi huic rationi addit quasdam alias: Deus, scribit ille, paradisum non ad Occidentem, sed ad Orientē, vbi hominē plasmauit, posuit: quem inde quoq; propter trāsgressionem, expulit. Antiquam igitur patriam inquirentes, & oculum ad ipsum conuertentes, Deum adoramus. Moyses quoq; tabernaculum, velum, & propitiatorium Orientem versùs habebat: Et in Salomonis templo porta Domini ad Orientem statuta erat: Et Christus crucifixus ad Occidentem spectabat: Et assumptus ad Orientem ferebatur, & sic illum Apostoli adorauerūt; ipsum igitur expectantes ad Orientem adoramus. Hæc Damascenus & alia quædam in eandem sententiam.

Lib. 4. cap. 13.

Christus in crucem actus Occidentem spectabat.

ADDI his potest, licet Deus ex æquo sit vbiq;, attamen quòd recepto loquendi modo, ibi magis esse perhibeatur, vbi peculiariùs operatur, (familiariùs enim dicitur, esse in cœlo, quàm in inferno, aut in alio quouis loco) fieri, vt certa quadam ratione magis censeatur esse in Oriente quàm in Occidente: Quandoquidem in sublunari hoc orbe pleraque omnia per corporum cœlestium motum, qui ex oriente cœli parte exordium facit, moderatur & efficit. Ob hāc igitur efficiendi vim, quæ in ea cœli regione euidentior existit, DEVM in Oriente collocamus, eundemq; adora-

Deus ibi magis esse dicitur, vbi peculiariùs operatur.

adoraturi Oriẽtem versùs ora conuertimus. Iudæi porrò, ne cum idololatris, qui solem orientem, reliquaq́ue astra, quæ inde exurgunt, adorabant, conspirare viderentur, intra templum constituti Occidẽtem versùs adorabant: Extra templum autem, vbicunque terrarum egissent venerationis causa, templum versùs perpetuò se incuruabant.

Quò Iudæi sese cõuerterint intra vel extra tẽplum oraturi.

AD DEI itaq; maiestatem designandã pertinet, quòd contra Orientem adoramus: Cætera ferè, vt sunt genuflexio, prona adoratio, pectoris tunsio, manuum subleuatio vel cõplicatio, aliaq́; eiusmodi complura, ad nos potiùs quàm ad DEVM spectant. Sunt isthæc enim certi quidam interni hominis indices. Nulla itaque ex eiusmodi cæremoniis est otiosa, tametsi publicè non quæuis sint adhibendæ, sed eæ solùm, quæ iure neminẽ offendere queãt. At de præcipuis orationis circumstantiis satis; si quæ sunt aliæ, eæ ibi commodiùs explicabuntur, vbi de efficacis orationis adminiculis & impedimentis peculiarem disputationem instituemus.

Cuiusmodi cæremoniæ & gestus publicè inter orãdum adhibendi.

De orationis vi cùm pro se, tum pro aliis quoq; fusa.

CAPVT QVARTVM.

HACTENVS de præcipuis orationis partibus, vulgatioribusq́ue eiusdem circumstantiis disputatum est; nunc ordinis ratio postulat, vt de illius vi & efficacitate nonnulla quoque in medium adferamus: Siquidem cuiusque rei quidditatem consequitur sua vis & operatio, vnde de ipsius natura iudicium fieri queat. Nam quale est vnumquodq;, talia operatur, & vice versa, tale est cuiusque opus, quale est illius esse vel natura, vnde dimanat. Orationis autem vis est tanta, vt vix vllus orationis modus eam consequi valeat. Neq; enim vllum malum extat tantum, quod orationis virtute profligari non possit; neq; vllum rursus bonum tam illustre, quod eiusdem ope & adminiculo obtineri non queat.

Vnaquæuis res & natura suam sortitur vim, suamq́; operationem.

ORATIO enim, vt summatim vires illius ob oculos ponam, noxas sanat: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nonne oportuit & te misereri conserui tui?* Est hîc sermo de noxarum, non de pecuniarũ debito. Oratio dæmones fugat: *Hoc genus dæmoniorũ non*

Cap. 18. Matth.

Lucæ 18. Matth. 17.

Iacob. 5. *eiicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Oratio corporis languores sanat: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Oratio fluxam & Esai. 38. caducam hanc vitam prorogat: *Et orauit ad Dominum Ezechias, & dixit: Obsecro Domine &c.* sequitur: *Audiui orationẽ tuam, & vidi lachrymas tuas, Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos.*

Oratio pacem & tranquillitatem conciliat: *Obsecro primùm* 1. Tim. 2. *omnium, orationes fieri pro omnibus, vt quietã & tranquillam vitã habeamus.* Baruch 4. Oratio ab hostibus & inimicis liberat: *Clamate ad Dominũ, et liberabit* Esai. 38. *vos de manu principum iniquorum.* Item: *Audiui orationem tuam, de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Oratio Exod. 17. victoriam impetrat: *Cùm Moyses leuaret manus, vincebat Israël.* De hoc effectu ingentem exemplorum vim suppeditant Machabæorum Iacob. 5. libri. Oratio animi tristitiam & ægritudinem sedat: *Tristatur aliquis in vobis, oret æquo animo, & psallat.* Oratio soli vbertatem & pluuiam Iacob. 5. obtinet. *Multum valet deprecatio iusti assidua: Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.*

Iacob. 1. Oratio parit sapientiam & intellectum: *Si quis indiget sapientia, postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Et alio 3. Reg. 3. loco: *Quia postulasti verbum hoc, et non petiuisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tãtum; vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Gen. 25. Oratio sterili vtero fœcunditatem impertit: *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui audiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Sic Anna Helcanæ vxor Samuelem & alios liberos 1. Reg. 1. precibus à Deo impetrat.

Daniel. 13. Oratio eruit à probro & morte, vt patet de Susanna, Sara Ra-
Tob. 3. 8. guelis filia, & aliis præterea quam plurimis: Oratio iratum Deum placat, eiusdemq; manũ ab intenta clade cohibet: *Cur Domine iraExod. 32. scitur furor tuus contra populum tuum? Quiescat ira tua; Esto placabilis super nequitiam populi tui. Et placatus est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersùs populum suum.* Oratio cœlum & paradisum aperLucæ 3. rit: Iesv *Baptizato & oranti apertum est cœlum.* Et infrà: DoLucæ 23. mine, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum; Dixit illi* Iesvs: *Amen*

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Denique nihil ita eſt arduum, nihil tam difficile, quod per orationem aut factum non ſit, aut certè fieri non poſsit; ſtat enim immotum DEI verbum: *Quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Matth. 21.

POTERAT ſanè hæc ſola effectuum orationis enumeratio factęque à CHRISTO ſponſionis allegatio, ſat eſſe ad perſuadendum & euincendum, admirabiles eſſe ſanctarum precum vires: Verùm quòd frequens admodum cùm in ſcholis tum in publicis quoque concionibus hac de re incidere ſoleat mentio, quodque ad excitandum orantium ſtudium non parum valeat exploratum habere, quantæ pię orationis ſint facultates, in rem fore exiſtimaui, ſi aliquantò latiùs & ordinatiùs de orationis efficacia hoc loco diſſererem. Frequens mentio de orationis viribus in publicis concionibus.

CAETERVM cùm variæ precum ſint formæ variæq; earundem effectiones; prout ex variis fontibus naſcuntur, vel ad varios fines referuntur, ad noſtrũ tamen inſtitutum quod attinet, commodè omnes ad tria capita reduci poſſunt. Certum eſt, omnem omnino orationem vndecunque profectam, vel ad quemcunque finem relatam, aut viuam eſſe, aut mortuam, aut mortiferam. Viuam dicimus, quæ naſcitur ex charitate; mortuam, quæ ex bono virium naturalium vſu dimanat, nõ tamen ex gratia; mortiferam, quæ intrinſecè noxam aliquam includit, qualis eſt, quæ fertur in rem ſecundùm ſe illicitam: vt ſi quis petat re vel vxore aliena potiri, aut inimicum occidere, aut aliud quodcunque flagitium deſignare. Omnis omnino oratio aut viua eſt, aut mortua, aut mortifera.

ET quia qualis eſt oratio, talis eſt orator; vel contrà veriùs qualis orator, talis eſt oratio, ſequitur, triplex orantium genus eſſe. Alij enim ſunt iuſti, alij peccatores, alij peccantes; peccantes fundunt orationem mortiferam; peccatores mortuam; iuſti viuam: ſiue pro ſe illam fundant, ſiue pro aliis. Nam etſi non pari fructu pro ſe quis oret & pro altero, attamen cuiuſcunq; tandem conditionis peccator extiterit, vt pro ſe ita pro altero quoq; orare poteſt. Nihilominus quòd charitatis ordo ſuadeat, & naturæ quoque lex doceat, priùs propriæ, quàm alienæ, ſalutis rationem habendam eſſe (iubemur enim proximum diligere non ante nos, aut ſupra nos, ſed ſecundùm vel iuxta nos, vel ſicut nos ipſos, ita vt modus proximi diligendi petendus ſit ex modo, quo nos ipſos Triplex peccatorum genus.

diligere obligamur) priùs explicandum est, quid oratio conferat suo auctori, quàm quid alteri, pro quo fortè depromitur.

Oratio generatim accepta trifariam valet, per modum meriti, solutionis, & impetrationis.

Non omnis oratio est meritoria, aut satisfactoria, aut impetratoria. Si quid tamen valet, ad aliquid istorum valet.

Solet autem dici, orationem generatim acceptam trifariam valere, nimirum per modum meriti, per modum solutionis vel satisfactionis, & per modum impetrationis; non quòd omnis omnino oratio tria hæc semper & certò præstet (planum est enim, orationem mortiferam neque vitæ æternæ meritoriam, neque satisfactoriam, neque ordinaria quoque lege impetratoriam esse: Hoc ipsum etiam de mortua dici potest: nam etsi hæc nonnunquam impetret, precantique in solutum cedat, neutrum tamen horum ex se, vel ex lege habet, sed tantùm ex Dei Opt. Max. liberalitate. Sic etiam non omnis oratio meritoria & satisfactoria, semper quoq; est impetratoria; & vice versa, non omnis impetratoria, semper quoque est meritoria vel satisfactoria) sed quòd omnis omnino orationis fructus, qui latissimè alioqui patet, ad tria hæc membra referri soleat; sensus enim allegatæ sententiæ est: Quicquid boni oratio de se fundit, hoc totum pertinet ad vitæ meritum, aut ad satisfactionem, aut certè ad rei petitæ impetrationem.

Vnde habeat iusti oratio, vt vitæ æternæ sit meritoria.

Quod autem iustorum oratio sempiternæ vitæ sit meritoria, prolixa probatione nō indiget: Etenim si omnis omnino formatæ virtutis actus cœlestis gloriæ est meritorius, vt fatentur orthodoxi omnes, quantò magis iustorum oratio, quæ præstantissimæ virtutis, nempè latriæ vel religionis opus est, id erit? At non habet iusti hominis oratio illam vim ex se, siue ex natura sua, sed ex Dei gratia liberalique eiusdem promissione, sicut reliqua omnia opera meritoria: charitas enim & gratuita sponsio sunt, quæ dant illis vitam & pondus. Quòd si alterutrum horum excluseris, cœlestem gloriam iure petere nequaquam valebis; notum est enim illud Apostoli: *si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et alterum illud eiusdem: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Constat hinc, propriæ rationis meritum tria includere, nimirum opus humanum, Dei gratiam, & eiusdem pactionem; verùm non est huius loci disputare de merito, aut de iis, quæ ad constituendam plenam meriti rationem deposcuntur. Solùm

1. Cor. 13.

Rom. 8.

Propriæ rationis meritum tria includit, opus humanum, Dei gratiam, & eiusdem pactionem.

autem

autem ostendere volui, iustorum orationem vitę æternæ esse meritoriam: hoc autem meritum pendêre ex tribus capitibus.

Est eadem quoque satisfactoria: Quandoquidem generali quadam ratione omne omnino viatoris opus verè & propriè meritorium simul quoq; solet esse satisfactorium: & è diuerso omne opus propriè & de rigore iustitiæ satisfactorium, gratiæ & gloriæ consueuit esse meritorium. Neque enim audiendi videntur, qui ad iustitiæ amussim per opera mortua Deo satisfieri posse contendunt, tametsi is pro sua benignitate insigníque liberalitate eiusmodi opera frequenter in solutum admittat, iustáque mercede pensare soleat. Decet namque summam illius clementiam, vt peccatores ad se confugientes recipiat, eorundemque opera moraliter bona, etsi vitæ spiritu destituta, aliquo etiã loco & precio habeat; interim istiusmodi opera non sunt propriè satisfactoria, multò verò minùs meritoria. Quare si Deus illa in pœnarum condonationem nõ admitteret, peccator iniquè secum agi, iure conqueri non posset: hoc autem posset, si propriè & de lege satisfactoria forent, vt notum est satis.

Iustorum oratio de iustitia est satisfactoria, iniustorũ non item.

Adhaec vt opus aliquod apud Devm sit satisfactorium, sat est, si ex charitate sit ortum, carnisque sensui sua natura molestum. Vtrumque autem comperitur in iustorum oratione. Neque enim vllus omnino potest esse iustus & gratia destitutus. Quòd autem orare, carni eiusdemq; sensui sit molestum, præter certam experientiam ratio manifesta demonstrat. Etenim cùm ardens oratio mentem ad Devm subleuet, sensus autem rationem ad ima trahat: nempè ad ea, quę carni sunt suauia, necessariò inter sensum & rationem intestina quædam pugna exurgit; hæc verò, quòd ratio, dum feruidè oratur, victoriam obtineat, carnem naturaliter affligit. Rursum quicunque orationi seriò incumbunt, hinc suam inopiam, miseriam, infirmitatem, ingratitudinem, aliáque eiusmodi; inde verò Dei maiestatem, gloriam, potentiam, cæterasque eiusdem perfectiones expendunt; at vtriusque rei consideratio animo tristitiam ingenerat: Siquidem miseriæ concipiuntur vt præsentes, vt verè quoque præsentes sunt, Devs autem, qui solus hisce mederi potest, vt absens. Denique piorum oratio includit cordis compunctionem, & Dei super omnia dilectionem; vtrumque autem doloris sensum a iunctum habet.

Oratio suapte natura carni est molesta, & vnde hæc molestia proueniat.

Alle-

Allegarem in hunc locum scripturas & veteres patres, verùm cùm eandem satisfaciendi vim tribuant orationi, quam ieiunio & eleemosynæ, de quibus fusè suprà actum est, superuacaneum duco. Est itaque oratio non solùm vitæ sempiternæ meritoria, sed pœnarum quoque expiatoria.

Est eadem tandem impetratoria: Hæc assertio cùm ex multis Christi Domini promissis multisque exemplis & scripturarum testimoniis paulò antè allatis, & quæ in rem præsentem, si opus id foret, adferri adhuc possent, sit manifesta, accuratiorem probationem nullam postulat. Solùm monuerim, vt non omnis oratio impetratoria simul etiam est meritoria aut satisfactoria (constat namq; Diuos in cœlo multa nobis impetrare, qui tamen nullum meritum colligunt; neque vllum rursum domesticum debitum exoluunt; sic quoque iniusti & peccatores Deum enixè inuocantes, eiusdemque opem & misericordiam submissè implorantes, persæpe votorum compotes euadunt, qui tamen, quòd charitate destituantur, neque merentur, neque propriè quoque satisfaciunt) ita non omnem quoque orationem meritoriam aut satisfactoriam, semper etiam impetratoriam esse. Causa huius est, quia non omnes iusti eas conditiones adhibent, quæ oratio impetratoria deposcit. Quæ autem istæ sint, id postea explicabitur ex instituto.

Nõ omnis meritoria oratio semper quoque est impetratoria.

Quae obiter hactenus exposita sunt, ea planum faciunt, quantum cuiusq; rationis oratio priuatim pro se fusa prosit, prodesséue possit. Etenim viua, gratiæ & gloriæ est meritoria, pœnarumque temporalium expiatoria. Impetratoria autem non est semper, sed tum demum, cùm cõditionibus, quæ ad rem petitam certò impetrandam habentur necessariæ, est ornata. Mortifera autem neque temporariam neque spiritalem vitam, neque vllam etiam promeritarum pœnarum relaxationem promeretur; sed mortem tantùm & maiorem condemnationem. Sed neque de lege quoque postulata impetrat; quòd si quandoque impetrat, in noxæ & pœnæ augmentum impetrat. Concedit enim Deus aliquid interdum iratus, quod negat placatus. Oratio tandem mortua, neque de iustitia est meritoria, neque de lege est satisfactoria. Est tamen vtrumque nonnunquam ex gratia. Est autem eiusmodi oratio sæpenumero impetratoria. Audit enim Deus peccatores

Oratio mortua sæpe impetrat, & ex gratia pœnarum debita expiat.

catores frequenter & libenter, dum ad ſalutem vtilia vel neceſſaria humiliter petunt. Patet id de Magdalena, Publicano, Zachæo, Latrone in cruce, & aliis penè innumeris, quos Scripturæ in exẽplum nobis proponunt.

QVARE etiam mortua oratio ſuas vires ſuosque fructus & vſus habet, eosque varios: Diſponit enim ad gratiam & peccatorum remiſsionem; Impetrat bona temporaria & magna interdum imperia; Impedit peccatum ſi erat præcepta, vel aliâs debita; Generat bonos habitus, vitiisque cùm aliis, tum iis præcipuè, quæ ipſi magis aduerſantur, vt ſunt ſuperbia, inanis gloria, & alia eiuſmodi, potẽter obſtat; Retinet Angelorum cuſtodiam; Excitat diuorum interceſsionem; Deniq; tam multa bona procreat & impetrat, vt nunquam ab ea deſiſtendum ſit, vtcunque tandem homo ſeſe affectum inueniat. Hæc de valore orationis pro ſe fuſæ hactenus.

Iniuſtorum oratio nõ eſt ſuperuacanea, ſed multorum bonorũ ſæpe cauſa.

QVID porrò virium oratio pro aliis fuſa habeat, id ex illorum ſtatu & qualitate præcipuè ſpectari debet, pro quibus funditur. Continentur hi autem ſub quadruplici diſcrimine: Etenim hominum alij etiamnum verſantur in hoc ſeculo; alij cum CHRISTO triumphãt in cœlo; alij expiantur in purgatorio; alij tandem propter ſcelera ſua plectuntur in inferno; à quibus eos non diuello, qui detinentur in puerorum limbo, eſto hi ſenſilis pœnæ expertes viuant.

Quatuor hominũ genera quatuor diſtinctis locis ſeiuncta.

PRECES pro illis fuſæ, quos certò conſtat, cœleſti beatitudine iam donatos, non ſunt cordatæ neque officioſæ; ſed ſtultæ, & illis, pro quibus funduntur, quadantenus iniurioſæ. Iniuriã enim facit martyri, vt eſt apud Auguſtinum, qui pro martyre orat. Aſt idem iudicium eſt de martyre, & de quouis alio, ad claram DEI viſionem admiſſo. Quamobrem, qui pro infantibus poſt ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum extinctis orant, aut pro illorum ſalute ſacra fieri curant, non modò inutilem operam nauant, ſed certo quoq; errore ſeſe detineri declarant. Quod ſi verò officium illud ei præſtatur, quem cœlo inſitum eſſe certò, hoc eſt, per iudicium Eccleſiæ non conſtat, opera non perditur; Nam præter meritum, quod oranti hinc obuenit, ipſi quoque beato, pro quo oratur aliquod accidentarium gaudiũ inde prouenit: Gaudent enim Sancti, cùm intelligunt, amicos vel domeſticos ſuos pio quodam

Pro iis, quos certò beatos eſſe cõſtat, nõ eſt orandum.

affectu preces sui causa offerre, aliáque pietatis munia obire. Sed & excitantur hac ratione quoque, ne sint ingrati ad ἀντιδωρεὰ præstanda.

In Enchir.

At verò preces illorum causa depromptæ, qui detinentur in purgatorio, prosunt illis, vt vel citiùs inde liberentur, vel certè vt remissiùs ibi torqueantur; notum est enim illud Augustini: Quibus prosunt, ad hoc prosunt, vt plena fiat remissio, aut tolerabilior damnatio, hoc est, pœna, quę in purgatorio irrogatur. Et illud eiusdem: Orationibus sanctę Ecclesię, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt; hoc enim à patribus, hoc est, Apostolis, traditum vniuersa seruat Ecclesia. Verùm de hac controuersia alibi actum est diffusè.

De verb. Apost. Serm. 34.

Pro animabus, quæ detinentur in purgatorio, orandum.

Tandem qui studio pro iis orant, quos apud inferos torqueri probabiliter existimant, vel quòd in Caluiniana, vel Lutherana, vel alia quacunque hæresi, vel alio lethali & publico crimine impœnitentes vitæ finem fecerint, vel quòd sibi ipsi mortē sponte attulerint, illi neque Ecclesiæ legi eiusdémue consuetudini, neque diuinæ quoque voluntati satis consentaneè orant. Vult enim Deus in mortifero peccato extinctos, absolutéque damnatos in æternum citra vllam pœnarum relaxationem punire. Sed & Ecclesia quoque pro talibus orare non intermitteret, si alicuius præsidij capaces essent. Verùm qui imprudētes pro damnatis orant, (quales sunt, qui eos in purgatorio detineri credunt, qui apud inferos pœnas luunt) non peccant, sed Christiani hominis officium præstant, tametsi nullum prorsus sua oratione inferni mancipiis auxilium aut solatium adferant.

Pro iis, quos in mortali peccato extinctos esse cō stat, non est orādum.

Svnt qui piorum preces aliáq; pia opera hactenus damnatis prodesse opinātur, quatenus per illa à pœnis temporariis, quas pro noxis venialibus, aut peccatis lethalibus semel condonatis debebant, liberari valeant. Verùm hæc opinatio non modò cum communi illo axiomate pugnat, quo asseritur & creditur, nullam apud inferos redemptionem esse; sed cum communi quoque orthodoxorum omnium cōsuetudine. Nemo enim ex professo pro iis orare solet, quos certæ damnationi obstrictos putat. Augustinus quoque non magis se pro patre oraturum profitetur, si illum damna-

Cōmuni Ecclesiæ & bonorum omnium consuetudini aduersantur, qui pro damnatis orant, vt à venialium peccatorum debito soluantur.

damnatum certò sciret, quàm pro diabolo. Denique (nec enim in hisce immorandum est) dives ille epulo ne guttam quidem refrigerij, cùm studiosè illam quæsiuisset, inuenire potuit; & tamē dubium nullum est, quin inter peccata mortalia, propter quæ dānationem incurrerat, multa quoq; venialia cōflasset, quę in vita per pœnitentiam non expiauerat, à quibus tamen, si illorum sententia vera esset, in inferno constitutus absolui potuisset. Taceo hîc, damnatos prorsus indignos esse, quibus vlla omnino suffragia applicentur. Nam cùm tales sint capitales DEI hostes, diu noctúq; conuiciis blasphemisq; vocibus ipsum impetētes, quis pro iis rogare instituat? Certò itaq; dānatis, sicut & certò quoq; beatis mortaliū preces nihil prosunt, adeóq; pro talibus nunquā orare licet.

ORATIONES autem, quas viui pro viuentibus DEO offerunt, tam iis, qui offerunt, quàm iis etiam, pro quibus offeruntur, vtiles ac salutares esse, demonstrant quàm plurima scripturarum exempla, confirmantq; innumera sanctorum Patrum dicta, praxisq; & consuetudo Ecclesiæ perpetua: Quandoquidem iam inde à religionis exortu semper receptum fuit, vt alteri pro alteris orarent: atqui incassum planè alter pro altero interpellaret, si vnius interpellatio alteri nihil conferre posset. Verùm vt hoc certum & apud omnes rectè sentientes indubitatum est; ita à multis sæpe quæsitū & dubitatum est, ecquidnam vnius oratio alteri præstare queat. Sunt enim, qui orationi pro altero depromptæ nimium tribuunt; alij rursum, qui nimis parum; alij demum, qui non id, quod debebant, sed aliud, quod nō debebant, prout de rebus dubiis, vel non satis exploratis varia iudicia emergere solent.

Vt certum est, viuorum preces viuētibus prodesse posse, & multū sæpe prodesse solere, ita non satis compertū esse, quomodo, quáue via vel ratione illis profint.

VIDETVR autem quæstionis huius decisio ex duplici capite præcipuè pendēre: nempe ex illorū discrimine, qui pro aliis orant; & ex eorum rursus, pro quibus alij orant. Hoc autem discrimen est quadripartitum. Aut enim iustus orat pro iusto; aut iustus pro iniusto; aut iniustus pro iniusto; aut iniustus pro iusto. Huic quadripartitæ distinctioni adde alteram illam de triplici orationis valore. Ostensum est enim, iustorum preces æternæ vitæ meritorias, promeritarum rursum pœnarum expiatorias vel satisfactorias, & eius tandē, quod petebatur, impetratorias esse; aut, quod in idem redit, valere per modum meriti, per modum solutionis, & per modum impetrationis. Hac distinctione posita, duo statim

discutienda hîc sese offerunt. Alterum est, quid iusti oratio in ratione meriti, satisfactionis, vel impetrationis conferat iniusto vel alteri iusto. Alterum est, quid per viam meriti, solutionis, vel impetrationis iniusti oratio conferre valeat iusto vel alteri iniusto. De vtroque capite disputari posset prolixè, verùm quia aliô festinamus, perstringemus capitum horum membra compendio.

SIT itaque primum in hac controuersia quæsitum, iustíne oratio alteri iusto valeat ad vitæ meritum, siue ad gratiæ incrementum; iniusto verò ad obtinendam primam iustificationis gratiam. Ad vtrumque valere defendunt nonnulli. Allegant in sententiam suam Gregorium, qui ediserens illud Euangelistæ:

Cap.7.Matth. *Videns* IESVS *fidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, ita scribit: Quantum valet apud DEVM fides propria, apud quem tantum valuit fides aliena? Hîc insinuatur, aiunt illi, offerentium fidem contulisse paralytico ad peccatorum remissionem, adeóque ad impetrandam primam gratiam; siquidem nullius peccati remissio contingit sine gratia. Allegant & illud

Cap.16. Lucæ quoque: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis*, hoc est, ex charitate excideritis, per pauperum preces *recipiamini in æterna tabernacula*; hæc autem receptio ponit gratiam

1.Ioan.5. & charitatem. Et illud rursum Apostoli Ioannis: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur illi.* hîc rursum per aliorum preces vita promittitur peccantibus peccatum non ad mortem. Atqui peccatum nõ ad mortem, est quoduis peccatum mortiferum, excepto finalis impœnitentiæ peccato, quod peccatum in Spiritum sanctum appellari consueuit. Et illud tandem

Cap.5. Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum; & oratio fidei saluabit infirmum, etsi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Iam si iustorum preces valent ad impetrandam primam gratiam, multò magis valebunt ad acceptæ gratiæ augmentationem: Siquidem longè difficilius est, vitam amissam recuperare, quàm in accepta vita progressum facere. Hæc illi; nec malè, si de congrui impropriæue rationis merito, quod donantis gratia & liberalitate, nõ etiam operis dignitate nititur, id astruunt. At si ad meritum iustitiæ vel condigni, quod dicunt, referunt, vt fortè referunt, nulla ratione admitti possunt.

AT

Ad iustificationis beneficiũ obtinẽdum necessariò deposcitur proprij cordis motus in adultis.

AT multò verò minùs admitti debent, si omnem illius, pro quo oratur, synergiam, modò diuinæ gratię obicem non ponant, hinc excludant. Nam vt quis ex iniusto euadat iustus, aliquem omnino doloris sensum cordisque pœnitentiam, tum informem quoque fidem & spem, & alia quędam eiusmodi in medium adferat necessum est; nihil autem ex his omnibus per se proximè alterius oratio progignit, nedum iustitiam ipsam. Dixerim, alterius orationem nihil eiusmodi per se proximè progignere. Nam mediatè, hoc est, remota quadam dispositione, hæc omnia per orationem confici possunt, etsi non semper conficiantur: Siquidem piorum preces frequenter mouent DEVM, vt gratia præueniente peccatorem ad fidem, spem, & charitatem, interioremq; pœnitentiam excitet, excitatumq; plena iustitia donet.

Nullus mortalium alteri primã gratiam, aut gratiæ augmẽtum ex cõdigno mereri potest.

QVOD autem vnius oratio vel intercessio alteri primam gratiam, vel gratiæ augmentum ex condigno non promereatur, id operosa probatione non indiget. Nam cùm cuilibet gratię, etiam minimæ, ex æquo sua respondeat gloria, sicut cuiq; merito suum respondet pręmium, si vnus ex alterius opere proximè consequeretur gratiam vel gloriam, omnino vnus pro alterius opere coronaretur, quod DEVS per Prophetam Ezechielem prolixè negat: Docet enim filium patris iustitiam vel iniquitatem non portaturum; neque patrem rursum filij; sed vnumquemlibet onus suum deportaturum, rationemque pro se ipso redditurum. Docet idem quoque Apostolus non vno loco; scribit enim: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Item: *Vnusquisq; onus suum portabit, propriamq; secundùm laborem suum, mercedẽ accipiet.* Item: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum,* aliaque multa eiusmodi. Denique receptissimum in scholis axioma est, solum CHRISTVM alteri ex cõdigno gratiam & gloriam mereri potuisse.

Ezech. 18.

Galat. 6.

1. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Merito congrui vnus alteri gratiam, aut peccatorum remissionem mereri potest.

VERVNTAMEN quòd vnius meritum in alterum de lege non transfertur, hoc non impedit, quò minùs DEVS liberaliter & citra legem vni propter alterius intercessionem, vel primam gratiam, vel gratiæ incrementum impertiri queat: Quandoquidem aliud est, aliquẽ præmio promerito defraudare, quod DEVS nunquam facit; aliud bonum aliquod indebitum ad alterius preces impertiri. Nam quòd paterfamiliâs tantum illis dedit, qui ad

horam vndecimam in vineam venerant, quantum illis, qui totius diei pondus & æstus tulerant, hoc est, à prima diei hora ad noctem vsque laborauerant, id meræ liberalitatis & gratiæ fuit: At hæc interim liberalitas nihil de pacta promeritaq; mercede ademit primis. Neque auctoritates paulò antè allatæ, si rectè expendantur, aliud probant.

Paralytic⁹ Matthæi 9. citra propriam fidem & spem non est iustificatus.

NAM ad primam quod spectat, certum est, paralyticum non obtinuisse gratiam, aut peccatorum remissionem sine propria fide & pœnitentia; frustra namque dixisset ad illum IESVS: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, si nullam ille de CHRISTI clementia spem concepisset. Itaq; propria fide & pœnitentia interueniente, peccatorum remissionē & gratiam obtinuit. Contulit nihilominus aliorum fides & pietas ad vtrumq; non parum: Effecit enim, vt CHRISTVS fortiùs illum ad se traheret. Neque enim pariomnes vi, DEI spiritu tanguntur, qui ab illo tanguntur, sed alij maiori, alij minori.

Matth. 9.

SECVNDA minùs ad rem facit; neque enim defectio illa lapsum à gratia dicit; sed casum à præsenti vita. Piè autem defuncti hactenus per pauperes ad æterna illa tabernacula admittuntur, quatenus illorum precibus maturiùs à pœnis purgatoriis liberantur. Neque enim vllus iis ad cœlum patet aditus, qui quocunque pœnarum debito etiamnum irretiti tenentur. Vel hactenus sanè diuites pauperum & egenorum præsidio euehuntur ad æterna tabernacula, quatenus illorum intercessione, veluti merito quodam congrui ad primam iustificationem disponuntur, vel omnino etiam perducuntur.

Quomodo diuites per pauperes transmittantur ad æterna tabernacula.

QVID porrò sit peccatum ad mortem, pro quo orandum non sit; quid rursum peccatum non ad mortem, expositum est alibi; nunc solùm monuerim, peccatum ad mortē haud inscitè illud appellari, in quo quis apertè citra vllam prorsus pœnitentię significationem intermoritur: vt cùm quis sciens volensque seipsum perimit, vel post conflatam hæreseos, simoniæ, vsuræ, vel alterius cuiuscunq; flagitij labem, Sacramentum pœnitentiæ contemnit, in eoque contemptu, vitæ finem facit. Illud è diuerso peccatum non ad mortem, quod ante mortem per pœnitentiam deletum est, etsi non prorsus expiatum, oratio autem in talismodi pec-

In tract. de purgat.

Quid sit peccatum ad mortē, vel non ad mortem.

catis

catis vita defunctis hactenus dat vitam, quatenus sua vi à pœnis, & debitis, quibus obstricti à regno arcebantur, illos liberat.

TANDEM quod ex Apostolo Iacobo adfertur, id ad extremæ vnctionis Sacramentum, quod perinde ac cætera nouæ legis Sacramenta, ex se, siue ex vi operis, obice semoto, gratiam & peccatorum remissionem confert, pertinet. Quod si huc referre non lubet, quò tamen referri omnino debet, idem hîc sit responsum, quod iam antè responsum est sæpe, nimirum presbyterorum orationem saluare infirmum non proximè, sed mediante pœnitentia veraque animi conuersione, quam ij ægro, sua oratione gratiosè à DEO impetrant. Patet ergo, orationem iusti tanti roboris non esse, vt alteri citra propriam illius synergiam per iusti meriti viam primam gratiam, aut gratiæ incrementum obtinere valeat.

MAIOREM aliquantò difficultatem habet, iustorúmne preces aliorum causa fusæ ex condigno sint satisfactoriæ. Nam etsi multi de absoluta iustitia satisfactorias esse defendant, certamq; rationem à se stantem habere videantur; (nam si Petrus id integrè dependit nomine Ioannis; quod Ioannes Paulo debebat, Paulus iure nihil ampliùs à Ioanne exigere valet) attamen sententia hęc non omni prorsus nodo caret. Quandoquidem si eiusmodi satisfactio esset iusta absolutè, oporteret extare aliquam legem, qua DEVS se obligasset ad acceptandam vnius precationem vel aliam quamcunq; satisfactionem in pœnarum, quas alius debet, compensationem; sed talis forsan nulla extat; vel si qua extat, eam, qui eiusmodi satisfactionem absolutè iustam esse contendunt, in medium proferre deberent.

Dubium habet nõ omnino nullum, vnũ ne pro altero ex condigno satisfacere queat.

EXEMPLVM, quod pro ratione adferunt, tametsi sit vsitatum, non est tamen satis euidens: Siquidem aliud statuendum videtur de debito reali vel pecuniario, aliud de personali vel pœnali. Nam si quis propter scelus patratum, vel flagitium designatum promeritus est mortem, vel fustigationem, vel aliam pœnam, & adsit quispiam, qui sponte, vel rogatus, vel precio conductus eiusmodi pœnam vel ignominiam pro altero subire velit, non obligatur iudex talem commutationem admittere. Pari modo si quis propter delictum quodcũq; ad metalla vel triremes damnatus alium, qui locum suum expleat, comparet, eundemq; magi-

Non idem videtur iudicium de debito pœnali & pecuniario, quãtum ad hoc vt vnus iustè p altero satisfaciat.

magistratui, à quo ad eiusmodi pœnam condemnatus fuerat, offerat, satis manifestum est, magistratum eiusmodi compensationem recipere lege non teneri; esto in rei locum suffectus reo ipso multò sit fortior, multóque ad impellendum remos aptior. Quãobrem nisi communis sententia, & fundamentum præterea, quo indulgentiæ nituntur, ex parte obstaret, defendi fortassis posset, eiusmodi preces ex liberali & ordinaria DEI acceptatione magis satisfactorias esse, quàm ex absolutæ iustitiæ lege. Etenim cùm is benignus sit, nolitque cum infirmo plasmate, summo iure agere ordinariè, semper tamen liberè, vnius satisfactionem pro altero admittere consueuit.

QVID autem iusti oratio impetrare queat iniusto, id peculiarem explicationem non postulat: Siquidem ex iis, quæ de orationis vi ex Scripturis allata sunt, satis apertè id constat. Solùm hîc repetiuerim, qui quinque ciuitatibus propter decem iustos, si tot fortè in iis comperti fuissent, parcere voluit: qui D. Pauli intercessione ducentas septuaginta animas à naufragio liberauit: qui toti Israëli propter vnius Moysis orationem pepercit: qui tandem vniuersam Abimelechi familiam à sterilitatis vinculo propter Abrahæ intercessionem absoluit, aliaque multa & mira propter amicorum suorum preces præstitit, eum vni iniusto minimè defuturum, si iustus quispiam humiliter id efflagitauerit, ipseque iniustus sibi non defuerit, hoc est, saluti suæ obicem nullum posuerit. Quòd si qui iusti pro iniustis deprecantes non audiuntur, propter iniustorum indignitatem, aut aliquod occultum impedimentum non audiuntur.

Gen. 18.

Act. 27.

Exod. 32.

Gen. 20.

Quòd iusti pro iniustis orantes non semper audiuntur, id ex praua iniustorũ dispositiõe plerunq; prouenit.

SIT ita, inquis; at hinc tamen nondum satis liquidum euasit, iustine oratio alteri per modum debitæ impetrationis valeat; ita vt DEVS de iustitia obstrictus sit concedere, quod iustus pro iniusto vel altero iusto petit, modò ex parte illorum nihil obsit, an tantùm ex gratia? Sanè causam grauem nullam video, cur peculiaris hac de re quæstio instituì debuerit. Satis enim compertum est, quicquid precibus à Deo impetratur, id illius benignitate & misericordia veriùs niti quàm vlla nostra iustitia. Sed & inter alias quoq; efficacis orationis conditiones vna est, vt qui certò impetrare velit quod petit, pro seipso & non pro alio oret. Quamuis ergo iusti pro aliis iustè orantes frequenter impetrent non

Quicquid precibus à Deo impetratur, id totum veriùs illius gratia, quàm vlla nostra iustitia nititur.

non modò temporalia, vt sunt opes, honores, liberi, sanitates, aliaq; eiusmodi complura; verùm etiam spiritalia, vt sunt boni cordis motus, piæ inspirationes, præsidia contra tentationes dæmonisque insidias, & dona quædam interdum rara & peculiaria: hęc omnia tamen impetrant non ex iustitia, sed ex mera DEI gratia, promptaque eiusdem munificentia. Et hoc nobis sat esse debet, vt impigrè pro aliis oremus, aliorumque preces vicissim auidè expetamus.

DE vi tandem orationis, quam iniustus fundit pro iusto vel pro alio iniusto, distinguendum est. Nam si iniustus orat pro alio iusto vel iniusto, in persona Ecclesiæ, vel vt minister Ecclesi, ę vel alterius cuiuslibet non iniusti loco, oratio illius efficax esse potest, vt qui suo nomine, vt persona principalis non agat, sed tantùm vt minister alterius loco. Quòd si verò orat vti persona priuata, sua oratione parum plerunque efficit, vt quæ sit mortua, spiritalique vita omnino destituta: mortuum autem, vt eiusmodi, vitalem operationem edere nequit. Interim DEVS Opt. Max. cuius benignitati nullus modus aut terminus præfigi potest, etiam talem orationem nonnunquam admittit: Nulla est itaq; veræ rationis oratio (oratio enim mortifera, orationis nomen vix meretur) quæ alteri prodesse non queat, etsi causa aliqua impedita non semper prosit.

Iniusti oratio prodest alteri, si orat vt minister Ecclesiæ.

VERVM enimuerò licet apud omnes orthodoxè sentientes certũ sit, orationis robur ad alios quoq; sese diffundere, quæstionem tamen nõnullam habet, an vis illa eò minor semper euadat, quò ad plures sese effundit. De hoc dubio non idem omnium est iudicium, nec idem respondendi modus. Sunt, qui orationem pro multis fusam æquè singulis prodesse iudicent, ac si pro vno tantùm promeretur. Probant: Oratio inter bona spiritalia habetur; Spiritus autem, cùm partis expers sit, cuicũq; communicatur, totus communicatur. Adhęc oratio eo ferè modo ad illos se habet, quibus applicatur, quo lux tedæ ad illos, quibus prę fertur, aut vox præconis ad eos, quibus regium aliquod edictum promulgatur: Atqui vox & lux integra singulis citra vllum omnino alterius prę iudicium communicantur. Denique Hieronymus alicubi asserit, nihil minùs accipi, dum Psalmus pro cunctis animabus recitatur, quàm dum pro singulis decantatur.

Non mediocriter de conf. d. 5.

VERVM vt hæc sententia est parum recepta, ita rationes & firmamenta, quibus nititur, sunt parum quoque firma. Non primum; constat namque latum discrimen intercedere inter spiritum & bonum spiritale: spiritus enim sua natura sectionem fugit, bonum aũt spiritale tam secundùm se, quàm secundùm effectum diuisionem admittit: Planum est enim, omnem omnino orationem suis constare partibus, sed & malum quoq;, quod illius vi profligatur, & bonũ rursum, quod per eandem impetratur, non est indiuiduum. Nam & virtutes & dona & gratia, & cætera omnia eiusmodi minimùm secundùm intẽtionem diuidua sunt; admittunt namque hæc omnia gradus & incrementa. Sic pœnæ quoque malum non est partium exors: Habet enim illud suos gradus, suasque durationes. Culpæ lethales inter se quidem sunt sectiles; aliud enim malum est adulterium, aliud furtum &c. attamen quòd nulla ex illis gratiæ præsentiam ferat, quando ex animæ regno abscedunt, omnes simul abscedunt, & non successione quadam vna post alteram. Nihilominus quòd ea ipsa absceſsio non contingat sine pœnitentia, quæ, vt omnis alia dispositio, recipit gradus, fit vt oratio respectu culpę quoque diuiduum effectum sortiatur.

Non idẽ est spiritus & bonum spiritale, hoc em diuiduũ est, ille nequaquam.

NEC secundum rursum, quia vox & lux non liberè agunt, sed naturaliter & necessariò, adeóque in æque propinqua æqualiterque disposita ex æquo agunt. Neq; enim in illarum potestate situm est, vnius aures acriùs ferire, alterius remissiùs; aut vnius oculos clariùs perfundere, alterius obscuriùs; oratio autem eiusdemque vis procedit ex orantis intentione, dependetque ex acceptantis voluntate. Potest hic enim acceptare, pro quibus voluerit, & ille fundere, pro quibus visum fuerit. Quod si similitudo, quæ ex lucis aut vocis ratione petitur, aliquid efficaciter probaret, probaret vtiq; plus quàm oporteret, puta orationem tam iis prodesse, pro quibus non funditur, quàm iis, pro quibus funditur: iisque magis, qui melioris sunt animi. Siquidem fax, quæ in Domini gratiam accenditur, æquè præbet lucem infimo atrienſi famulo ac ipsi Domino. Sic lectio, quæ in heri gratiam instituta est, æquè erudit seruos præsentes & audientes ac herum ipsum, & illos magis, qui melioris sunt indolis. Idem statuatur de musica cęterisque similibus.

Lux & vox non liberè agunt, sed naturaliter & necessariò, oratio autem eiusdemq; vis depẽdet ex causa libera.

NEC

NEC tertium denique; siquidem Hieronymus loco citato nullam de orationis valore fert legem, aut promulgat sententiam: Solùm autem illorum notat insciti am, qui maius operæpretium ponebant in orationum numero & multitudine, quàm in earundem feruore & pondere. Scribit autem in hunc modum: Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium Charitati, aut vigilias præfert sensus integritati? Vt propter abstinentiam immoderatam, aut indiscretam Psalmorum aut officiorum decantationem, aut amentiæ aut tristitiæ notam incurrat? Nunquid multitudine verborum flecti DEVS, vt homo, potest? Non enim verbis tantùm, sed corde orandus est DEVS. Quapropter melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate & serenitate ac spiritali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis ac tristitia. Hæc Hieronymus, quæ nihil planè statuunt de orationis valore.

D. 5. de conſ.

Hieronymꝰ falsò allegatur pro orationis valore pro multis fusæ.

SED & simpliciter quoque verum est, quod ex Hieronymo adfertur, si ad meriti vel impetrationis rationem referatur. Tantum enim vel amplius quoque meretur, qui pro centum simul orat, quantum qui pro vno tantùm. Sic quoque æquè facile est, donum vel bonum quodcunque impetrare pro mille ac pro vno solo; si non ex orationis pondere, certè ex DEI liberalitate. Denique totam hanc sententiam cum suis fundamẽtis funditus euertit perpetua vniuersalis Ecclesiæ consuetudo: Etenim si tantum prodesset oratio singulis, dum pro multis offertur, quantum si pro vno solo, semper orandum esset pro omnibus & nunquam pro singulis; & tamen Ecclesia, quam pios omnes imitari decet, subinde orat, sicut & Missas quoque celebrat, pro peculiaribus personis & rebus.

Non minus meretur & interdũ non minus quoque impetrat, q orat pro multis, atque qui pro paucis.

Cõsuetudo Ecclesiæ apertè demõstrat orationem minùs prodesse singulis, dũ pro multis offertur, quàm dum pro vno solo.

SVNT alij, qui orationi, de qua hîc sermo est, triplicem valorem assignent, proprium nimirum vel principalem, communem, & medium. Nam vt quoduis pium opus primò omnium suo prodest auctori, mox viuis totius Ecclesiæ membris, iuxta illud: Particeps sum omnium timentium te, postremò illi, in cuius gratiam suscipitur; ita oratio quoque proprius primarius ue viuæ orationis valor, qui vtique vitæ æternæ meritum est, in

Psal. 118.

Triplex cuiusq; pij operis valor iuxta quotundam sententiã.

alterum non transfertur, neque transferri potest: Et vt maximè posset, precator tamen in alterum transferre non deberet; committeret enim quadantenus contra charitatis ordinem diuinamque institutionem: Vult enim DEVS vnicuique reddere secundùm proprium, & non secundùm alterius meritum. Idem quoque de illo asseri potest, quod mysticis Ecclesiæ membris ex alterius bono opere obuenit. Nam si diuina ordinatione ex quolibet iusti opere aliquid redundat in alios iustos, quodcunq; tandem illud sit, propter quod cum omnibus bonis operibus, quæ fiunt in Ecclesia, communicari verè dici possunt, illud sanè non poterit illis adimi, & pro orantis arbitrio in alium transferri: Esset hoc enim & contra diuinam ordinationem, & contra communem illam communicationis legem.

MEDIVM autem valorem vt sibi asseruare, ita cuilibet quoque idoneo adiungere licet. Quòd autem medius hic valor ponendus sit, ex recepto Ecclesiæ vsu manifestum est: Orat hæc enim per ministros suos non solùm pro viuis & defunctis promiscuè, verùm etiam pro hoc vel illo viuo vel defuncto determinatè: At frustra id faceret, si nihil prorsus haberet, quod huic vel illi speciatim adiungere posset. Iam si medius hic orationis valor, qui solus pro orantis arbitrio communicabilis est, finitus est, vt citra vllam controuersiam est, (si enim totus orationis valor finitus est, & ita finitus, vt infinitus esse non possit, multò magis pars eiusdem valoris finita erit) planum mox fit, orationem minùs profuturam singulis, si multis simul applicetur, quàm si vni tantùm. Hoc autem est, quod in quæstionem vocabatur, quodque de orationis valore vsitatiùs tradi consueuit.

VERVM enimuerò, licet quæ de definito orationis & partium eiusdem valore hoc loco dicuntur, sint verisima; (neque enim potest vllius omnino orationis vis infinita aut incircumscripta esse) attamen quod de tripertito cuiusq; boni operis fructu hîc & alibi passim traditur, nõ omnis prorsus difficultatis expers videtur. Primò namq; communis ille valor non solùm viuis CHRISTI membris, hoc est, iustis Deumq; timentibus prodesse videtur, verùm etiam mortuis, hoc est, iniustis & peccatoribus, CHRISTO tamen per fidei sacramentum incorporatis: Nam & CHRI-

CHRISTVS pro omnibus mortuus & passus est, & Apostolus pro omnibus hominibus orationes & obsecrationes fieri iubet, & Ecclesia publicè pro omnibus orat, & CHRISTVS Dominus non pro amicis tantùm, sed pro inimicis quoque & persecutoribus orare mandat; inimici autē & persecutores, vt eiusmodi, non sunt iusti. Prętera si solis iustis, vt iusti sunt, communis hic valor communicaretur, consequens fieret, quò quisq; foret iustior, eò plus de eiusmodi valore percepturum, adeóque magis iusti minùs iustis aliquod præiudicium procrearent, quod non videtur verisimile. Deniq; anathema vel excommunicatio iniustis adueniens, cæteris incommodis hoc quoque adiungere communiter dicitur, quòd illos priuet non modò sacrorum susceptione, sed omnium quoque bonorum, quæ in DEI Ecclesia fiunt, participatione.

1. Timoth. 2. Rationes ostendētes, bona opera, quæ in Ecclesia fiūt, communi quadam ratione non solùm iustis prodesse, verumetiam iniustis.

ADHAEC valor ille generalissimus, quem assignant, aut est finitus, aut infinitus. Non infinitus; aliâs enim cuilibet iusto ex quolibet alterius iusti opere obueniret bonum infinitum, quod est prorsus incredibile, & vt res à DEO sunt constitutæ, prorsus impossibile. Si est autem finitus, vt sanè est, ergo quò plures sunt iusti in Ecclesia, eò minus de communi hoc valore participabunt singuli; atque ita præiudiciale & detrimentosum esset iustis, multos in Ecclesia esse iustos. Et quamuis dici ad hoc queat, quantum hinc decedit, tantum inde, nempe ex multiplicatis plurium iustorum meritis, accedere, falleret hæc tamen exceptio, si tantùm paruulos baptizatos ad iustorum numerum aggregari poneretur; illi enim nulla habent merita propria, neque per ætatem habere possunt, quæ aliis communicentur.

TANDEM non iniuria quæri hoc loco posset; ecquidnam sit communis hic valor, qui in omnia & singula viua Ecclesiæ membra ex quouis bono opere redundare asseritur. Nam si est gratia gratum faciens, sequitur, paruulos regeneratos, ante rationis vsuram extinctos non saluari sola Baptismali gratia. Cùm enim multa quotidie in DEI Ecclesia bona opera edantur, & ipsi sint eorum omnium, quæ fiunt, participes, continuò crescent in gratia: At hoc est contra communem doctorum hominum sententiam, & contra ipsam quoque veritatem. Sequitur nihilominus, adultos nihil quicquam operis molientes, imò somno vacantes in gratia

progressus facere, & cùm pondus gloriæ respondeat quantitati gratiæ, sequitur tandem, vnum propter alterius opus essentiali gloria donari, quod apertè pugnat cum scriptura Christique & Apostolorum doctrina: Asserunt enim, vnumquemque acceptu-rum, prout gesit in proprio corpore.

Si autem communis hic valor non est gratia, neque gloria, neq; aliquid aliud, quod veri meriti rationem subeat, sicut reuera non est, nisi forsan remotè & impropriè, erit itaque satisfactio, vel boni cuiuspiam impetratio. Solet enim dici, orationem valere per modum meriti, satisfactionis, & impetrationis. At neutrum vide-tur certum; nam vt pro eo satisfaciam, aut bonum aliquod illi im-petrem, de quo nihil cogito, neque cogitare valeo, id videtur ad-modũ admirabile. Nihilominus demus, omnibus istis tribus mo-dis, & aliis præterea nonnullis prodesse, ne quod de Sanctorum communione credimus & profitemur, in dubiũ vocare, vel com-muni doctorum hominum sententiæ obniti videamur; quæri ad-huc posset bonúmne illud, quod vni ex alterius bono opere ob-uenit, obueniat ipsi ex gratia; hoc est, ex mera DEI liberalitate, an ex iustitia: Non ex iustitia, vt videtur, quia DEVS nunquam pro-misisse legitur, se quodcunq; bonum vel donum ei impertiturum, pro quo speciatim nihil petitur. Multò verò minùs, se ex quolibet iusti hominis opere aliquid decerpturum, quod adiungatur ce-teris Ecclesiæ membris. Si autem datur non ex lege; sed ex mera gratia & liberalitate, consequens fit, quod de generalissimo illo valore scribitur, non tam certum & apertum esse, quàm certò & apertè passim recipitur & asseritur.

DE valore medio similis quæstio moueri posset: An nimirum valor hic sit gratia gratum faciens, aut aliquod veræ rationis me-ritum. Si est gratia aut vitæ meritum, contra charitatis ordinem committit, qui pro alio orat, aut aliud bonũ opus eidem applicat. Nam & debita gloria se priuat, & DEVM remissiùs quàm par est amat: Quandoquidem gratiæ magnitudinem cõsequitur magni-tudo dilectionis. Si est autem quiddam à vitę merito vel gratia di-uersum, puta satisfactio, defensio, conseruatio, exuscitatio, vel im-petratio, &c. quæro, vt antè, an quod inde obuenit, obueniat ex gratia, an ex iustitia: nõ ex iustitia propter causas antè assignatas; si autem ex gratia, quod opinio habet, fundamento nõ satis certo nititur.

nititur: Siquidem quæ ex sola DEI liberalitate dependent, ea quandoque eueniunt, quandoque non eueniunt. Cùm ergo de medio hoc valore non habeatur certa reuelatio, neque certa promissio, neque expressa quoque scripturæ traditio, neque auctoritas tandem omni exceptione maior, dubitari queat, consultúmne sit, de eo pronunciare tanquam de re modis omnibus certa.

Non semper neque certò obueniũt, quæ ex sola gratia obueniũt.

SED neq; satis constanter quoq; hîc loquũtur: Dicunt enim, si oratio vel aliud bonũ opus applicetur vni alicui in primo gradu, & postea alteri, & rursum alteri, & sic deinceps in gradibus inferioribus, illis etiam secundarias illas applicationes prodesse: neq; primo tamen ex multiplicatis illis applicationibus quicq̃ omnino decedere. At difficile est intellectu, quomodo totus hic medius valor maneat penes primũ, & secundariis nihilominus aliquod inde emolumentũ obueniat. Nisi forsan dixerint, quod primo obuenit, ex iustitiâ obuenire, quod autem aliis, ex gratia & liberalitate. At iam sæpe dictum est, quod fit ex pura gratia & liberalitate, id ad certam regulam reduci non posse. Sequitur hinc quoq; medium illum valorẽ non esse determinatũ; vt qui pluribus prodesse queat citra alterius præiudicium. Patet itaq; quod de triplici orationis valore traditur, non parum multis difficultatibus expositum esse.

Quod de communi, proprio, & medio orationis valore dicitur, magnis difficultatibus expositum esse.

ILLO proinde, quod de communi, proprio, & medio orationis valore dicitur, pro suo valore in medio relicto; eo autẽ, quod de orationis valore in ratione meriti, solutionis, & impetrationis paulò antè explicabatur, repetito, ad id, quod in quæstionem vocatum est, paucis responderi potest, orationem pro multis fusam per viam solutionis vel satisfactionis non tantum prodesse singulis, quantum profuisset, si vni tantùm, aut paucioribus fuisset applicata: siquidem orationis vis in ratione satisfactionis non est infinita, sed finita; prout orantis quoque feruor, conatus, charitas, & ipsius rei difficultas, & cætera omnia, quæ orationem comitantur, sunt finita, suisq̃ limitibus circumscripta; atqui omne finitum in partes dissectum, fit minus.

Oratio per viam solutionis plus prodest, si paucis applicetur, quã si multis.

CAETERVM plúsne valeat oratio per modum satisfactionis iis, qui maiori pollent sanctitate, illud disputatione non indiget; siquidem oratio non prodest alteri per viam solutionis ex se aut naturaliter, sed tantùm secundùm orantis intentionem & voluntatem. Quamobrem si is, dum pro multis precatur, pro multis satisfacere instituit, pro multis, quod ad se attinet, & operis satis-

Oratio per viam satisfactiõis multis applicata, nõ prodest illis magis, qui aliis sunt sanctiores.

satisfactorij ratio fert, satisfaciet; si æqualiter, æqualiter; si inæqualiter, inæqualiter. Neq; exemplum, quo quidam oppositum probare nituntur, ad rem facit: aiunt enim, medicinam ibi potentiùs operari, vbi compererit subiectum magis dispositum: Quandoquidem medicina operatur naturaliter, nimirum secundùm ægri corporis modum. Si tamen subiectum esset omnino indispositum, hoc est, mortifero peccato obnoxium, nihil illi prodesset impensa satisfactio per modum iustitiæ, sed tantùm per modum liberalis cuiusdam donationis; DEVS enim nullo modo admittere tenetur, quod pro peccatore offertur, etsi clementer sæpe admittat.

Oratio per viam meriti congrui, aut per modum liberalis cuiusdã impetrationis æquè impetrare & mereri potest pro multis atq; pro vno.

SI autem consideremus orationem, vt valet per viam meriti congrui (condignum enim meritum hîc locum non habet) vel per modum liberalis cuiusdã impetrationis, in idem pènè redit, pro multísne ores, an pro paucis. Nam cùm hic valor non nitatur certa aliqua lege, sed sola DEI liberalitate, potest is æquè illam admittere pro mille ac pro vno; pro iniusto & scelerato ac pro iusto. Solet nihilominus familiariùs admittere pro iustis quàm pro iniustis; vsitatiùs rursum pro magis iustis quàm pro minùs iustis. Veruntamen quia DEVS neque ex certa promissione, neque ex operis quoque natura obligatus est id concedere, quod pro altero petitur, non est certum semper, an oblatas preces admittat, quibúsue ex pluribus petita indulgeat.

AT credi nihilominus potest, liberè & amicè illud facere, quod amicus amici causa facere consueuit. Vt ergo amicus amici preces pro altero oblatas, (modò iustum & honestum sit, quod petitur) plerunque admittit; ita DEVS quoque eiusmodi preces frequentiùs admittit. Attamen si id non faceret, non posset de vlla omnino iniustitia insimulari; quia nihil debet homini, quod ipsi certò non promisit. Ex Scripturis habemus, DEVM aliquando iniustis peperciſſe propter iustorum preces: Interdum verò ne ipsos quidem iustos, pro se orantes audiuisse: Quandoque autem oppositum factum legimus, puta iustos supplices ipsi factos à clade impendẽte liberasse: iniustos autem & sceleratos in interitum ruere permisisse. Quæ omnia ostendunt, orationis euentum non semper constantem & certum esse.

Exod. 32.
2. Cor. 12.
Ezech. 14.

TANDEM

TANDEM ad meritum proprium quod spectat, non minùs communiter merentur, qui pro multis precantur quàm qui pro paucis, aut vno tantùm; imò plerunque magis. Eò namq; cæteris exæquatis vnumquodq; opus est magis meritoriũ, quò ex maiori charitatis feruore est ortum; at eò incensior videtur charitas, quò ad plures sese diffundit. Sed & dubium quoque nullum est, quin CHRISTVS eiusmodi orandi modum tradiderit, qui DEO omnium sit gratissimus, at tota Dominica oratio multitudinis numero est accommodata.

Communi lege non minùs meretur, qui pro multis simul orat, atque qui pro vno tantùm.

DIXERIM, orationem magis plerunq; meritoriam esse, quę pro pluribus funditur. Nam qui maiori ardore, deuotione, vel attẽtione oraret pro vno aliquo sibi charo, quàm pro multis, plus mereretur pro vno illo orando feruidè, quàm pro multis tepidè. Sic magis satisfactorium & interdum non minùs meritorium est, orare pro inimicis & persecutoribus, quàm pro amicis, quia hoc illo minoris difficultatis est, secundùm se tamen absolutè vt melius est amare amicum & iustum, quàm inimicum & iniustum; ita melius est quoq; orare pro iusto & amico, quã inimico & iniusto. Quamuis autem oratio pro multis fusa sæpe magis sit meritoria, non semper tamen est magis impetratoria: Quia in magno hominum cœtu multi semper comperiuntur, qui eo beneficio indigni sunt, quod intercessor sua oratione impetrare nititur. Verùm de orationis viribus satis; proximum est, vt de iis nunc agamus, quæ orationis vim promouere vel impedire nata sunt.

De præparatione, aliisq; nonnullis, quæ orationis vim, si adsint, promouere nata sunt.

CAPVT QVINTVM.

MAGNAS esse orationis vires, illustresq; eiusdem fructus, ostensum est hactenus: Verùm quòd magna ea in re appareat disparitas (comperiuntur enim, qui plurimùm hîc proficiunt; alij qui parum aut nihil omnino; nonnulli quoque, qui detrimentum ex sua oratione capiunt) priùs vnde nam tanta illa disparitas proueniat, inuestigandum videtur, quàm vlla omnino de orationis necessitate disputatio instituatur; nam alicundè prouenire indubitatum est.

Non omnes, qui orationi vacant, parẽ ex oratione fructũ referunt.

Tres sæpe in oratione personæ interueniunt.

CAETERVM cùm tres in oratione personæ interuenire queant,& sæpe quoque interuenire soleant; vna quæ orat, altera, ad quam oratio dirigitur, siue cuius auxilium imploratur, quæ plerunque DEVS est; tertia, pro qua oratur, necessum est, vt illa effectuum disimilitudo, vel ex dispari illorum qualitate nascatur, qui orationem fundunt; aut ex diuersa eorum conditione & statu, pro quibus oratur, vel certè ex disimili illius volũtate, ad quem oratio dirigitur, quod tamen non admodum fit verisimile. Nam etsi DEVS Opt. Max. liberè donet: (neque enim vlli debitor est, nisi certa aliqua promissione seipsum debitorem alicuius constituerit) attamen quia summè bonus summéque benignus & potens est, nulli, quod ad se quidem attinet, opem suam denegat. Prouenit itaque discrimen illud aut ex eorum discrimine, qui orationi incumbunt, aut ex eorum sanè, pro quibus preces fiunt.

Ex parte precantis oratio perficitur & vitiatur, vt quoduis aliud opus humanum; nempe ex obiecto, fine, modo, tempore, loco, cæterisque substantiam illius comitantibus vel circumstantibus. Vt ergo ieiunium, eleemosyna, aliáque pietatis officia DEO sunt grata & fructuosa, quæ omnibus suis necessariis circumstantiis ritè sunt ornata, suisque partibus & qualitatibus integrè perfecta; ita quoque oratio. Rursum vt eleemosyna, vel ieiunium, vel aliud quodcunque opus genere suo bonum, censetur vitiosum, & ob id inutile, quòd vna vel pluribus necessariis partibus vel circumstantiis destituitur; & eò quidem vitiosius, quò pluribus magisque necessariis partibus & circumstantiis destituitur; ita quoque oratio.

Orationem eadẽ inficiunt vel perficiunt, que ieiunium vel eleemosynam.

Ex parte obiecti oratio vitiatur, cùm petitur aliquid iniustum, aut inhonestum, aut immoderatum, hoc est, petentis conditioni vel sorti non satis consentaneum, etiamsi secundùm se non sit turpe aut inhonestum; vt si pes sua sorte non contentus, ambiat ea, quæ sunt oculi, aut manus ea, quæ sunt cordis vel capitis. Ex fine deformatur oratio, quando precator orationem suam non refert ad DEI gloriam, vel aliam honestam causam, sed ad iniquam sui existimationem, vel ad aliam quamcunque rem turpem. Ex modo vitium contrahit oratio, dum ea per solas preces ambiuntur, quæ diuina ordinatione & institutione, labore, studio,

Quomodo oratio vitium contrahat ex obiecto, fine vel modo.

dio, consilio, aliisque id genus mediis obtinenda sunt, vel certè absque illis obuenire communiter solita non sunt. Ex loco, tempore, cæterisque similibus similia inconuenientia peti possunt: satis enim compertum est, non omnia conuenire omni loco aut tempori.

AT quia rectum est μέτρου sui & obliqui, haud difficulter de iis constabit, quæ orationis fructum impediunt, si certò de iis constiterit, quæ eiusdem vires & robur augere nata sunt. Sunt autem eiusmodi tria potissimùm, præparatio videlicet, deuotio, & attentio. De deuotione primariisque eiusdem causis actum est tractationis huius initio. Quæ autem de peculiaribus quibusdam eiusdem causis, ibi prætermissa sunt, ea ad segmenti huius finem breuiter adiicientur. De attentione autem, quòd latè pateat, pluresque difficultates offerat, peculiare caput instituemus. De præparatione verò ea solùm hoc segmento in mediũ adferentur, quæ vel necessaria vel ad rem admodum opportuna videbuntur.

Tria orationis fructum augere nata sunt.

CAETERVM ad idoneam præparationem multa deposcuntur, & eò quidem plura & maiora, quò precaturus qui audiatur minùs videtur aptus. Pluribus enim præsidiis indiget peccator, vt petita consequatur, quàm iustus; & hic rursum plura, quàm cœlesti gloria iam donatus. Primus autem præparationis gradus, quo ad maiestatis thronum aditum sibi munire peccator debet, est admissorum scelerum cognitio & detestatio. Meritò enim eiusmodi propter peccatorum sordes se non modò, qui quicquam à DEO impetret, indignum censebit; verùm etiam qui in illius conspectum, aliquid ab eo petiturus, prodeat. Quòd si delictorum recordatione eum doloris sensum non capit, quem iure capere debebat, saltem doleat, quòd iustum doloris sensum adferre non valeat.

Quomodo precator affectus esse debeat, q̃ oratione sua aliquid à Deo impetrare studeat.

VERVM quia sunt quædam scelera, quæ maximè obstant, quò minùs DEVS precationem nostram audiat, vt vis, rapinæ, cædes, insontium oppressiones, alláque his cognata, qui repulsam ferre non volunt, manum contineant à cæde & sanguine, omníque alia violentia & crudelitate; linguam à conuiciis & maledictis; cæteras denique animæ vires à cæteris flagitiis & noxis. Constat enim, hæc omnia orationis robur vel omnino frangere, vel multùm certè infirmare; notum est illud Esaiæ:

Orationis fructũ præcipuè impediunt vis, paupe rumque oppressio.

Cap. 1. *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non audiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Imò verò non modò à pauperum vexatione eum deſiſtere oportebit, qui aliquid à DEO impetrare voluerit, verùm benignè quoque eiſdem facere; ſcriptum eſt enim: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Eſt itaque primus præparationis gradus pœnitentia: quæ vſque adeò ad hanc rem eſt neceſſaria, vt iuſtos quoque nedum iniuſtos & peccatores à ſui accuſatione orationis exordium facere conueniat.

Prouerb. 21.

Prouerb. 18.

SED nunquid, ais, peccant, aut fruſtra omnino laborant, qui citra pœnitentiam orant? de priuata oratione neutrum eſt aſſerendum; de publica nonnulli dubitant; ſed citra cauſam, niſi forſan de liturgicis & ſacramentalibus precibus agant, non etiam de horis Canonicis. Nam ſi peccator horarias, vel alias quaſcunque preces publicè citra aliorum ſcandalum recitans vel decantans peccat, aut peccat propter irreuerentiam, eò nimirum, quòd indignus ſit, qui DEVM, aliquid ab eo petiturus, adeat; vel ratione officij, ea videlicet de cauſa, quòd munus publicè precandi gratiam exigat. At neutrum horum rationi videtur conſentaneum. Non primum, nam aliâs homini peccatori ne priuatim quidem DEVM rogare eiúsue opem implorare fas eſſet: Nam ad irreuerentiam quod attinet, par vtrobique eſt ratio. Sed hoc falſum & à ratione alienum eſt: Quandoquidem homo peccator diuino naturalíque iure ſeipſum diligere obligatur; poteſt ergo, imò verò animæ & corporis ſui ſalutem optare debet. Quodcunque autem deſiderare fas eſt, hoc à DEO expetere nefas non eſt. Neque ſecundum rurſum, nam ſi ratione officij nefas id foret, conſequens fieret, qui ius dicere, aut ſacra profiteri, aut aliud quodcunque munus ex officio obire tenerẽtur, eos, niſi in charitate id obirent, noxam incurſuros: Siquidem illud Deuteron. *Quod iuſtum eſt, iuſtè exequere*, quod contra communem ſententiam allegare ſolent, ex æquo affatur omnes, cuicunque honeſto muneri mancipatos; ſed nullus, opinor, facilè iſtuc admiſerit: Eſſet enim legem CHRISTI, quæ iugum ſuaue & onus leue appellatur, in onus importabile vertere. Non ergo peccant, qui peccato aliquo præſertim occulto conſtricti preces Canonicas publicè decantant vel recitant, multò verò minùs qui priuatim orant.

Nõ peccant, qui peccatis obſtricti Deum inuocant.

Cap. 16.

Matth. 11.

AT

Non eadem peccatorum & peccantium Deum inuocantium est ratio.

AT quamuis res ita habeat, distinguendum est tamen inter peccantes & peccatores, hoc est, inter eos, qui peccati reatu tenẽtur obstricti, cuiusmodi sunt, qui DEVM aliquando offenderunt, neq; tamen ex animo adhuc resipiunt; & eos qui actu in id, quod lege vetitum est, feruntur, siue qui id à DEO petunt, quod citra certam noxam obtinere non possunt. Quandoquidem solus peccati reatus (modò scandalum desit) veræ orationis rationem non tollit; tollit tamen bonam effectus illius partem: Siquidem eiusmodi oratio, neque de condigno est meritoria, neq; de iustitia quoque est satisfactoria. At verò qui prudentes improba efflagitant, DEVM, quod nefarium est, peccati auctorem & promotorem constituunt; sunt tamen qui non solùm peccantes, sed eos etiam, qui ita comparati sunt, vt neque à peccato desistant, neque desistere proponant, ob insignem impudentiam, qua beneficium ab eo petunt, à cuius offensa desistere non volunt, citra nouam culpam orare non posse contendant; verùm horum sententia à ratione & iugi CHRISTI suauitate est prorsus aliena; sicut illorum quoque, qui dubitant, inter deprauaténe vel vitiosè orãtes censendi sint, quia ita quippiam à DEO petunt, vt suam tamen voluntatem diuinæ voluntati non submittant. Quandoquidem nemo nescit, insignis cuiusdam insolentiæ esse, suam voluntatem compertæ DEI voluntati nolle submittere. Quis enim eum ferat, qui non dico DEO, sed vulgari quoque homini eiusmodi petitionem offerat: Domine fiat in hac re, quod ego desidero, non quod tu decreuisti, vel iustè decernere potuisti. Taceo, hũc orandi modum disertè pugnare cum tota CHRISTI vita manifestáque eiusdem doctrina. Neque enim is orare nos docuit; Pater fiat voluntas mea; sed fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra: neq; dum passionis calicem deprecabatur, suam voluntatem fieri volebat, sed Patris: *Veruntamen*, ait, *non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Non benè orãt, qui suã cõpertæ Dei volũtati voluntatẽ submittere recusant. Matth. 6.

Matth. 26. Luc. 22.

HINC tamen non sequitur, si cui fortè DEVS damnationem suam prædixisset, vel interminatus esset, illi salutaria petere non licere: DEVS enim & natura iubent, vt nos ipsos diligamus, adeóque vt salutem nostram desideremus & procuremus, cõtra quam naturæ legem nihil existimandus est absolutè præcipere. Quamobrem damnationis prædictione vel comminatione nõ obstante, homo totis viribus saluti suæ procurandæ insistere, certoq; sibi per-

Potest is licitè salutẽ suã procurare & pro illa Deum rogare, cui Deus dãnationem est comminatus.

persuadere debet, Deum nulla bonorum aut malorum operum habita ratione istud absolutè non velle, sed finali tantùm posita obstinatione. Secùs res haberet, si certò constaret id, quod diximus, absolutè illum velle. Nam etsi non obligemur id velle, quod vult Deus consequenter vel conditionaliter, quia non tenemur velle conditionem, quam voluntas illa ponit; puta obstinationē in peccato, vel aliquid aliud eiusmodi, tenemur tamen id velle, quod certò nobis constat illum absolutè, determinatè, vel antecedenter velle, quale est, quod hîc ponebamus. At de hoc præparationis gradu satis.

ALIVD præparationis membrum vel medium assignari solet fides, de hac Christus in Euangelio ita concionatur: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis; sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcũq; petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et alio rursum loco: *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti.* Pertinet huc quoq; illud Augustini: Si fides deficit, oratio periit. Et illud Bernardi: Cœlesti benedictione indignus conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu. Et illud itidem Ignatij: Noli dubio esse animo in oratione; Beatus est, qui non dubitauerit. Et illud tandem Apostoli Jacobi: *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans: Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Deo.* Hæc illi. Qui ergo orando petita vult impetrare, ne Apostoli Petri vestigiis insistat. Hic enim cùm precibus impetrasset, vt pedes super aqua ad Iesum veniret, ventiq; procellam inter ambulandũ animaduertisset, statim animo cõcidit, mergiq; cœpit. Quare etiã meritò illud Christi audiuit: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Sed Abrahamum, qui teste Apostolo, *Contra spem in spem credidit; neq; infirmatus est in fide, corpus suum emortuum considerans*, imitetur.

Matth. 21. Oratio, vt sit efficax, postulat fidem.

Matth. 9.

Dever. Do.

Cap. 1.

Matth. 14.

Rom. 4.

EX fide autem, quæ summam Dei Opt. Max. potentiam, summamque eiusdem clementiam, & misericordiam nobis ob oculos ponit, naturali quadam σωεπείᾳ consequitur fiducia. Qui enim seriò animo pertractat, eum, quē inuocat, summè esse potentem, summeque clementem, fieri vix potest, vt non omnia bona de ipso sibi promittat, cunctaque, quæ iustè petiuerit, sese obtenturum non speret. Ast verò, præter fiduciam illam, quæ proximè

ximè ex fide procreatur, & ab efficaci oratione abesse non debet, sunt alia complura, eaque non vulgaria, quæ certam impetrandi spem faciunt. Est inprimis ipsa propensa in nos Dei voluntas. Est summa eiusdem in omnibus dictis & promissis veracitas. Est numerus eorum, qui Deum, exorarunt penè infinitus. Est summus ille mediator & deprecator, qui nobis semper præstò adest, Christus Dominus, de quo ita scribit discipulus dilectus: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Multa sunt quæ excitãt nostram in Deo fiduciã.

1. Ioan. 2.

EODEM spectant hæc Apostoli Pauli: *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et infrà: *Vnus enim est* DEVS, *vnus & mediator* DEI *& hominum, homo Christus Iesus.* Et ad Hebræos rursum: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum.* Quamuis ergo nos, qui petita impetremus, indigni simus, attamen Christo Iesu patrono optimo intercedente, Deum nobis omnia, quæ rite per illum petiuerimus, concessurum sperare debemus. Denique nostræ deprecationis auctor est Spiritus sanctus (*accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.*) Hic autem nostram infirmitatem, nostramque in hoc precandi munere insciti am non modò adiuuat, sed ipse quoque gemitibus inenarrabilibus pro nobis postulat. Quòd si qua interdum titubatio obrepserit, voce Apostolorum vsi, dicamus: *Domine, adauge nobis fidem.*

Rom. 8.

1. Tim. 2.

Hebr. 2.

Rom. 8.

Rom. 8.

Luc. 17.

AT verò haud magna cum re, fide & spe instructi ad orandum nos accingemus, si in Dei vel proximi odio obstinatè perstiterimus, hoc est, si vtriusque dilectionem vel ea, quæ viam ad illam muniunt, vt sunt pœnitentia, melioris vitę propositum, obseruandæ legis studium, aliaque eiusmodi huc non attulerimus. Nam etsi sacræ literæ non ita perspicuè & clarè de charitate agãt atque de fide & spe; ea tamen ponunt, ex quibus, vt orationis fructu certò potiare opus esse charitatis semine, non omnino obscurè colligitur. Tradunt enim, eorum preces audiri, qui Dei mãdata seruant, qui Deum timent, qui conscientiam mundam obtinent, aliaque eiusmodi, quæ omnia ad charitatem pertinent: *Si*, inquit Christus, *manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis.*

Qui orationem suam vult exaudiri, vitam suam emendet oportet.

Ioan. 15.

HVC

1. Ioan. 3. Hvc quoque facit illud Ioannis: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quia mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Psal. 144 Et illud item Prophetæ Regij: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Est hîc sermo de casto & filiali timore. Qui igitur DEVM castè non timet, qui eius mandata non seruat, neque vt ea seruet, quicquam pensi habet, qui conscientiam suam non mundat, neque ad eius munditiam anhelat, quomodo oratione sua rem magnam faciet? Denique suprà ostensum est, efficaciter precaturo necessariam esse pœnitentiam; at hæc si vera & consummata est, sine gratia & charitate non est: Fructuosam proinde orationem facturus enixè contendat necessum est, vt secundùm fidem & spem, DEI & proximi charitatem huc quoque adferat.

Qui repulsam pati nō volet, ille animi submissionem ad orationem adferat necessum est.

PORRO autem præter scelerum detestationem & fidem, cæteraque, quæ ad efficacem orationem necessaria hactenus ostendimus, adesse quoque debet magna quædam animi submissio, suique ipsius abiectio. Qui enim ita comparati sunt, vt se propter egregias virtutes dignos qui audiantur censeant, illi orando laterem lauant. Contrà verò qui ita affecti ad orationem accedunt, vt se propter quotidianos defectus, quibus se obstrictos agnoscunt, crebrasque offensiones & insignem ingratitudinem omni DEI fauore, gratia, & beneuolentia indignos prorsus iudicent, illi diuinis donis ac beneficiis capessendis maximè idoneos capacesque sese reddunt; scriptum est enim: Psalm. 101. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* Cui cognatum est illud CHRISTI: Matth. 23. Luc. 14. 18. *Qui se exaltat, humiliabitur; Qui autem se humiliat, exaltabitur.* Et illud Apostoli Petri: 1. Pet. 5. DEVS *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et illud tandem Gregorij: 20. Moral. Ille veram DEO orationem exhibet, qui semetipsum, quia puluis est, humiliter videt; qui sibi nihil virtutis tribuit; qui bona, quæ agit, esse de conditoris misericordia recognoscit.

LVCVLENTVM humilis deprecationis exemplum suppeditat nobis publicanus ille Euangelicus, qui longè consistens ne oculos quidem ad cœlum tollere audebat, sed terram spectans, Luc. 18. DEVS, inquiebat, *propitius esto mihi peccatori.* Et mulier illa peccatrix, Luc. 7. quæ dolore commota stans retrò, Domini pedes lachrymis perfun-

perfundebat. Vterque quantum orationi pondus adferat humilitas Christiana satis declarat. Sed & CHRISTVS Dominus quoque insigne humilitatis exemplum in oratione præbuit, dum & genibus nixus, & in faciem prolapsus cœlestem patrem ita orauit: *Pater; si possibele est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* De beata Virgine quoque legitur, DEVM illius humilitatem præ cæteris omnibus virtutibus, quibus cumulata erat, præcipuè spectasse. Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 1.

AB hac autem humilitate procul aberat Pharisæus ille, qui stans ita orabat: *DEVS gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines.* Tum illi, quos CHRISTVS Dominus in vicis & platearum angulis, quò ab hominibus viderentur, orare consueuisse commemorat. Oportet autem eum, qui salubriter precari & exaudiri vult, non solùm humilem affectum ad orationem adferre; sed humilem quoq; submissumq; intellectum. Qualem illi non adferunt, qui quadã fatali necessitate omnia euenire cõtendunt; aut Deum inferiora hæc & sublunaria, quasi aliena, & ad se nihil pertinentia, nihil quicquã curare sacrilegè statuunt. Nam etsi eiusmodi homines quandoq; orent, humilisq; precatoris speciem præ se ferant; attamen quia orationis necessitatem excludunt, fatóque vel casui omnia adscribunt, nunquam istuc ex animo faciunt, sed fictè & simulatoriè. Luc. 18. Matth. 6.

Oratio quæ efficax futura est, nõ solùm humilem affectum postulat, sed humilem quoque intellectum.

AD humilitatem, de qua hîc disserimus, pertinet etiã supplicum benignitas, & in rebus aduersis patientia: facilè namq; Deus illos precantes audit, qui propter Christum vel iustitiã malè habiti, vel alias iniustè vexati, vel morbo quoq; vel alia quacunq; miseria vel calamitate pressi, æquo patientiq; animo ferunt. Et inter hos eos familiarissimè audire solet, qui graui iniuria à quocunq; affecti adeò vindictam nullam expetunt, vt seriò quoq; & feruidè pro persequentibus vel iniuriam inferentibus orent, magisque doleant de illorum peccato, quàm de suo incommodo. Est enim res hæc planè heroica, neque prodire potest, nisi ex magna quadam charitate animique perfectione. Quò autem quisque precator est perfectior, eò qui audiatur est dignior.

Præ cæteris facilè orantes audiuntur, qui iniuriarũ immemores pro persequẽtibus & calũniantibus orant.

EADEM quoq; de causa solitariam veréq; religiosam vitam agentium preces efficaciores plerunq; & fructuosiores solẽt esse, quàm hominum opibus cæterisq; seculi huius cõmodis affluen-

tium. Nam quò mẽs à rebus curisq; terrenis magis est seiuncta, eò intensiùs fertur in DEVM: Quò autem feruentiùs in DEVM assurgit, eò etiam ardẽtiores preces fundit. Quò autem preces fuerint ardentiores, eò ad quiduis impetrandum habentur efficaciores.

Quò oratio est spiritalior eò p'e runquq; est efficacior.

Atque huc spectant, qui de orationis viribus disputantes, eam cæteris potentiorem statuunt, quæ cæteris est spiritalior. Spiritaliorem autem eam dicunt, quæ à carnalium desideriorum terrenorumq; negotiorum sordibus est defæcatior, & ab inanium phantasmatum tricis expeditior.

Oratio aliarum virtutum comitatum depoſcit.

RITE tandem ad orationẽ prẽparatus accedit, qui ne absq; aliarum virtutum comitatu huc accedat, quantum in se est, cõtendit. Nam qui orat, & malè agere non cessat, vel cæterarum virtutum actus non curat, pulueremin aërem quodammodo iactat.

Ieiunium & eleemoſyna multũ virium addunt orationi.

INTER externa autem præsidia, quæ orationem non modò ornant, sed vires illius vehementer quoq; augent, præcipuè censeri solent ieiunium & eleemosyna. Nam qui cibo vel potu sunt onusti, horum mens ita plerunque est oppressa, vt neque DEVM intueri, neque quid sibi velit oratio satis cogitare valeant. Sed & eleemosyna quoque magnam cum oratione societatem habet: Quis enim cui facultas sit benignè faciendi, neque opitulatur tamen proximo & fratri, qui aliena ope indiget, charitate se præditum dicere audeat? Quo autem ore is DEI auxilium implorabit, qui fratrẽ odit, aut miseriam illius quasi nihil ad se pertinentem despicit?

Societas cõprecantium orationis vim intendit.

QVID? quòd non aliarum virtutum piorumq; & studiosorũ operum comitatus tantùm orationis robur augeat, eiusdemque vim intendat, sed hominum quoque comprecantium societas? Fieri enim vix potest, vt multorum preces pacis & charitatis vinculo inter se coniunctorum non audiantur; neque enim frustra à CHRISTO dictum esse putandum est: *Si duo vel tres ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui est in cœlis.* Sed neque citra causam quoque Ecclesia Catholica cùm calamitas aliqua impendit, aut grauis aliqua necessitas premit, communes publicasque preces & litanias indicit: Siquidem per Spiritum sanctum edocta intelligit, fideles plus posse, dum simul ad publicas communesq; preces in Domino conueniunt, quàm dum singuli domi seorsum precantur.

Matth. 18.

EX

Ex hoc autem principio, quod verum & in diuinis literis fundatum est, sequitur, eam orationem efficaciorem esse, quæ pro vniuersali Ecclesiæ bono, & ex communi eiusdem præcepto funditur, quàm quæ promitur pro quocunq; priuato & liberè. Sequitur ęquè, potentiores Deoq; acceptiores illas esse preces, quæ offeruntur pro regibus, principibus, aliisq; in potestate constitutis, quàm quæ pro quibuscunq; inferioribus: siquidem quò bonum est communius, eò est diuinius. Reges autem & viri principes, cæterique in magistratu collocati communem & publicam personam sustinent.

Salubriꝰ oratur pro regibus, cæterisq; in potestate constitutis quàm pro priuatis.

Devotionem feruensq; & incensum ad Deum resq; diuinas studiũ orationis vires augere nemo dubitat. Vnde quotquot de orationis comitibus aut eiusdem circumstantiis scribunt, ad vnum oẽs ardentem animi contentionem inter cęteras fructuosę orationis conditiones referunt. At dubium interim nonnullũ habet, internáne animi deuotio spiritusq; feruor orationis pondus, eiusdemq; meritum ita augeat intendatq;, vt eius oppositũ, hoc est, tepiditas, deuotioníue vacuitas noxam aliquam adducat.

Deuotio & feruor orationem vegetant, ęuisq; robur augent.

Sane diuinæ literę aliquid eiusmodi insinuant; notum est eñ illud Apocalypsis: *Vtinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Apocal. 3. Hîc neutiquã obscurè indicatur, tepidos Deo inuisos esse, Deus aũt solùm peccatum, & hominem propter peccatum inuisum habet. Cognatũ huic est illud Hieremiæ: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Cap. 48. At idem sonare videtur tepidè facere & negligenter facere: Sicut èdiuerso ardenter vel calidè facere & diligenter facere. Ad hæc Dñs per Michæam requirit, vt Mich. 6. sollicitè coram illo ambulemus. Eandem quoq; sollicitudinẽ exigit à nobis Apostolus; ait enim: *Honore inuicẽ prævenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.* Rom. 12. Sollicitudo autem includit studium, curam, & diligentiam. Deniq; qui orationem omnis feruoris & deuotionis exortem Deo offert, haud absimilis illi videtur, qui cùm possit sanum & integrum, claudum & morbidum pecus Deo offert: in veteri autem lege nefas erat, claudum, aut cæcum, aut debile animal Deo offerre.

Profecto sunt isthæc talia, quæ tepidos omnes iure meritóq; terrere & excitare debeant. Nihilominus si ad legis præuaricationem nõ deposcitur certa animi cõtentio; sed, vt legis præ-

uaricator sis veréq; dicaris, sat est, si quouis modo contra præceptum vel legem agas, videri queat talismodi animi cõtentionem vel intentionem ad legis obseruationem necessariò non deposci; sed vt peccatum vites, sat esse, si id integrè præstes, quod lege cautum erat; esto tepidè vel frigidè isthuc facias. Quemadmodum etiam, vt peccatorum condonationem consequare, sat est, si peccatum propter DEVM detesteris, etiamsi admodum remissè id fiat. Iubemur sanè DEVM ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus diligere; verùm id expletur, si nihil in corde vel animo, quod diuinæ dilectioni aduersum sit, foueatur, aut si nihil supra DEVM ametur; sed omnia in ipso & propter ipsum. Denique nullum omnino diuinum aut humanum præceptum ad sui obseruationem gradualem aliquam intentionẽ animiue contentionem exigere videtur, alioqui enim præceptóne factum esset satis semper dubitaretur. Sat putatur ergo, si tanta adsit contentio, quæ ad opus præceptum suscipiendum integreq; explendum sufficiens sit: Neque quæ ex Scripturis allata sunt, si rectè intelligantur, oppositum euincunt.

Tepor orationis nõ est per se peccatum, nisi tãtus sit, vt necessariæ circumstãtiæ omissionem includat.

AD primum responderi solet, geminã circa orationem tepiditatẽ accidere. Vnam, quæ opponitur feruori vel intenso conatui illumq; excludit; & hanc Scripturas peccati nõ condemnare, etsi eandem quoq; non laudant. Alteram, quæ aduersatur debitæ diligentiæ: eamq;, quòd negligentiam ponat & aliquã etiam omissionem includat, cum noxa plerunq; coniunctã esse. Ea ergo sola tepiditas culpæ obnoxia est, quæ opus præceptum, vel aliquam eius partem omittit. Ad locum ex Apocalypsi allegatum responderi potest, Angelum eum calidum appellare, qui quod debet, ex amore facit: Frigidum, quem non virtutis studium, sed gehennæ metus ad officium adigit: Tepidum qui nec amore, nec timore ad id præstandum mouetur, quod præstare obligatur. Alij aliter hunc locum ediserunt, sed hæc expositio præ cæteris magis probatur. Michæas autem de ea sollicitudine agit, quæ omissionem excludit; & de eadem quoque loquitur Apostolus. Quod de spiritus feruore ibidem addit, vt admonitor vel concionator non vt legislator addit.

Quis dicẽdus sit calidus, quis itẽ frigidus vel tepidus.

ILLVD porrò Hieremiæ; Maledictus, qui facit opus DEI negligenter, suam secum solutionem adfert. Agit enim de ea negligentia,

negligentia, quæ eius rei omissionem adiunctam habet, quam fieri omnino oportebat. Quare emendatoria exemplaria, quibus etiam Hebraica & Chaldaica editio suffragantur, non legunt negligenter, sed fraudulenter. Execratur eos enim, qui dolo malo contra Moabitas rem administraturi erant; de iis enim ibi est sermo, non de precatoribus. Postremum autem nihil probat, aut siquid probat, probat, omnem omnino eleemosynam tenuem, quando pinguior exhiberi poterat, deprauatam esse. Omnem item DEI & proximi dilectionem remissam, si intensior in medium adferri quibat, vitio affinem esse, quod falsum est. Illud itaque opus metaphorica quadam locutione appellatur claudum, vel mutilum, quod vitio aliquo laborat, vel quod debita aliqua circumstantia caret. Quamuis ergo tepiditas orationis fructum diminuat; peccatum tamen ex se non generat, nisi forsan sit tanta, vt rei alicuius debitæ vel necessarię circumstantiæ omissionem includat.

Quo sensu maledicti dicātur, qui faciunt opus Dei negligenter.

DE primariis internæ deuotionis fontibus suprà, quę ad rem opportuna videbantur, allata sunt. Hîc solùm monuerim, multa esse, quæ principales fontes multùm iuuare & promouere solent. Iuuat, exempli gratia, ardens obtinendæ deuotionis desiderium. Iuuat animi fortitudo & in perferendis laboribus constantia. Opus est enim magno & diuturno quodam exercitio & studio, vt quis spiritus feruorem, veramque animi deuotionem obtineat. Iuuat diligens cordis custodia: Facilimè enim animus ad vanas ineptasque cogitationes dilabitur, nisi studiosè inter recti limites assiduo coërceatur. Iuuat continua DEI præsentis memoria, Christique pro peccatis nostris passi frequens recordatio. Iuuant breues & iaculatoriæ preces, quas omni ferè tempore & loco adhibere licet: Vbique enim possumus à DEO aliquid petere, aut culpam agnoscere, aut gratias eidem agere, aut aliquid aliud eiusmodi animo cogitare. Iuuat crebra piorum & ad deuotionem excitandam cōscriptorum librorum lectio. Iuuat accurata sensuum externorum cura. Iuuat vita solitaria, & quātum per externas occupationes licet, ab hominum strepitu secessio. Iuuat locorum & & temporum, quæ excitandæ deuotioni magis conueniunt, obseruatio. Iuuat piarum meditationum & exercitationum assiduitas. Iuuat religiosa corporis compositio, religiosorumq; gestuum

Permultæ sunt causæ, quæ primarias deuotionis causas plurimum adiuuant.

vsurpatio. Iuuant tandem ea omnia, quæ ad impetrandam veram animi submissionem seriamque carnis mortificationem sunt vtilia. Verùm de animi præparatione internáque deuotione, prout quædam fructuosæ orationis conditiones sunt, satis; proximum est, vt de attentione, quę ad efficacem orationem apprimè necessaria est, nonnulla quoque in medium proponamus.

De attentione, quatenus ad obtinendũ præcipuos orationis effectus, vel explendum orationis præceptum est necessaria.

CAPVT SEXTVM.

Veræ rationis oratio deposcit attentionem.

ATTENTIONEM porrò, vt aliquẽ orationis effectum certò consequare, imò verò ne orando noxam incurras, necessariam esse, extra controuersiam est. Quandoquidẽ veræ rationis oratio secundùm Augustinum, Damascenum, & alios veteres Theologos præter tacitam vel expressam petitionem deposcit mentis in DEVM ascensum; at qui non attendit, quid dicat; neq; quid petat; neque vt attendat quicquam curat, sed sciens volensque cogitationibus ad rem nihil facientibus animũ occupat, quidnis potiùs quàm mentem in DEVM defixam habet. Adhæc vocalis oratio, de qua hic præcipuè agitur, internæ orationis signum est. Ne ergo falsum signum existat, consentaneum est, vt is, qui voce orat, oret simul & mente: Mente autem absque attentione nemo orare potest. Omni proinde attentione sublata, necessariò aufertur mentalis oratio, adeóque vocalis oratio in signum falsum degenerat.

PRAETEREA orare, vt multi non insciтè definiunt, est animi desiderium symbolo aliquo DEO pandere, vel id, quod animus desiderat, à DEO expetere, desiderium autem ponit intellectus considerationem, eiusdemq; ad id, in quod animus desiderio fertur, applicationem: Siquidem nihil expetitur, quod antè non cognoscitur. Atq; ita nulla potest esse veræ rationis oratio, quæ minimùm in exordio aliqua saltem attentione non fulciatur. Denique si oratio est opus humanum, vt reuera est, ex electione procedat oportet: Electio autem nascitur ex intentione, vtrumque autem ponit attentionem: Quandoquidem omnem omnino volun-

voluntatis actum antecedit cognitio, cùm voluntas in rem prorsus incognitam non feratur. Nulla est itaq; oratio illa, quæ omni penitus attentione destituitur. Atque hoc neutiquam obscurè indicat illud Apostoli: *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Et illud rursum Augustini: Quid prodest strepitus labiorum, si mutum est cor? & illud tandem CHRISTI: *Spiritus est DEVS, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet.* At quo modo in spiritu adorat, qui absque vlla attentione adorat? 1. Cor. 14. Ioan. 4.

DICIS: esto, obligatoria oratio attentionem deposcat, attamen vt preces liberę citra peccatum possunt omitti (alioqui enim liberæ non essent) ita earundem quoque partes, conditiones, & circumstantię inculpatè prætermitti posse videntur, adeóque qui liberè, hoc est, nulla lege, voto, aut præcepto adacti orant, non peccant, si mentem ab orationis scopo ad quæcunque aliena, & ad rem non facientia studio auertant.

HAEC ratio mouit quosdam, vt dicerent, orationem, quę sub nullum præceptum cadit, eo rigore attentionem non deposcere, vt peccet, qui inter orandum animo peregrinatur, quamuis data opera id faciat, hactenus tamen deposcere, quatenus precatori fructum aliquem est allatura, verùm id citra iustam causam. Nam vt is, qui tempore, quo alioqui lege non tenetur, vult confiteri, aut corpori CHRISTI communicare, aut sacris operari, nisi manifestum sacrilegij crimen incurrere voluerit, ea omnia, quæ ad sacramentalem confessionem, aut ad dignam communionem, vel celebrationem sunt necessaria, studiosè & diligenter adhibere debet; ita qui vult aliquid à DEO petere, ne irreuerentiæ noxam incurrat, reuerenter, piè, religiosè, & quantum humana fragilitas patitur, attentè & studiosè istud faciat oportet. Siue ergo oratio sit libera, siue necessaria, semper deposcit aliquam attentionem, non solùm ad impetrandum id, quod petitur, verùm etiam ad irreuerentiæ peccatum deuitandum.

Non modò præcepta, sed libera quoque oratio deposcit attentionem, vt citra peccatū oretur.

CONQVERITVR de hac negligentia Dominus per Prophetam & ipse etiam CHRISTVS: *Hic*, inquit, *populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Expostulat ea ipsa de re grauiter quoq; beatus martyr Cyprianus: Quæ, scribit ille, segnitia est alienari, & capi ineptiis, & profanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris; Matth. 15. Lib. de ora.

caris; quasi sit aliud, quòd debeas magis cogitare, quàm quòd cum DEO loquaris: Quomodo te audiri à DEO postulas, cùm teipsum non audias? & addit: Hoc est ab hoste in totum non cauere, hoc est cùm oras Dominum maiestatem DEI offendere. En eos ab hoste capi & Dominum maiestatis offendere hîc asserit, qui studio inter orandum vagantur. Asserit idem quoque Hugo Victorinus, si, ait, cùm orationem fundimus, quodlibet aliud in corde versamus, à culpa liberi non sumus. Bernardus autem à voluntaria illa euagatione adeò alienus est, vt ne honestas quidem cogitationes orationis tempore admitti velit. Scribit enim, Spiritus sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.

Dominum maiestatis offendit, q ad orationē non attendit.

Tra. de orat.

Ser. 49 sup. cant.

AT quia magni refert, compertum habere, quæ quantáque attentio est necessaria, non modò vt noxam inter orandum vites, verumetiam ne orationis fructum perdas, de orationis attentione aliquantò accuratiùs differere lubet. Solet autem triplex ab eruditis attentio assignari. Vnam ex his appellant actualem, alteram virtualem, tertiam habitualem. Harum autem quælibet aut fertur in verba, aut in verborum sententiam, aut in orationis finem, hoc est, in DEVM vel in id, quod orationis præsidio consequi nitimur: siue id meritum sit, siue debiti solutio, siue mentis cum DEO vnio, siue spiritalis quædam animi refectio, siue cuiuscunque alterius rei vtilis vel necessariæ impetratio. Hac porrò de triplici attentione, triplicíque eiusdem attentionis obiecto dictione præmissa, & finibus nihilominus, quos precator spectare potest, obiter indicatis, sit hæc prima assertio.

Triplex attentio, actualis, virtualis, habitualis, & triplex itidem attentionis obiectum.

AD obtinendum qualemcunque orationis effectum, tum ad euitandum quoque omissionis peccatum, aliqua saltem opus est attentione. Hæc est communis, & expresè D. Thomæ: nam argumento contra mentis euagationem, quæ inter precandum frequenter accidere solet, proposito, eodemque Basilij Magni auctoritate confirmato ita respondet: Dicendum est quòd si quis ex proposito in oratione mente euagatur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructū, & contra hoc Augustinus dicit in regula: Psalmis & hymnis cùm oratis DEVM, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Euagatio verò mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. Vnde Basilius: Si debilitatus à peccato

Oratio omni prorsus attentione destituta, auctorē suum certę noxæ inuoluit. 2.2.q 83.art.13.

Reg 3.

peccato nequis orare fixè, quantumcunque potes, teipsum cohibeas,& DEVS ignoscit,eò quòd non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram DEO. Hæc ille, quibus per omnia astipulatur Caietanus; scribit is autem in hunc modum:

NOTA diligenter,quòd quia ex proposito vagari in oratione peccatum est ex genere suo, ideo non solùm in oratione necessaria ex præcepto, sed etiam in oratione spontanea tenetur orans attendere: ita quòd licet non teneatur orare, tenetur tamen, si orat, attentè,quantum ex parte propositi, orare. Et est similis ratio in aliis virtutum actibus,quòd scilicet homo,si exercet eos,tenetur eos exercere cum debitis circumstantiis. Et paucis interiectis, ex Basilij Magni & D.Thomæ sententia ostendit,non eos solùm peccare,qui ex proposito vagantur; sed eos etiam,qui ex voluntaria negligentia incidentem mentis euagationem non coërcent:quæ omnia ea validè confirmant,quæ contra eos paulò antè allata sunt, qui spontaneam euagationem in oratione libera à culpa excusabant. Fatendum est tamẽ, minorem esse noxam,quæ nascitur ex libera oratione citra attentionem deprompta, quàm quæ ex necessaria,quacunque tandem de causa sit necessaria. 2.2.q 83.

Non illi modò peccant, qui in oratione data opera vagantur, verùm illi quoque, qui incidentem euagationẽ, cum possent,nõ comprimunt.

SECVNDA assertio: Animi attentio ad obligatoriæ orationis verba hactenus est necessaria, quatenus ea debitè integréque pronuncientur. Assertionis huius ratio est manifesta: Nam quicunque ad voces, quas in oratione vsurpat, non attendit, is manifesto periculo se exponit, ne id dicat,vel certè ne rite id dicat,quod ex lege,statuto,voto,vel præcepto dicere obligatur; atqui scriptum est: Qui amat periculum,peribit in eo. Neutiquam ergo à noxa excusari possunt, qui obligatoriam orationem recitantes vel decantantes, ad verba nihil attendunt.

Attentio ad verba obligatoriæ orationis hactenus est necessaria, quatenus ea rite integréque proferantur.

QVOD si oratio,quæ promitur,modis omnibus est libera, aut est ea rectè, piè, prudenterque composita, vt sunt scripturariæ, aliæque ab Ecclesia traditæ vel receptæ precationes; aut extempore est conflata. Si aptè concinnéque confecta est, non videtur opus peculiari attentione ad verba propter mutilationis vel omissionis periculum. Posito namque,attentionis vitio verbum aliquod omitti, vel perperam enunciari, non ob id statim aliquod peccatum conflabitur; quia oratio fuit libera, & omissio

Libera oratio nõ tantam exigit attentionem, vt verba rite proferantur, quãtam obligatoria.

vel deprauatio, vt hîc ponimus, non fuit ſtudio quæſita. Si autem oratio aliunde nõ eſt petita, ſed extẽpore ab orante concepta, ne aliqua dicantur inſulſa, inepta, vel malè cohærentia, (quod vtique vergeret ad aliquam numinis irreuerẽtiam adeóq; ad noxam) attẽtio ad verba eſt neceſſaria. Enimuerò ſi cum Rege terreno aptis grauibusq; verbis agendum eſt, & ſi ſecùs agitur, contra bonos mores peccatur, & pro gratia, quæ expetebatur, pœna interdũ reportatur, quantò magis piè prudenterq; cum cœleſti Rege loquẽdum eſt, tum ad exhibendum illi debitum honorem & reuerentiam, tum maximè ad id impetrandum, quod ab eo expetebatur?

Aptis verbis grauibusq; ſententiis cũ Deo agendum eſt.

TERTIA aſſertio: Attentio ad verborum ſenſum non eſt abſolutè neceſſaria, ne in obligatoria quidem oratione. Hæc probatione longa non indiget: Conſtat enim, permultos vtriuſq; ſexus horarias preces publicè & quidẽ cum merito decantare, quarum tamen ſententiam non capiunt, neq; quòd linguę, qua decantantur, ignari ſint, capere omnino poſſunt; ſed neque vt capiant, vllæ prorſus leges compellunt. Sat eſt enim, ſi mentem ad DEVM, ad quem omnis oratio tandem refertur, dirigant, & verba bene proferant. Sed neq; qui intelligunt quæ legunt, verborum ſenſum ea ratione obſeruare tenentur, vt peccent ſi non obſeruent. Nam cùm ea, quæ recitant, aptè ſint compoſita, ritéq; proferre & mentem ad DEVM referre queant, etiamſi ad vocum ſententiam non attendant, iure ſuo vtentes, ad alia quàm ad verborum ſenſum attendere poſſunt. Conſultè tamen faciunt, qui non ſolùm ad orationis finem, ſed ad verborum quoq; ſententiam attendunt. Verùm quia difficile eſt, ad plura ſimul attẽtionem adferre, quilibet id hîc conſectetur, quod ſuæ infirmitati magis conuenire, vel ſuo inſtituto magis ſeruire exiſtimauerit. Quare qui eô, quô tendunt, commodiùs venturos ſe ſperant, ſi attendant, ne in verborũ prolatione errent, & in ea attentione perſiſtere deliberãt, in ea, dum Dominus melius quippiam largiatur, perſiſtant. Idem ſuo modo ſtatuatur de cæteris attentionibus. Interim vt ea, quæ occupatur circa legitimam verborum pronunciationem, eſt maximè neceſſaria; ita quæ fertur in finem, omnium eſt præſtantiſsima.

Attentio ad verborum ſenſum vtilis eſt, neceſſaria tamen nõ eſt, ne in obligatoria quidem oratione.

QVARTA aſſertio: vt orationis debitum ſoluas, actualis attentio ad ſingula verba aut verborum ſenſum non eſt neceſſaria. Hęc recipitur ab omnibus, nec iniuriã: Nam ſi eum, qui horas Canonicas,

nicas, vel alias quaſcunq; obligatorias preces perſoluit, toto orationis curriculo actu ſemper ad verba, aut ad verborum ſenſum, aut ad orationis finem intentum eſſe oporteret, quotieſcunque mens præter inſtitutum inde ad alia quędam, vt fieri ſolet, dilaberetur, preces interea loci perſolutas repetere neceſſum foret; at iſtud iugum eſſet humanæ imbecillitati prorſus importabile. Vix enim orationem Dominicam citra aliquam animi diſtractionem perorare poſſumus, nedum preces vſque adeò prolixas & varias, quales ſunt horæ Canonicę. Adde his, Eccleſię præceptum magis cadere ſuper debitam vocum prolationem, quàm ſuper quamcunq; internam mentis actionem: Quandoquidem illa de merè internis animi actibus certum iudicium facere, aut ſententiam ferre omnino non valet; vt qui niſi externo aliquo indicio manifeſtętur, hominem prorſus lateant. Et quamuis illa pro ſua pietate peroptet, cùm preces tum cętera omnia, quę iniungit, ita expleri, vt explentes fructum inde capiant; attamen hoc pium & ſanctum illius deſiderium ea vi non ſtringit, vt ſi quando in caſſum cedat, peccatum ſemper adducat: modò tamen externum opus, quod iniunctum fuerat, integrè fiat.

Actualis attentio per totā orationem neq; neceſſaria, neque humanæ imbecillitati poſsibilis.

Eccleſia de actibus merè internis non iudicat, neq; leges fert, neque iudicare poteſt.

IVBET ſanè illa, vt diurnum nocturnumque officium, quantum Dominus dederit, deuotè & ſtudioſè celebretur, & vt hoc fiat, ratio & æquitas omnis poſtulat; verùm ea ſanctio, vt eruditis quibuſdam placere video, ad externam corporis compoſitionem magis ſpectat, quàm ad internā animi cōſtitutionem. Vult enim, magnáque cum ſeueritate iniungit, ne quid exteriùs deſignetur, quod cum attentione pugnet, aut internam animi deuotionem impedire valeat. Fauet huic ſententiæ & interpretationi tametſi minus tutę minusq; communi Clementina, eadem omnino de re edita. Nam etſi ea ipſa etiam deuotionis mentionē faciat, attamē ex totius canonis ſerie & congeſtione minimè obſcurè conſtat, quicquid eo loco ſtatuitur, inhibetur, vel ordinatur, hoc totū pertinere ad externū corporis ſtatum, externamq; morū ac motuum cōpoſitionē. Vult enim, vt Eccleſiarū paſtores, abuſibus omnib⁹, q; in Eccleſiaſtica officia & loca irrepſerāt, pſcriptis, ſollicitè curēt, vt diuinum officiū in cathetralibus & collegiatis Eccleſiis debitè, reuerenter, & deuotè, hoc eſt, quod ad externum hominem attinet, maturè, grauiter, & religioſè celebretur. Fauent eidem quo-

De cele. miſs. c. dolentes.

que omnes illi Theologi, qui eos Ecclesiæ præcepto satisfacere negant, qui orationis tempore, studio & quasi data opera in iis rebus vel actibus se occupant, qui sua natura cum debita attentione & deuotione pugnant. At multò clariùs & planiùs fauent huic doctrinę illi, qui Ecclesiam internos mentis actus per se percipere non posse contendunt, sed tantùm per accidens & quasi secundariò, ea nimirum mandando, quæ attentionem excitare vel conseruare nata sunt: vel ea inhibendo, quæ internos deuotionis vel attentionis sensus impedire solita sunt. Secundùm hos ergo qui inter orandum animo peregrinantur, etiamsi studio id faciant, magis contra diuinam, vel naturæ legem peccant, quàm contra Ecclesiæ constitutionem.

AT iure hisce obieceris: qui studio vagatur, non orat; si quidem vocalis oratio, vt fundamentum ponit mentalem, hoc est, studium aliquid à DEO petendi vel impetrandi; vtrumque autem deposcit attentionem: Si ergo nulla adest attentio, nulla aderit oratio, & ex consequēti, Ecclesiæ statuto, quę indicit orationem, non fiet satis. Ad hoc respondent illi, aliud est verè orare, aliud horas canonicas recitare. Hoc autem Ecclesia præcepit, non etiam illud; quia hoc ponit internum mentis actum, non etiam illud. Quamuis ergo studio vagans propriè non orat, si tamen nihil eorum omittit, quæ dicere debebat, indictas preces verè recitat, atque ita Ecclesiæ statuto facit satis.

VERVM licet hæc responsio sit acuta, non est tamē satis firma: Constat enim, ministros Ecclesię institui, nō vt quouis modo recitent, vel preces murmurēt, sed vt pro se & pro populo apud DEVM intercedant. Antè ad hęc oratio diducta fuit in priuatam & publicā; At priuata vt sit oratio, deposcit attentionem: Ergo & publica. Deniq; Ecclesia orationē indicens indicit actū humanū: at quod citra vllam prorsus attentionem effunditur, hoc neq; oratio est, neq; actus humanus est. Quāuis ergo quod de Ecclesiæ potestate circa actus internos dicitur, aliqua ratione niti videatur, longè tamen rectiùs, multòq; tutiùs defenditur, prout multi quoq; graues & eruditi Theologi simpliciter defendunt, Ecclesiā ad deuotionē & attentionē, cęterosq; mētis actus hactenus obligare posse, quatenus ordinē dicūt ad actus externos adeoq; decreto illo, q̄ suprà allegatū est, nō modò ad externā corporis compositionem

Can. dolentes, de misis cele.

vt

vt ibi dicebatur, sed ad internam quoque animi deuotionem & attentionem certa quadam ratione obligare voluisse; Atque ita quotquot horas Canonicas vel alias preces obligatorias citra vllam prorsus attentionem recitant, Ecclesiæ præceptum non explere. Iniunxerat hæc enim deuotionem & attẽtionem, quam illi non adhibuerunt, neq; adhibere curauerunt. Et quia iuxta hanc legem idem est non recitare, & citra vllam attentionem recitare, consequens fit, id totum instaurandum & repetendum esse, quod absque vlla prorsus actuali aut virtuali attentione recitatum fuerat: Sicut & illud quoque, quod alio quàm debiti soluendi animo recitatum vel decantatum erat. In vniuersum ergo tres sunt causæ, propter quas preces antè dictas repetere oportet. Prima ex his oritur ex conscientia recitantis, cùm nimirum aliquam illarum partem se omisisse existimat: Siquidem partem illam, de qua probabiliter dubitat, ne omissionis periculo sese exponat, instaurare debet. Altera est solutionis defectus, cùm videlicet dixit, sed non eo animo, vt satisfaceret debito. Tertia & postrema neglectus omnis prorsus attentionis. Sunt qui quartam adiiciant, quando nimirum inter recitãdum, peccatum aliquod interuenerit. Verùm hoc citra iustam causam: neque enim maioris operæ est, satisfacere statuto Ecclesiæ quàm diuinæ aut naturali legi. Vtrique autem per actus vitio aliquo contaminatos, satisfieri potest. Dicis, qui inter orandum inani gloria, vel alio modo aut via peccat, non præstat actum bonum, sed malum: Ecclesia autem orationem indicens, indicit actum bonum. Respondetur, vt Ecclesia id solùm præcipit, quod ex obiectio seu genere suo bonum est; ita statutis illius fieri posse satis per actus genere suo bonos & honestos, etiãsi mala aliqua circumstantia fuerint contaminati. Quare si horarum canonicarum integritati aliud nihil defuit, quàm quòd in peccato, vel non absque peccato fuerint recitatæ vel decantatæ, non erit opus de integro illas repetere.

Quod citra vllã attentionem recitatur, vt legi satisfiat, repeti debet.

Tres vniuersẽ sunt causæ, propter quas preces antè recitatæ repeti debent.

An verò horam inchoatam, ob aliquam autem causam non absolutam, qualiscunque tandem illa extiterit, dum ad orandum reditur, ab exordio repetere oporteat, id dubitant quidam. Nobis verisimilius fit, eiusmodi à capite inchoationem supererogationis esse verius quàm necessitatis: siquidem penso diurno integrè semel persoluto, nihil restat amplius, quod persoluatur: Sed

Hora inchoata & ob causam n. ô absoluta, vt à capite denuò inchoetur, non est necessarium.

& nullum quoque extat Ecclesiæ præceptum, quod eiusmodi repetitionem iubeat, aut recepta consuetudo, quæ confirmet. Non caret tamen omni prorsus culpa, horam inchoatam citra necessitatem, aut iustam causam notabili spacio interrumpere. Verùm de quarta assertione satis.

Ad nullum communem orationis fructum perpetua actualis attentio est necessaria.

QVINTA assertio: vt eos orationis fructus assequaris, qui sunt illi cum cæteris bonis operibus communes, hoc est, vt orando merearis, vel pro conflatis debitis facias satis, melioráque euadas, non est necessum, vt toto orationis decursu actu semper ad verba aut verborum sensum, vel orationis scopum attendas; sat est autem, si in orationis exordio id præstes, & in eiusdē progressu præstare studeas; etiamsi quod studes, non obtineas. Hæc etiā operosa probatione nullo modo indiget: siquidem ad orationis verba, aut verborum sensum, vel aliud quodcūq; eiusmodi, actu semper attendere, res est non modò ardua, verùm in hac infirmitate & mortalitate planè impossibilis: DEVS autem & Ecclesia non obligant ad difficillima nedum ad impossibilia. Adhæc oratio censeri solet inter cætera pietatis officia: Sed illa non exigunt, vt operi intentus toto operis lapsu actu semper ad opus vel operis finem attendat; sed sat est, si initio id faciat, opusq; pio studio inchoatum vsq; dum ad finem perducat, impigrè semper persequatur. Deniq; quicquid tandē statuatur de fine, certè si actualis attentio ad verba, aut verborum sensum, ad meritum vel satisfactionem absolutè foret necessaria, qui horas Canonicas lingua ignota decantāt, vel recitant, sua illa decātatione nihil plerunq; mererētur, vt qui verborum sententiam non intelligant, & ægrè admodum ad verba semper attendere valeant. Sed quis hoc dicere audeat?

Spiritalis dulcedo, quam oratio fundere solet, deposcit actualem attentionem. Habitualem attentionem ad orationē adferre non est satis.

NIHILOMINVS vt internū feruorem & spiritalem dulcedinē ex oratione haurias, necessarium est, vt actu in verborum sensum, vel Deum, qui præcipuus orationis scopus est, vel aliquid aliud hisce cognatum intendas; siquidem ad eum motum ciendum virtualis attentio non est satis, multò verò minùs habitualis. Imò verò ad nullum omnino orationis effectum obtinendum vna hæc sat esse videtur, nisi forsan ad debiti solutionem: Siquidem eiusmodi attentio & intētio in dormiente, aut quiduis aliud ab oratione alienum agente extare nonnunquam potest.

QVOD autem actualis attentio, saltem in orationis exordio, ad meren-

merendum, vel satisfaciẽdum, imò etiam ad peccatum vitandũ, sit necessaria, probatum est iam antè, & cõfirmatur denuo eiusmodi ratione. Nullũ opus potest esse meritoriũ aut satisfactoriũ, quod non sit humanũ: Sed quod ex nulla attentione aut intentione ortũ est, id humanũ dici satis propriè non potèst; quandoquidẽ homo per rationem & voluntatẽ est homo. Cùm ea ergo oratio, quæ omni prorsus attẽtione & intentione tam in exorsu q̃ in progressu destituta est, humanũ opus dici rectè non queat, fit, vt inter opera meritoria aut satisfactoria censeri nullo iusto titulo valeat.

Actualis attentio in orationis exordio est necessaria.

Idem incommodum inferre licebit, si orationem spectemus, vt in præceptum cadit. Nam cùm præcepta non dentur brutis, sed hominibus, necessum est, vt expleantur ex certa deliberatione, & non ex sola imaginatione, quæ brutis animantibus cum homine cõmunis est; deliberatio autem requirit attentionẽ. Cùm itaq; actualis attentio per totam orationẽ non sit necessaria, tametsi ab orationis exordio abesse non debeat, & habitualis sola ad obtinendos communes orationis effectus, communi doctorum hominum sententia, non sit satis, consequens fit, virtualem ad id, quod diximus, impetrandum & sat esse, & necessariam quoq; esse; neq; enim plures assignari solent attentionis species. Durat hæc autem tantisper, dum succedat illi voluntaria à re instituta aliena cuiusque rei cõsideratio. Vbi enim incipit voluntaria mentis euagatio, ibi desinit virtualis attentio.

Virtualis attentio ad obtinendum cõmunes orationis effectus sat est.

Quousq; se porrigat virtualis attentio.

Habet aũt quæstionem nonnullam, an dum inter orandum occurrit nobilis aliquis conceptus, aut consideratio rei alicuius admodũ vtilis vel illustris, tantisper orationis cursum suspendere liceat, & ad rei occurrentis considerationem animum cõuertere, donec animo factum sit satis, & tunc orationem inchoatam persequi. Paucis respondetur, dum quis priuatim orat, id nefas non esse, secùs dum publicè cum aliis orationi vacat. Nihil aliud, scribit Bernardus, dum psallitis, præter id, quod psallitis, cogitetis; nec solas dico vitandas cogitationes vanas & otiosas, sed vtiles quoq; vitandæ sunt illa hora & loco. Salubria sunt, sed minimè salubriter inter psallendum ea reuoluitis. Spiritus sanctus enim illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. Hæc Bernardus de bonis cogitationibus in publica oratione occurrentibus.

Priuatim orantes, si experiuntur nobiles aliquos cõceptus, non tenentur illos propter orationis continuationem reiicere. Ser. 49. sup. cãt.

At

AT verò cùm attentio ad orationem vsque adeò sit necessaria, vt nulla veræ rationis oratio sit, nec esse possit, quæ minimùm in exordio actualem, in progressu autem actualem vel saltem virtualem attentionem non sortitur (sola enim habitualis non est satis) ob humani autem ingenij mobilitatem, aliqualem inter orandum attentionem retinere, res sit admodum ardua, quærat hîc meritò quispiam, quid opus sit facto, vt orationi operam dantes aliquantò simus attentiores & deuotiores, quàm communiter esse consueuimus? Sanè qui studiosè & religiosè ea vsurpant, quæ suprà, cùm de præparatoriis orationis legibus agebatur, exposita sunt, illi multò minus laboris hîc habent, quàm cæteri, qui horum nihil curât nec adhibere student. Præter hæc autem multum ad comparandam & conseruandam attentionem profuerit, si priùs quàm cor nostrum coram DEO effundimus, animo pertractauerimus, quales nos simus, qui preces fundimus, tum cuiusmodi is sit, cuius opem imploramus; hinc quinam illi, pro quibus oramus; postremò quid ac quale sit illud, quod oratione impetrare satagimus, quibusq; verbis id proponere & perurgere conuenienter debeamus. Hæc enim omnia attentionis studium plurimùm promouent.

Aliquot saluberrima remedia ad comparandã & retinẽdam in oratione attentionem.

QVI ergo deuotè attenteque orare desiderat, ante omnia à se ipso exquirat, tu quis es merito vel peccato? Quis statu, ordine, vel professione? Quis iniuncto ministerio vel gratuito, DEI beneficio? aliaq; eiusmodi. Quis merito? peccator, incertus in odióne an in amore finiturus sis vitam. Scriptum est enim: *In multis offendimus omnes.* Rursum: *si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Item: *Omnia in futurum seruantur incerta.* Quo statu, ordine, vel iniuncto munere? fortè sacerdotio initiatus, aut monachum indutus, aut animarum curator, aut talis quispiam, qui peculiari quadam ratione ad orationis ministerium sis mancipatus & obligatus. Quis tandem singulari DEI beneficio? Creatura ratione & mente prædita, ad DEI imaginem condita, Christi sanguine redempta, ad cœlestem gloriam, nisi per te steterit, destinata. Horum omnium consideratio nata est deuotionem & attentionem augere: Nam quis ad orationem diligenter frequéterque se non componat, si se peccatorem inter vitam & mortem medium constitutum? si se ad orandum pro se & aliis consecra-

Iacob. 3.
1. Ioan. 1.
Eccl. 9.

Deum oraturus consideret, quis sit merito vel peccato, ordine vel professione, vel singulari Dei beneficio.

secratum & destinatum? si se non hostem aut tyrannum, sed clementissimum & benignissimum parentem precaturum animo versetur?

Orationem facturus perpendat quis, qualis, quantusq; sit, ad quem orationē dirigit.

Mox iterum iterumq; consideret, secumq; perpendat, quis, qualis, quantusque sit, ad quem orationem dirigit: Et in ipso statim meditationis suæ vestibulo occurret illi DEVS, cuius sapientiam nihil latet, cuius potentiam nihil æquat, cuius bonitatem nulla peccatorum vis superat, cuius iustitiam nulla astutia, aut potentia fallere aut infirmare valet. Hîc iam eiusmodi conceptum apud se formet: si à terreno & mortali principe aliquid petiturus, aut verba alioqui coram illo facturus, vti solet tanta attentione, tantaque consideratione & obseruatione, ne quid contra decorum, aut debitam reuerentiam committat, quantam equidem attentionem, studium, & diligentiam adhibere debeo, vt summum illud numen conuenienter decenterque compellem? Secundùm DEVM autem occurrūt diui, quorum intercessionem & patrocinium fortasis exquirere percupiet; cum quibus eò etiam maturiùs & attentiùs agendum erit, quò terrenis principibus sunt digniores, Deoque coniunctiores & acceptiores, vel ad hoc aut illud beneficium nobis à DEO impetrandum potentiores: Quandoquidem vt gratiarum sunt diuisiones in terra, ita etiam in cœlo.

Quò maiora sunt, quæ p preces obtinere flagimus, eò maiorem attentionem adhibere debemus.

PERPENDAT tertiò, quæ petiturus est, si tamen rectè petiturus est, non esse vulgaria aut parua, sed præstantissima. Neque enim res parua est regnum DEI eiusdemque iustitia; liberari à peccato, à diabolo, ab inferno, ornari virtutibus & donis cœlestibus; qualia orationis præsidio communiter peti solent, sed longè maxima. Atqui quò maiora sunt, quæ petuntur vel desiderantur, eò qui sapiunt, maiorem diligentiam, maiusq; studium & attentionem adhibere consueuerunt, vt commodè ea proponant, gratioseq; impetrent.

EXPENDAT quartò illorum statum, conditionem, necessitatem, &c. pro quibus oraturus est. Nam quò digniorem locum obtinent, qui precibus nostris subleuantur, vel nobis in Domino coniunctiores sunt, eò maiorem diligentiam maioremq; attentionem adhibere soliti sumus, vt exaudiamur. Offeret se hîc autem ipsemet, qui orationem fundit, iuxta illud sapientis: *Miserere* Eccl. 30.

animæ tuæ, placens Deo. Offerent se iusti, qui expiantur in purgatorio, pro quibus tantò frequentiùs & attentiùs supplicandum est, quantò seueriùs plectuntur, minusq; seipsos iuuare possunt. Offerent se principes, & Ecclesiæ proceres, quorum causa & salus eò studiosiùs DEO cõmendanda est, quò illorum ruina maius parit scandalum, eorumq; probitas & sanctitas cedit in maius Ecclesiæ vel reipublicæ emolumentum. Offerent se tandem mali & scelerati Diaboli laqueis miserè irretiti, eiusdemque iugo grauissimè pressi. Pro quibus eò enixiùs frequẽtiusq; orandum est, quò illorum status est periculosior, damnationiq; vicinior.

Quò maiores vel egẽtiores sũt pro quibus oramus, eò prudentiùs & attentiùs orationem instituere debemus.

COGITET quintò & postremò, quibusnam verbis causam suam apud DEVM agere velit; neque enim omnia æquè sunt idonea. Si oratione Dominica, vel alia à Prophetis vel Apostolis vel ab ipsa etiam Ecclesia tradita vti placuerit, minùs ipsi laborandum erit, vt necessitatẽ, qua premitur, aptè proponat: Sunt enim eiusmodi preces aptissimis sententiis & verbis contextæ. Interim magnopere hîc ipsi enitendum erit, vt summa cum reuerentia & attentione proponat: Sunt enim verba illa non hominis commenta, sed certa Spiritus sancti oracula. Quòd si verbis propriis & quasi extempore natis rem suam agere malit, summa opus erit attẽtione, ne insulsis vel ineptis vtatur. Quod incommodum quia rerum imperitis facillimè euenire potest, consultiùs faciunt, si precibus ex sacris Bibliis petitis, vel ab Ecclesia cõscriptis DEVM interpellent, eiusdemq; opem implorent, quàm si proprij capitis commentis ea in re vtantur.

Rerum rudes & imperiti consultiùs faciunt, si compositæ antè, quàm si extemporariaoratione inter orandum vtantur.

SED dicis, quæ ex Bibliis petita familiariter in Ecclesia vsurpantur, ea maiorem partem nihil cum iis commune habere videntur, quæ nobis desunt, communiterq; peti solita sunt. Quid enim facit Genesis, aut Exodus, aut Esaias, aut Psalmus: Quare fremuerunt gentes; aut Euangelium Lucæ, aut Epistola ad Romanos, aut quiuis alius sacrorum Bibliorum codex (nullus est enim, ex quo non aliquid sumatur, publicisque Ecclesiæ officiis & precibus adhibeatur) ad peccatorum remissionem? aut diuinæ gratiæ communicationem? aut cœlestis gloriæ consecutionem? aut ad aliquid aliud eiusmodi, quæ vsitatiùs expetere consueuimus? Ad hoc dici potest, veræ rationis orationem præter petitionem complecti pium & humilem in DEVM affectum, inter

inter animi autem affectus, qui orantis instituto deseruiunt, principatum obtinere amorem, animi submissionem, & indignationem. Primum progignit diuinæ laudis commemoratio; primo proximum nostræ miseriæ explicatio; postremum hostilis nequitiæ & improbitatis expositio, eiusdemque nequitiæ vel insolentiæ exaggeratio.

DIVINI amoris studio admirationis & congratulationis affectio adiungi plerunque solet. Nam vt ex diuinæ clementiæ & benignitatis consideratione exoritur dilectio; ita ex maiestatis & fœlicitatis eiusdem commemoratione exurgit admiratio & congratulatio. Amamus enim benignos, admiramur potentes, congratulamur fœlicibus. At verò humiliationis sensui doloris & timoris sensus plurimùm adesse cõsueuit. Vt enim ex propriæ vilitatis & infirmitatis contemplatione enascitur animus submissus & humilis; ita ex malorum, quæ pertulimus, vel etiamnum perferimus recordatione, doloris sensus oboritur; ex consideratione autem malorum vel miseriarum impendentium timor consurgit. Affectioni tandem indignationis contra iniquos & sceleratos adiungitur ferè ardens vindictæ zelus, & certa quædam de misericordia & iustitia DEI fiducia. Cùm ergo Scripturæ sacræ & præcipuè Psalmi ea plerunq; exponant, quæ pertinent ad diuinæ bonitatis, potentiæ, maiestatis, beatitatis &c. laudem & commendationem, aut ad nostram miseriam & calamitatem, aut certè ad hostium nostrorum crudelitatem & iniustitiam, semper offerunt aliquam mentis in DEVM erigendæ materiam. Mentem autem vel affectum in DEVM subleuare, tacitè est orare, etiamsi nihil omnino determinatè petatur. Addo his, qui priuatim orant, non quibuslibet Scripturæ locis vti solere: sed iis tantùm, quæ instituto suo magis conueniunt. De quinta assertione hæc dicta sint.

Quo sensu & modo scripturæ, quarum in Ecclesiasticis officiis vsus est, ad aliquam orationis speciem reduci queant.

SEXTA & postrema assertio; vt proprium orationis effectum consequare, hoc est, vt certò id impetres, quod petis, non sat est, si attentè & studiosè ores, sed opus est præterea, vt piè & perseueranter id facias, eaque petas, quæ sint salutaria, & id quidem pro te ipso. Hæc est Glossæ, vbi edisserit illud Lucæ; Quis ex vobis habens amicum, &c. & omnium penè veterum & recentiorum Theologorum; imò ipsius quoq; CHRISTI: Neque

Oratio impetratoria quatuor deposcit conditiones.

Cap. 11.

enim is omnes promiscuè sese exauditurum promisit, sed eos vel solùm vel potissimùm, qui aliquid patrem in nomine illius peti-
Ioan. 16. turi essent; ait enim: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hæc aliis verbis eandem ferè animo sententiam offerunt, quam Glosa. Indubitatum est enim, illos piè non
Piè nō petit, qui per Christum non petit. petere, qui in CHRISTI nomine non petunt: Constat namque, totum, quod habemus & possumus, à Patre per CHRISTVM in nos descendere.

PARI modo qui perituras opes, honores, hostium clades,
Quinam sint illi, qui inter orādū dicantur aliquid petere. aliaque eiusmodi petunt, non petunt quid, hoc est, aliquid stabile & salutare; sed quiddam fluxum & casui obnoxium: Siquidem ea sola rectè aliquid dicuntur, quæ ad salutem, quæ æterna est, faciunt: Nam temporalia vnà cum tempore fluunt, nec vnquam in eodem statu consistunt. Sic quoque, qui, vbi semel repulsam acceperunt, statim ab orando desistunt, non agunt cum DEO, tanquam cum pio parente, (nam etsi benigni parentes interdum differunt & prorogant, nunquam tamen in finem abiiciunt) sed tanquam cum hospite & peregrino. Quòd tandem certò impetraturus pro se ipso orare debeat, id æquè atque cætera ex ipsius literæ contextu patet; non enim dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit aliis, sed dabit vobis.* Idem sonant reliquæ illius promissiones, vt: *Quæcunq; petieritis in oratione credentes,*
Ioan. 16. *accipietis.* Item: *Quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis, &c.* Qui ergo certò vult obtinere,
Matt. 21. piè petat, cōstanter petat, salutaria petat, pro se ipso petat.

PIE autem petit, qui ex fide, spe, & charitate petit, vel non absque illis petit. Non absque fide orat, qui de DEI potentia propensaque in nos voluntate nihil dubitat. Non absque spe supplicat, qui de DEI benignitate & misericordia per fidem edoctus, certam de impetrando fiduciam concipit, eaque armatus ingenuè haud secùs, ac filius cum patre solet, cum DEO agit. Non absque charitate orat, qui omnia, quæ desiderat, in DEVM summè dilectum ordinat. Exempli causa, petit vitam æternam, quò indissociabili charitatis vinculo DEO vnitus, illum in secula seculorum laudet; petit animi robur aut de tētatione victoriam, ne fortè à dæmone vel mundo vel carne superatus, ab illius amicitia excidat. Petit sanitatem, necessariamq; vitę sustentationem, aliaq;

aliaque eiusmodi externa, quò facilius ad scopum sibi præfixum veniat. Charitas ergo omnia in DEVM ordinat: Spes consequendi fiduciam præstat: Fides de donatoris potentia & liberalitate informat.

HINC conficitur, eos absolutè piè non orare, qui mortifero peccato obstricti orant; siquidem charitate, quæ ad orationem absolutè piam est necessaria, carent. Neq; hi tamen, si DEI misericordiam, aut peccatorum veniam, aut aliquid aliud istiusmodi humiliter à DEO efflagitant, cum pietate pugnant aut peccant; quin potius DEO gratum sibique vtile opus præstant; peccarent autem si qua illicita peterent, vel quæcunq; licita malo fine, modo, vel animo peterent. Sic minùs quoque piè orant, qui de DEI in nos studio hæsitant; notum est enim illud Iacobi: *Si quis indiget sapientia, postulet à Domino: postulet autem, in fide nihil hæsitans.* Piè autem humiliterque orant, qui suam ingratitudinem, tepiditatem, vilitatem, infirmitatemque animo pertractantes, qui petita à DEO impetrent, indignos se planè iudicant. Iacob. 1.

PIE rursum orat, qui ordinatè orat: ordinatè autem orat, qui per media ordinaria ad finem præfixum contendit. Exempli causa, ad peccatorum remissionem per pœnitentiam; ad vitam æternam per gratiam, diuinorumque præceptorum obseruationem; ad scientiam & sapientiam per studium & vigilias; ad opes vitæ vel statui necessarias per laborem & industriam; siquidem si quis hæc aliaque similia per solam orationem, absque vllo prorsus labore, obtinere vellet, cùm labore alioq; & industria obtinere posset, ille vtique non tam oraret, quàm DEVM tentaret. Quare iure quoque reprehensi sunt filij Zebedæi, quòd priùs cogitarent de regno & triumpho, quàm de cruce & pugna. Sunt itaque hæc omnia frequenter petenda, sed interim media ordinaria, quibus ad illa peruenitur, neutiquam sunt negligenda. Piè tandem orat, qui ea omnia, quātum vires ferunt, adhibet, quæ ex parte orantis adhiberi debent, quæ vtique sunt minimè pauca; pertinent huc enim ea omnia, quæ de attentione, deuotione, præparatione, aliisque consimilibus suprà explicata sunt. Matth. 20. Orationis pietas latè patet.

ALTERA impetratoriæ orationis conditio est assiduitas vel perseuerantia. Hæc ex eo potissimùm spectatur, ad quem oratio dirigitur. Dominus namque quod petimus & ipse dare instituit,

consultò nonnunquam differt, quò ardentiùs petamus, feruentiusque in illum nos conuertamus. Etenim vt pusillum aquæ in ignem coniectæ ignis ardorem excitat, ita res dilata desiderium inflammat. Facit id quoq; vt donum ambitum tandem aliquando impetratum maiori loco habeamus. Minoris enim plerunq; fiũt, quę facili labore obueniunt. Vnde Augustinus: Ipse Dominus, qui vult dare, differt dare, vt ampliùs desideres ipsum dilatum, & vt desiderando capax inueniaris, vt cùm venerit, ampliùs implearis. Rursum: Qui nos hortatur vt petamus, & cui displicet si non petimus, si aliquando tardiùs dat, commẽdat dona sua, non negat ea; quoniam diu desiderata dulciùs obtinentur, data verò citò vilescunt. & infrà: Quædam non negantur, sed vt commodo tempore dentur differuntur. Fit hoc tandem propter perseuerantiæ meritum. Nã quò diutius vrgemus, pertinaciusq; instamus, eò auctius apud DEVM meritũ nobis cõparamus, ipsiq; chariores euadimus.

Dever. Domini. Cur Deus petita non statim semper concedat, sed quę dare vult sępe differat.

PERSEVERANTIAE vim egregiè nobis declarat CHRISTVS improbi cuiusdã iudicis exemplo. Nam etsi is DEVM non timeret, neq; hominem vllum reuereretur, attamen assiduitate magnáq; viduæ ab aduersario iniustè oppressæ importunitate victus, cessit tandem illius postulationi. Sic Chananæa quoq; dum orãdo perseuerat, non id solùm, quod voluit, impetrauit; sed à CHRISTO etiá laudari promeruit. Est itaq; crebris precibus insistendum, neque statim, vbi semel aut iterum frustra orauimus, desistendũ, ne operam perdamus, ac leopardis, qui si primo aut secundo assultu prędam, quam insequuntur, nõ assequuntur, persequi mox desinunt, similes habeamur: Neq; enim satis est ad obtinendum, quòd iusti sumus, quòd amici sumus, quòd semel aut iterũ maiestatis thronum adiuimus; sed opus est perseuerantia & quadam importunitate. Virtutis pondus, scribit alicubi Gregorius, oratio non habet; quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Perseueranter autem is propriè petit, qui obtinendi desiderium per oppositam voluntatem non interrumpit; neq; per peccatum, quò minùs impetret, obicem ponit, & illud nihilominus, quod semel aut sæpius quoque vrsit, suo tempore vrgere non desinit.

Lucæ 18.

Matth. 15. Marc. 7.

Leopardorum ingenium & natura.

In mor.

TERTIA conditio ad id impetrandum, quod petitur, necessaria, sumitur ex parte obiecti, hoc est, ex earum rerum natura & qualitate, quæ petuntur. Nam qui certò à DEO vult audiri, ea petere

petere debet, quæ ad DEI gloriam & ad animæ vel corporis salutem sunt vtilia vel necessaria; cuiusmodi sunt ea omnia, quæ continentur in septem Dominicæ orationis petitionibus. Petimus hîc enim non tantùm DEI gloriam & vitam æternam cæteráque omnia, quæ ad hæc obtinenda sunt necessaria vel opportuna, vt legis obseruationem, quotidianam corporis sustentationem, &c. sed eorum quoque amotionem, quæ internam externamque hominis salutem impedire nata sunt: Cuius generis sunt carnis, Dæmonis, & mundi tentationes, animi vel corporis ægritudines, tyrannorum, hæreticorum, vel infidelium vis, aliæque eiusmodi pestes complures. Quòd si homo iis, quæ oportuit, adhibitis, quod petit non semper impetrat, cogitare debet, saluti suæ non expediuisse, vt id impetraret quod petebat. Sæpe enim quod è salute nostra est, non satis intelligimus; & interdum quoque id, quod petebat, non accipit, sed aliud salubrius.

Quicquid comprehẽdit orati Dominica hoc totum licitè petitur.

POSTREMA efficacis orationis conditio est, vt precator pro se ipso petat. Id vt certò impetres, deposci ex scripturis paulò antè in eam rem allegatis colligunt eruditi, potestque illorum collectio eiusmodi ratione confirmari. Vt oratio sit efficax, ab omni impedimento immunis sit oportet; at nullum est impedimentum, quod per DEI gratiam à nobis ipsis amoliri non queamus, ab aliis autem, nisi ipsi quoque velint, non possumus, cùm aliorum voluntas in nostræ voluntatis potestate non sit posita. Cùm ergo in aliis sæpe hæreant impedimenta, quæ ipsi tollere non volunt, nos autem propter causam iam allatam tollere nequeamus, non est mirum, si pro aliis orantes nõ semper audiamur. *Noli orare pro populo isto, dicebat Dominus, nec assumas pro eis laudem, & orationem, neque obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et infrà: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Causa huius erat, quia populus ille erat omnino indignus, pro quo Sancti orantes exaudirentur. Erat enim grauissimis sceleribus obstrictus, neque vllam de pœnitentia, aut vitæ emendatione cogitationem suscipiebat.

Hier. 7. Cap. 15.

DIXI mirum non esse, si pro aliis orantes nõ semper audiantur Sancti, vel alij quicunque idonei; siquidem iusti imò etiam iniusti & peccatores multa sæpe pro aliis impetrant: Verùm id non semper nec certò, quia nõ ex lege, sed ex mera gratia: Sæpe namq;

DEVS

DEVS nonnullos audit ex quadam benignitate, & interdum ex quadam indignatione, quos ex lege audire non obligatur, quia nimirum non præstant, quod secundùm legem ab ipso præscriptam præstitum oportuit. Neque enim omnes promiscuè se auditurum spospondit, sed eos, qui patrem quid peterẽt in nomine illius. Qui ergo certò vult audiri, pro se oret, constanter oret, piè oret, & salutaria petat. Quòd si ex his quatuor aliquod defuerit, & nihilominus, vt sæpe fit, audiatur, cogitet, se nõ audiri ex legis iustitia, sed ex legislatoris gratia. Verùm de bonæ & fructuosæ orationis cõditionibus & peristasibus satis: proximum est, vt de orationis necessitate nonnulla quoque proponamus. Nam quæ hactenus proposuimus & exposuimus, ea omnia ad orationis vim & vtilitatem pertinent.

Qui conditionibus ad impetratoriam orationẽ necessariis non adhibitis auditur, non ex lege, sed ex mera Dei liberalitate audiuntur.

De orationis necessitate & erroribus, qui de hac necessitate quandoq; extitêre & alicubi etiamnum extant.

CAPVT SEPTIMVM.

ORATIONEM rectè institutam, suisque partibus & circumstantiis rite ornatam magni roboris esse, illustresq; fructus de se fundere, ostensum est hactenus: verùm quia non omnia vtilia, ad salutem sunt necessaria, vt de consiliis Euangelicis & aliis quam plurimis manifestò constat, ne quis orationem ita vtilem esse admittat, vt eius tamen necessitatem prorsus neget, vel in quęstionem vocet, paucis hoc capite demonstrandum existimaui, cùm publicam tum priuatam quoque orationem ita salutarem esse semper, vt interdum quoque ad spiritalis vitæ salutem & conseruationem sit necessaria.

Non omnia vtilia ad salutẽ sunt necessaria.

EXTITERVNT autem hac de re duo oppositi errores. Alter eorum, qui orationis necessitatem absolutè negabant, contra quem præcipuè hoc segmento certamen nobis erit; est enim altero multò pernicioſior. Alter illorum, qui eiusdem vsum & energiam nimiùm extollebant. Putabant hi, spiritalis vitæ sensum absque continua oratione consistere non posse; Tum quia scriptum est; *oportet semper orare, & non deficere*, tum maximè, quia homo ne cadat

De orationis necessitate duo oppositi errores extitêre.

cadat, vel vt lapsus resurgat, semper eget DEI gratia eiusdemque præsidio & ope; hæc autem citra orationem ordinaria via non impetratur.

HAC erronea opinatione contaminati fuerunt Messaliani, quos alio nomine Psallianos & Euchetas appellant. Tantum autem illos orasse asserit Augustinus, vt iis, qui audiunt, incredibile videatur. Iidem suæ illi continuæ orationi tantum virium tribuebant, vt eam solam, cæteris omnibus seclusis, ad salutem sat esse prædicarent. Certè Adelphius qui, vt historia Tripart. refert, sectę illius Coriphæus & quasi dux habebatur, non Baptismum sed studiosam orationem Dæmones fugare palàm asserebat. Addebat, Dæmone orationis vi iam profligato, Spiritum sanctum aduenire, suóque aduentu corpus & animam ab omni miseria & infirmitate liberare; eumque in modum vtrunque in omni sanctimonia & bono confirmare, vt homo de cætero neque ieiunio neq; vllo alio, quod carnem refrænet, adminiculo opus habeat. Præter hos extiterunt alij, qui orationem vsque adeò efferebant, vt diuinam quoque prouidentiam eiusdemque ordinem & dispositionem vi illius frustrari & mutari posse defendere non dubitarent.

Lib. de hæres. hær. 57.

Adelphij & aliorum Psallianorũ errores de orationis virtute.

VERVM sunt hæc omnia absurda, neque quibus refutandis multum operæ insumatur satis digna. Et quidem ad primam assignati erroris partem quod attinet, satis compertum est, DEVM nihil vnquam homini præcepisse aut iniunxisse, quod in hac mortali vita expleri nulla ratione posset: at nemo mortalium omnium perpetuò citra vllam intermissionem orationi incumbere potest. Nam & dormiendum est, quo tempore nullus rationis vsus est, nec esse potest; hic autem ad orationem omnino est necessarius; siquidem oratio iuxta August. & alios est mentis ad DEVM ascensus. Sic quoque manducandum & bibendum, &, ne desit quod manducetur vel bibatur, laborandum est; ast qui his ex instituto vacat, orationi ex instituto vacare non valet; nisi id totum fortè orationem appellent, quod propter DEVM vel aliam honestam causam suscipitur, iuxta illud Apostoli: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad laudem DEI facite.* Verùm de hoc orationis genere illi non agebant, alioqui inter hæreticos censi non fuissent; neque illorum oratio fidem, vt Augustinus refert, excessisset. Quandoquidem piorum hominum proprium est, omnia

Nemo mortalis citra intermissionẽ orare potest oratione ꝓprie dicta.

1. Cor. 10.

dicta, facta, & cogitata sua ad DEI laudem & gloriam, quoad eius fieri potest, referre. Quod ergo de continua oratione asserunt, non modò à fide, sed ab humana quoque ratione prorsus alienum est.

FVNDAMENTA, quibus nituntur, iam antè euersa sunt: Dictum est enim, ad comparandam vel conseruãdam DEI gratiam, Sathanæque insidias propulsandas & illicitos carnis motus comprimendos sat esse, si oretur suo tempore & loco, quando nimirum opportunitas id suadet, vel necessitas postulat, vel maiorum lex iubet. Pari modo ostensum est, illud CHRISTI: *Oportet semper orare*; & illud item Pauli: *Sine intermissione orate*, non exigere continuam orationem, sed tantùm frequentem. Nam vt ex Augustino & aliis suprà ostensum est, semper orat, vel sine intermissione orat, qui statis horis quotidie diuinam opem implorat: siue id manè faciat, siue vesperi, siue alia quacunque diei parte. Secundùm Bedam porrò is semper orat, qui iuxta Ecclesiæ ritum septies in die orat, iuxta quod Dauid quoque aiebat: *Benedicam Domino in omni tempore*, hoc est, certis horis quotidie. Denique tam CHRISTVS quàm Apostolus hyperbole quadam, quæ in scripturis admodum vsitata est, orationis studium & assiduitatem nobis commendant.

Luc. 18.
1. Thes. 5.
Ad c. 18. Luc.
Psal. 33.

Sola oratio ad salutem satis non est.

QVOD autem sola oratio, cæteris omnibus exclusis, ad salutem satis non sit, scriptura passim ostendit; notum enim est illud CHRISTI: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Et illud eiusdem: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et illud item: *Nisi iustitia vestra abundauerit plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et illud tandem: *Si nõ dimiseritis hominibus peccata eorum; nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Mitto cætera vtriusque Testamenti testimonia: Perabsurdum est ergo dicere, hominẽ per solam orationem, cæteris omnibus virtutum actibus seclusis, vitam æternam consequi posse.

Ioan. 3.
Luc. 13.
Matth. 6.
Matth. 6.

Phanaticus error est, ea orationi tribuere, quæ tribuebant illi Psalliani.

AT multò absurdiùs asseritur, earum virium esse assiduam orationem, vt hominem secundùm corpus & animam impatibilem, futurorum contingentium præscium, à ieiuniorum & omni alia lege liberum reddere queat. Si enim Apostolus Paulus cæteríq; qui spiritus primitias acceperant, à carnis stimulis immunes

non

non viuebant, neque citra miraculum viuere poterant, multò minùs reliqui, qui tanta gratia cumulati non sunt, vtcunque orationis studio incumbant, ab eiusmodi insultibus & hostibus immunes viuent. Oratio enim, vt maximè ferueat, fomitem in hac vita non extinguit, sed tantùm ne nimiũ insolescat, comprimit, quamuis ne hoc quidem per se solam.

Diuinæ prouidentiæ ordo & series nullius orationis vi frustrari, aut impediri potest.

Ast omnem absurditatis modum excedit, quod de orationis vi in frustrando vel euertendo diuinæ prouidentiæ ordine & dispositione adfertur. Quandoquidem vt in Deum nulla cadit nec cadere potest mutatio, ita nec in eiusdem quoque prouidentiam, vt quæ non sit alia quàm ipsamet illius ἀΐδια. Vnde Ecclesia: Deus cuius prouidentia in sua dispositione non fallitur. Ad hæc si diuina prouidentia æternáue eiusdem dispositio penderet ab humana voluntate, vel à quocunque alio hominis opere; sicut vtique pẽderet, si per humanas preces mutari posset, nihil in rerum vniuersitate certum foret, ne ipsa quidem diuina prædestinatio, quæ præcipua diuinæ prouidentię portio existit. Denique vt æternum per temporale non potest effici; ita nullo modo per idem quoque potest euerti, aut mutari, aut à suo cursu impediri. Error est proinde intolerandus docere, diuinam prouidentiam per iustorum, aut quorumlibet aliorum preces mutari posse.

Alio fine & animo rogat Deus, alio homo.

Patet hinc alio fine & animo rogari Deum, alio hominem: Non enim rogamus Deum, quò nostra oratione illum flectamus, aut ab æterno voluntatis suæ decreto abducamus (compertum enim habemus, vnum illum esse, qui de nolle flecti non potest in velle, aut de velle in nolle, aut de vno velle aut nolle in aliud velle aut nolle, neque nunc aliquid velle aut nolle, quod ab æterno non voluerit) Rogamus autem illum, quò prouidentiæ illius ordinem exequamur, hoc est, vt id precum nostrarum præsidio assequamur, quod ab æterno eiusmodi medio & instrumento assequi nos voluit. Tum rursum, vt nos ipsos ad pietatem & deuotionem excitemus, nostrarumque miseriarum contemplatione & propositione ad piam quandam nostri ipsorum sympathiam prouocemus. At verò hominem rogamus, vt nostra oratione illum permoueamus, hoc est, de nolente volentem, aut contrà de volente nolentem efficiamus.

Aliæ sunt leges terrestris fori, aliæ fori cœlestis.

ET quia alia est ratio fori cœlestis, alia terrestris, fit, vt reus aliter causam suam agere soleat, & agere quoque debeat apud DEVM, aliter apud hominem. Enimuerò criminis confessio apud ciuilem iudicem plerunque obesse consueuit, apud cœlestem autem tantum abest vt obsit, vt sæpe etiam multùm prosit. Eò namque meliorem causam nostram apud DEVM reddimus, minorique negotio veniam impetramus, quò sinceriùs peccata nostra prodimus, seueriusque nos ipsos condemnamus, nullam obtendentes excusationem, nulla vtentes delicti extenuatione. Curiæ cœlestis lex hæc est: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur*, qui autem non absque cordis gemitu confessus fuerit, eáque reliquerit, misericordiam consequetur. Item: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; à Domino iudicaremur.* Per hanc legem rex Dauid in DEI consistorio veniam & misericordiam impetrauit; aiebat enim: *Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatē peccati mei.* At verò in curia seculari longè aliter res habet: ibi enim sui accusatio, admissíque criminis confessio, si non mortem, certam sanè pœnam aut multam confitenti reo adducit.

Prouerb. 28.

1. Cor. 11.

Psal. 13.

Cùm homo peccatū detestatur, aut peccatorum veniā precatur, mutatur ipse, nō etiam Deus.

SI ergo peccatorum venia vis potiri, teipsum ex animo accusato, teipsum iudicato, teipsum condemnato, & voti compos euades; non per mutationem DEI, sed per mutationem tui. Cū enim peccator peccatum incipit detestari, mutatur, quia habet peccati detestationem, qua antè destituebatur. Pari modo si eorundem petit condonationem, vel CHRISTI gratiam, vel aliud quodcunq; eiusmodi, iterum mutatur, quia formauit petitionē, quam antè non formauerat. DEVS autem, siue peccatum deleat, siue gratiam præstet, siue quodcunq; aliud faciat, nullam subit mutationem, quia nihil recipit, quod antè nō habebat: quia quod facit hoc temporis articulo, id ab æterno facere voluit. Quemadmodū enim homo offensus nō mutatur, dum inimico noxā condonat, si certò antè decreuerat, veniam se concessurū, quocunq; tandem tempore inimicus illam peteret; ita DEVS quoque nullo modo mutatur, dum ad hominis petitionem veniam, aut quamcunque aliam gratiam largitur; siquidem ab omni æternitate ad talem & propter talem petitionem tale beneficium impertiri statuerat. Nulla itaque orationis vi DEVS, ab eo quod semel decreuerat, abducitur, aut à prouidentiæ suæ ordine dimouetur.

QVOD

QVOD si qui ex orthodoxis Patribus sunt, qui DEVM Sanctorum precibus flecti dicunt, illi aliud nihil suo illo loquēdi modo significare volunt, quàm DEVM Opt. Max. id per & propter huius vel illius orationem facere vel concedere, quod absq; eiusmodi oratione effecturus vel concessurus non erat. Exempli causa; DEVS ab ęterno Paulum ad sese conuertere statuerat, sed non absque medio. Quia ergo Stephani oratio, vt placet Augustino & aliis, fuit occasio vt Saulus conuerteretur, dici aliqua ratione potest, B. Stephanum sua oratione DEVM flexisse: Siquidem DEVS propter Stephani intercessionem aliquid fecit, quod absque illa facturus non erat; hoc ipsum tamen citra vllam sui mutationem: Quandoquidem non iam tum primùm, cùm Stephanus preces fundebat, sed ab omni æternitate talem effectum per talem causam producere constituerat. Idem statuatur de cæteris similibus; par enim omnium est ratio.

Quomodo eorū sentētia exponi debeat, q Deum Sanctorū precibus flecti tradunt.

ET quamuis de eiusmodi DEI dispositione certò nobis non constet, neque citra reuelationem certò constare queat, attamen multis scripturarum exemplis & documentis adducti probabiliter credere possumus, DEVM nobis vel aliis per orationem hoc vel illud bonum conferre decreuisse. Quòd si is non per hoc, sed per aliud medium nos ad salutis portum adducere decreuerit, adhuc feruenter orantes operam non perdimus. Nam oratio, vt suprà ostensum est, non solùm impetrandi vim habet, verùm etiam merendi & satisfaciendi. Porrò autem quòd plurimi clades, quas DEVS illis comminatus fuerat, precibus euasisse leguntur, id non arguit DEI ordinationem esse mutabilem; arguit autem eiusmodi comminationes vel denunciationes non fuisse absolutas, sed certæ conditioni astrictas. Nam si absolutæ fuissent, nullis precibus redimi potuissent. Quamuis ergo orationis vires sunt magnę, non sunt tamen tantæ, vt diuinæ prouidentiæ ordinem mutare, aut hominem per se, cæteris virtutum actibus seclusis, seruare, aut impatibilem reddere, aut ab omni obedientiæ iugo eximere valeant. Rursum licet oratio loco & tępore sit obligatoria, adeóque ad salutem necessaria; attamen vt saluus fias, non est necessarium, vt cōtinuò orationi insistas. Verùm de iis, qui orationis vim nimiùm extollunt, satis.

Quādo Deus id non infert, quod cōminatus fuerat, euentu ipso ostendit, cōminationem suam non fuisse absolutam, sed conditionatam.

Alii oppositam quasi viam ingressi omnem omnino orationem superuacaneam pronunciant. Hoc errore tenẽtur ij omnes, qui aut diuinam prouidentiam negant, aut humanę voluntatis libertate è medio sublata, omnia quadã fatali & ineuitabili necessitate euenire blasphemant. Etenim si Deus res humanas nõ curat, frustra ad illum funduntur preces: Rursum si omnia necessariò eueniunt, nequicquam laborant, qui, ne hoc vel illud fiat, vel vt hoc vel illud fiat, oratione efficere contendunt: Omnino enim fiet vel non fiet, in quamcunq; tandem partem se verterint; neque enim magis Dei scientia potest falli, aut eius prouidentia à suo cursu præpediri, quàm ipse mutari. Non est sanè huius loci, de Dei prouidentia, aut arbitrij libertate, aut vtriusque inter se cõcordia disputare: Attamen quò de orationis necessitate, quam illi negant, constet clariùs, prætermittere nõ potuimus, quin obiter aliquid saltem de his attingeremus.

Quotquot diuinam prouidentiam negãt, aut humanæ voluntatis libertatem impugnant, orationis necessitatem è medio tollunt.

Contra Arabes igitur & Epicuræos cæterosq; omnes, qui diuinam prouidentiam in totum vel in partem negant, breuiter eiusmodi ratio instituí queat. Si Deus res, quas condidit, (condidit autem omnes, etiam minimas: *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*) non curat, vel singula secundùm cuiusque rationem & proprietatem non administrat, ob id vtique non curat, vel quia curare vel administrare non nouit, vel quia non vult, vel quia non potest. Si nescire dixeris, ignorantiæ & rerum insciũ; si nolle, negligentem & inuidum; si non posse, debilem ac infirmum facis: At nihil horum citra manifestam impietatem de Deo dici aut cogitari potest. Adhæc cùm ad exactam prouidentiæ rationem perfecta singulorum solùm deposcatur cognitio, efficaxq; cum absoluta potestate voluntas vnumquodque secundùm naturæ suæ conditionem & proprietatem dirigendi & promouendi in suum finem, & tria hæc summè in Deum conueniant, nemo nisi vel mentis inops vel malitia occæcatus diuinam prouidentiam in dubium vocare valet. Denique si Deo cura est de omnibus, vt Scripturæ testantur, si passer non cadit in terrã absq; eiusdem voluntate, si omnia, vt quartodecimo Sapientię capite legitur, gubernat prouidentia, quomodo apud Christianos de illius prouidentia vlla adhuc quæstio hærere potest?

Ioan. 1.

Aliquot graues rationes ostendentes diuinam prouidentiam.

Sap. 6. Matt. 10.

Iam si res vita sensuq; destitutæ, si bruta animantia, si cætera omnia

omnia sublunaria diuinæ prouidentiæ & gubernationi subsunt, vt subesse breuiter iam ostensum est, & indubitata fide tenendum est, quantò magis eidem suberit homo, omniaque eiusdem studia & opera? Siquidem quò vnumquodque est nobilius, primóque principio propinquius, eò diuinæ prouidentiæ rationem participat pleniùs. Inter omnia autem, quæ sub aspectum cadunt, homo propiùs ad DEVM accedit: vt qui secundùm illius imaginem & similitudinem procreatus, sempiternæ fœlicitatis capax sit. Homo proinde singulari quadam ratione diuinę prouidentię subditur; quod CHRISTVS Dominus hoc ipso etiam clarè indicat, quòd omnes illius capillos numeratos alibi affirmat. Matth. 10.

Quò vnūquodque primo principio est vicinius, eò diuinę prouidentiæ rationē participat pleniùs.

CAETERVM cùm DEVS peculiarem hominis curam & prouidentiam habere dicitur, non est id ita accipiendum, quasi is alio actu curet hominem vel Angelum (par eñ vtriusq; est ratio) alio cætera omnia. Vnico eñ simplicissimo actu administrat omnia, cùm superiora tum inferiora. Neq; ita rursum quasi maior aut intensior cura sit illi de vna re quàm de alia; cognoscit enim, diligit, & dirigit omnia infinita quadam scientia, amore, & beneuolētia. Dicitur aūt ob id peculiarem rationis compotis creaturæ prouidentiam & curam habere, quia quod ad se attinet, ordinauit illam ad peculiarem finem, puta ad ęternam fœlicitatē, idq; per media peculiaria, nimirum per merita & dona transnaturalia. Cętera aūt omnia per media communia & naturalia promouentur in suos fines. Sic idem quoq; peculiarem iustorum curam & prouidentiam habere perhibetur. Nam quæcunq; illis accidunt; siue illa æterna sint siue temporalia; siue prospera siue aduersa; siue laude, siue vituperatione digna, omnia tandem vertuntur in illorum salutem. Hinc Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et vt electis diuina dispositione omnia vertuntur in bonum: ita reprobis sua culpa omnia cedunt in laqueum. *Creaturæ*, scribit Sapiens, *in odium factæ sunt, & in muscipulam pedibus insipientium*, hoc est, peccatorum. Rom. 8. Sap. 14.

Quo sensu Deus peculiarem hominis prouidentiam habere dicatur, & peculiarissimam electorum.

QVOD autem hæc prouidentia humanā libertatem, aut rerum contingentiam è medio non tollat, id prolixa probatione nō magnopere indiget. Etenim si DEI prouidentia absolutam rebus, quę sub illam cadunt (cadunt autem sub eam vniuersę) necessitatem imponeret, causæ secundariæ ad vnam omnes necessariæ forent:

Diuina prouidentia neq; rerum contingentiam, neque humanæ voluntatis libertatem tollit.

forent: Siquidem vnuſquilibet effectus non à prima aut remota cauſa contingens, liber, aut neceſſarius dicitur, ſed à proxima. Homo enim liberè generari dicitur, quia proxima productionis illius cauſa liberè agit, & tamen ſol, & reliqua aſtra, quæ ad generationem eius coëunt, neceſſariò agunt. Atqui permultæ in rerum vniuerſitate extant cauſæ, quæ non neceſſariò, ſed liberè vel contingenter agunt: Quandoquidem ad ſenſum patet, innumeras propemodum eſſe, quæ deficere & impediri poſſunt, ſubindeque deficiunt & impediuntur.

Ad vniuerſitatis perfectiõem pertinent non ſolùm neceſſaria, ſed etiã contingentia & libera.

ADHAEC diuinæ prouidentiæ eſt, vniuerſitatis ordinem, totamq; eiuſdem perfectionem conſtituere & conſeruare, non etiã hanc vel illam euertere aut quauis ratione labefactare: at ſi omnia abſoluta neceſsitate euenirent, totus hic vniuerſitatis ordo, totaque eiuſdem perfectio funditùs euerteretur. Conſtat namq; vniuerſitatis perfectionem, ordinem, & pulchritudinem ex diuerſis rerum gradibus, maximè verò ex neceſſariis & contingentibus (in quæ ens proximè diduci ſolet) conflari. Cùm ingens itaque rerum cauſarumq; contingenter agentium ſit moles, vniuerſum valde mutilum & imperfectum foret, ſi omnia contingentia è medio faceſſerent: Faceſſerent autem omnino, ſi DEI prouidentia rebus omnibus neceſsitatem imponeret. Denique ea opinatione, quæ vaniſsima eſt, ſemel admiſſa, non modò contingentia omnia è medio ſubmouerentur, ſed omnis quoque ortus & interitus, omnisque mutatio & motus, quibus ad illa peruenitur: Quandoquidem omne neceſſarium eſt ſemper; nullum occaſui obnoxium eſt ſemper. Si ergo omnia eſſent neceſſaria, nihil corrumperetur, & per conſequens nihil generaretur: ſemper enim vnius interitus vel corruptio, alterius eſt generatio: Atqui omnia hæc admodum ſunt abſurda, & non modò à ratione, ſed à ſenſu quoque prorſus aliena.

Si omnia quæ in rerum vniuerſitate exiſtunt, eſſent neceſſaria, nihil oriretur aut interiret.

QVOD ſi diuinæ prouidentiæ ordo ſuauisq; eiuſdem diſpoſitio rerum anima menteque carentium naturas non tollit, neq; vllam in partem labefacit: ſed in ſua natura & proprietate ſingulas conſeruat: multò minùs rerum anima, ſenſu, menteque præditarum naturas & proprietates tollet, aut deſtruet, vt quæ cæteris omnibus ſint multò nobiliores, Deoque multò chariores. Atqui liberum arbitrium non minùs eſt de intrinſeca hominis ratione,

Liberum arbitrium æquè eſt de hominis ratione, atq; mens ipſa.

tione, atque mens ipsa. Dei itaque prouidentia homini innatam libertatem nullo modo adimit.

RVRSVM sapientis est, rebus secundùm vniuscuiusq; modum & conditionem vti (nam aliâs frustra ad vsum sumeret. Quis enim, nisi mente captus, assumat ignem ad humectandum, vel aquam addeficcandum?) actionis autem cuiusq; modus consequitur rei formam; siquidem forma est actionis principium: Forma autem per quam homo, & omne omnino agens voluntarium agit, non est certa & determinata. Voluntas namq; agit per formam, hoc est, per speciem ab intellectu apprehensam; intellectus autem non apprehendit vnam aliquam certam & determinatam formam, sed quamlibet indiscriminatim: Quandoquidem obiectũ illius est ens in summa sua latitudine acceptum. Sed neq; singula solùm apprehendit, verùm de singulis quoq; per speciem apprehensis (sint ne videlicet ad hunc vel illum finem obtinendũ idonea, vel quæ voluntas consectetur satis digna) iudicium facit. Iudicium porrò, quod fecit, offert voluntati, quæ pro sua ingenita libertate oblatum respuit vel admittit. Nam vt intellectus liber est ad iudicandum; ita voluntas ad consectandum vel auersandum: Deus autem est summè sapiens; ergo vtitur humana voluntate secundùm ipsius voluntatis modum, naturalemque eiusdem proprietatem. Ergo prouidentia sua humanam voluntatem sua libertate non orbat, sed eandem in sua naturali libertate confirmat conseruatque.

Forma, qua homo agit, non est certa & determinata.

DENIQVE diuinæ prouidentiæ est, bona quæ rebus indidit, augere, eaque, quæ eiusmodi bona diminuere nata sunt, submouere: At si DEVS per prouidentiam suam homini libertatem adimeret (sicut vtique adimeret, si rebus prouisis necessitatem imponeret) plurima non vulgaris momenti bona è medio tolleret; puta omnem virtutem omnemque humanæ vitæ actionem; siquidem humana actio absque libertate constare non potest, homo autem sine vlla hominis actione, quam edat vel edere queat, belua est veriùs quàm homo. Quare diuina prouidentia non eripit homini libertatem. Atque hoc ostendunt innumeræ Patrum & Scripturarum auctoritates, è quibus illustriores tractatu vltimo de originis peccato adduximus, inde petat, qui volet.

Absque libertate nulla constare potest humana actio, adeoq; nulla ratio meriti aut præmij.

DICIS, assequi non satis valeo, quomodo vnum & idem ad numerum simul queat esse necessarium, & contingens vel liberum: Atqui res omnes, rerumque omnium effectus & motus, si ad DEI scientiam aut prouidentiam referas, sunt certæ & necessariæ. Impossibile est enim, vt vel hæc frustretur, vel illa fallatur. Quo ergo sensu quippiam in tota rerum vniuersitate poterit esse liberũ vel contingens? Sanè si Cardinalis S. Syxti opinatio ratione nixa est, horum inter se conciliatio facilius creditur, quàm commodè explicatur. Quòd si verò hoc vnum ex iis non est, quæ tantùm creduntur, statuendum secundùm eundem est, ex diuinæ prouidentiæ ad alteram contradictionis partem, determinatione non sequi, rem esse necessariam aut contingentem; fallibilem aut infallibilem; euitabilem aut ineuitabilem: sed tertium quoddam, quod neque necessarium est, neque liberum aut contingens; neque fallibile rursum aut infallibile; neque euitabile tandem aut ineuitabile; verùm medium vel tertium quoddam eminenti quadam ratione vtrumque complectens, puta necessarium & liberum vel contingens, fallibile & infallibile, euitabile & ineuitabile.

Caietanus rerũ contingentiam cum diuina prouidentia nouè planeq; obscurè conciliat.

VERVM hæc responsio multò ipsa quæstione obscurior, intellectuq; difficilior est. Quis enim capiat, etiamsi magno ingenij acumine præstet, effectum aliquem certò à DEO prouisum, vt ab eodem prouisus est, neq; necessarium esse, neq; contingentẽ, sed vtrumq; eminenter & tertium quoddã formaliter: Quandoquidem contingens est, quod potest non esse; necessarium est, quod non potest non esse; posse aũt non esse, & non posse non esse, sunt cõtradicentia; hæc aũt medium nullum admittunt, neq; per participationem, neq; per abnegationẽ: Impossibile est ergo, aliquid à DEO esse prouisum, quod tamen neq; necessarium sit, neq; contingens. Pari ratione fallibile est, quod potest fallere vel deficere; infallibile, quod non potest fallere aut deficere; hæc autem apertè sunt pugnantia, adeóq; medio destituta. Idem statuas de euitabili & ineuitabili, cæterisq; similibus.

QVI igitur paucis ab hac difficultate expedire se volet, respondeat is, diuinam prouidentiam omnem omnino effectum, vt in ipsa æternitate præsens est, efficere necessarium, (Quod cũ est, non potest eo modo, quo est, non esse) vt autem futurus est, aliquem

aliquem quidem efficere necessarium, eum videlicet, cui præparauit causas necessarias; Aliquem rursum merè contingentem, eum nimirum, cui præparauit causas merè cõtingentes: Aliquem demum liberum, eum videlicet, cui præparauit causas verè liberas. Idem statuatur de fallibili & infallibili, euitabili & ineuitabili. Omnes namque effectus, vt in æternitate sunt præsentes, sunt infallibiles & ineuitabiles; vt verò olim expectantur futuri, aliqui ex illis sunt fallibiles & euitabiles, aliqui infallibiles & ineuitabiles, prout nimirum proximæ illorum causæ sunt necessariæ vel contingentes.

Omnis effectus vt in ipsa æternitate præsens est, necessarius est; vt autẽ futurus est, pro causarũ proximarum ratione, alius liber, alius necessarius, alius cõtingens est.

VT hæc doctrina, quam veram & planam existimo, habeatur clarior, aduerte quamlibet rem contingentem bifariam considerari posse. Vno modo, vt adhuc in sua causa existit, siue causa illius sit humana voluntas, siue alia quæcunq; naturalis. Alio modo, vt iam actu producta est. Quamdiu adhuc hæret in sua causa, omnino contingens vel indifferens est; potest eẽ esse & non esse. Nam antequam lego, vel scribo, vel oro, integrum est mihi scribere & non scribere, orare & non orare, legere & non legere. At verò posteaquã reipsa iam lego, scribo, vel oro, quod antè indifferens indeterminatumq; erat, indifferens ad vtrumq; indeterminatumq; esse desinit, & incipit iam esse non solùm determinatum, verùmetiam necessarium: Sed isthæc interim determinatio vel necessitas non obstat, quò minùs hæc omnia liberè vel cõtingenter euenerint. Potuissem enim non legere, non scribere, non orare, sed quiescere vel aliud facere. Et quod de re hîc dicitur, hoc ipsum de rei cognitione, deque propositione, qua res significatur, dictum quoque accipiatur. Cognitio enim rei futuræ, nisi in causa sua sit certa, sua natura est incerta: At verò cognitio rei præsentis & iam ob oculos obuersantis, est certa. Dum enim legentem, vel scribentem, vel orantem te video, vera est hæc cognitio, & vera rursum hæc propositio; tu legis, tu scribis, tu oras; & tamen hæc cognitionis & propositionis veritas, vel ex hypothesi necessitas non impediunt, quò minùs hæc omnia secundùm naturam suam sint contingentia, cõtingenterq; euenerint: Poterant enim non euenisse.

Quiuis effectus cõtingens bifariam cõsiderari potest, vno modo vt iam actu productus est, altero modo vt adhuc in sua causa hæret. Hoc modo est verè contingens, illo necessarius, verùm id adhuc ex hypothesi.

HIS adde, DEVM Opt. Max. sua infinita scientia omnia contingentia, antequam eueniant, vel extra causam suam emergant,

vt in se ipsa sunt, siue vt iam ad alteram contradictionis partem determinata sunt, clarè cognoscere, dilucideque intueri. Quicquid enim vnquam futurum est, hoc ab æterno omni illo modo, quo esse potest, ipsi præsens est. Hæc tamen æterna visio, vel rerũ, quæ olim futuræ sunt, in diuina æternitate prę̃sentia, rerum naturas non mutat, sed omni modo indemutatas conseruat. Nam ad mutationem quod spectat, perinde se habet Dei notitia aut visio ad res cõtingentes & necessarias, atq; mea vel alterius cuiuscũq;. Vt ergo dum Titium actu iam currentem vel scribentem video, mea visione illius cursum vel scriptionem necessariam nõ efficio; (vtrumq; enim cõtingens est, cõtingenterq; effectum est) ita nec summi quoq; illius monarchæ visio vel præuisio, illa quæ secundùm se sunt contingentia, simpliciter facit necessaria.

Omnia futura, Deo omni modo, quo sunt vel esse possunt, sũt præsentia.

Contingẽtia vt futura sunt, incerta sunt, vt autem p̃sentia vel producta, & certa, & secundùm quid quoq; necessaria sunt.

CONTINGENTIA ergo, vt futura sunt, incerta sunt, vereq; & propriè contingentia sunt: vt autem iam producta, vel ad alteram cõtradictionis partem determinata sunt (quo modo omnia vtiq; apud Deum sunt) & certa sunt, & secundùm quid quoq; necessaria sunt. Quod enim est, pro tempore, quo est, vt non sit, planè impossibile est. Hæc tamen hypothetica necessitas non adimit illis veram contingentiæ rationem: Hæc enim non pendẽt ex huius vel illius visione, prouisione, vel notione, sed ex causis, vnde proximè dimanant; tales enim sunt vereque habentur effectus, quales propriæ illorum causæ. Patet ergo, quomodo diuina scientia vel prouidentia rerum contingentiam non tollat, humanæque voluntatis libertatem non infirmet; adeoque quàm putido friuoloque fundamento nitantur, qui propter certam Dei scientiam, indemutabilemque eiusdem prouidentiam, orationis necessitatem, imò verò omnem omnino humanam actionem è medio tollunt.

Pelagianorũ doctrina orationis necessitati contraria.

SED neque Pelagiani quoque, & qui horum dogma sectantur, de orationis necessitate satis orthodoxè sentiunt. Nam si homo solis naturæ viribus salutem, omniaque ad salutem necessaria potest consequi, vt illi impudenter statuunt, profectò nullo opus erit orationis p̃sidio, quò ista hæc à Deo impetremus. Quorsum enim aliunde emẽdicabo, quod citra incommodum ex me ipso petere valeo? Verùm horum fundamentum est æquè infirmum, vanum, & putidum, ac illorũ, quos hactenus oppugnamus.

Cer-

Certum est enim & ex Scripturis manifestum, hominem diuina gratia, aliisq; non paucis, quæ ex se petere nequit, indigere, adeóque precibus & obsecrationibus, quibus illa à DEO obtineat, opus habere.

ETENIM si nihil boni cogitare, aut velle ex nobis possumus, quomodo opera vitæ æternæ meritoria per nos edemus? Quòd isthæc autem ex nobis non queamus, disertis verbis indicat illud Apostoli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex* DEO *est.* Et illud rursum eiusdem: *Gratia* DEI *salnati estis per fidem, & hoc non ex vobis;* DEI *enim donum est.* Et illud: DEVS *est, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et illud: *Nemo potest dicere Dominus* IESVS, *nisi in Spiritu sancto.* Et illud CHRISTI: *Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit illum.* Et infrà: *Sine me nihil potestis facere.* Et illud tandem Hieremiæ: *Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos*; nempe ad salutem & vitam æternam non simpliciter ambulare solo generali DEI auxilio possumus. Eiusmodi in vtroque Testamento occurrunt alia quàm plurima.

1. Cor. 3. Ephes. 2. Philip. 2. 2. Cor. 2. Ioan. 6. Ioan 15. Cap. 10.

SED obiicis: si homo DEI præcepta seruare, peccata & dæmonis tentationes, aliáq; eiusmodi incommoda ex se vitare non potest; ergo non peccat, si mandata non seruat, aut peccata non vitat, quia nemo obligatur ad impossibile. Nihil horum est impossibile cum DEI gratia, eiusdemque fauore & adiutorio, quod semper paratum est petentibus, vel gratis quoque oblatum non repudiantibus: stat enim ille ad ostium & pulsat, manusque vltrò extendit & porrigit, si quis fortè aspiciat & apprehendat: Sed plurimi sunt, qui pulsantem non audiunt, inuitantem non sequuntur, manum porrigentem non aspiciunt. Quare à peccato non excusantur, qui præcepta illius non seruant, aut dæmonis, vel carnis, vel mundi tentamentis locum dant; quia non faciunt, quod debent, vt salui fiant. Neque hinc tamen sequitur, nullum nobis meritum apud DEVM repositum esse: Nam etsi diuina gratia principatum in merito obtineat, ipsa tamen per se absque nostra synergia, neque meritum est, neque meritum vllum generat. Verùm non est huius loci de merito, aut gratiæ præsidio disputare. Solùm ostendere voluimus fundamentum, quo Pelagiani orationis necessitatem excludere contendunt, esse planè infirmum, &

Apocal. 3. Prouerb. 1.

Nõ excusantur à peccato, qui grauioribus tentationibus succumbunt, aut diuina præcepta negligunt, quia cum Christi gratia potuerunt non succumbere, & non negligere.

ab expressa Spiritus sancti doctrina, Scripturarumque sententia prorsus alienum.

Hæretici extrema plerunq; cõsectantur, Ecclesia autem mediũ obseruat.

CVM itaque errores, quos hactenus confutauimus, sint extremi (prout hæresi imbuti extrema ferè consectari soliti sunt; Alij enim, vt audiuimus, orationis vires eiusdemque necessitatem, nimiùm extollunt; alij contrà vsum & robur illius nimiùm deprimunt) Ecclesia mediam ingressa viam, orationem non modò vtilem & salutarem, sed ad salutem quoque necessariam prædicat. Non quòd, cæteris omnibus posthabitis, perpetua quadam contentione orationi incumbendum sit; neque quòd cætera omnia præ oratione susque déque ferre fas sit, vt perperam docebant & volebant Psalliani: sed quòd loco & tempore, cùm nimirum necessitas vel vsus id postulat, vel legitimus magistratus mandat, piè, studiosè, ac religiosè adhibenda sit.

Priuata oratio latiùs patet, quã publica.

VERVM quò de hac necessitate planiùs constet, ex superioribus repetendum hîc est, duplicem esse orationem, vnam priuatam, alteram publicam. Et quamuis vtraq; sub præceptum interdum cadat, non eodem tamen modo hic casus contingit. Priuata enim quadam tantùm generali ratione, puta absque omni loci, temporis, vel modi determinatione sub præceptum venit. Solennis autem & publica sub certis legibus, locique & temporis circumstantiis indici consuenit: Vnde quidam hanc determinatam, illam indeterminatam appellant. Ordiar autem à priuata, vt quæ solenni latiùs pateat: Obligat hæc enim suo loco & tẽpore omnes rationis luce vtentes; illa non omnes, sed Ecclesiæ tantùm ministros, qui sunt minima mortalium portio. Hactenus tamen publica quoque ad omnes pertinet, quatenus Ecclesiæ ministri non pro se tantùm precantur precariq; obligantur; sed pro omnibus, maximè verò pro iis, quorum stipendiis aluntur.

QVOD ergo priuata oratio in præceptum interdum cadat, compendiò eiusmodi ratione probari queat. Quod nulla omnino lege aut statuto cautũ est, hoc citra noxã perpetuò omitti potest; & vice versa; quod citra culpam omitti non potest, omnino aliqua lege cautum sit necessum est: siquidem omnis omnino culpæ obnoxia omissio, sicut & commissio quoq;, semper est contra aliquã legem, statutum, vel præceptum; atqui vt iam antè sæpe ostensum est, oratio perpetuò omitti inculpatè nõ potest; ergo certa aliqua

lege

lege indicta sit necessum est. Adhæc iure naturali ea omnia præstare obligamur, citra quæ salutem obtinere non possumus: at citra orationis præsidium certa salute potiri nequaquam valemus; oratioproinde minimũ sub iuris naturalis præceptũ cadit. Maior ratiocinationis huius est manifesta. Minor probatur: Absque spe, charitate, cæterisq; Spiritus sancti charismatis salus constare non potest: at via ordinaria nulli adulto citra orationis præsidium hęc obtinęunt, neq; semel obtenta, diu quoque absq; eiusdem adminiculo salua consistunt. Deniq; omnes obligãtur orationem Dominicam non modò scire, sed etiam recitare; omnis autem obligatio oritur ex aliquo præcepto.

Citra orationẽ adulto ordinariè non contingit salus.

Et quemadmodum ea, quæ salutem conciliare nata sunt, citra orationis beneficium communiter non obueniunt, nec diu citra illud salua cõsistunt; ita nec illa quoq; citra illius opem facilè propulsantur, quæ eandem salutem sua natura impediunt, vt sunt grauiores carnis, Dæmonis, vel mũdi tentationes, alięq; eiusmodi corporis, vel animę pestes. Quare etiã in oratione Dominica non solùm gratiam & gloriam, peccatorumq; veniam & necessariam corporis sustentationem petere edocti sumus, verùm etiam opportunam à tẽtationibus & aliis malis liberationem. De hac orationis necessitate D. Augustinus alicubi ita scribit: Nullum credimus ad salutem venire, nisi Deo inuitante; nullum inuitatum, nisi Deo auxiliante, salutem suam operari; nullum nisi orantem auxilium promereri. Hęc ille, quibus cognata scribunt alij. Oratio itaque generatim accepta salutem potituro omnino est necessaria: Nam de modo, tempore, loco, cæterisque similibus nihil per modum præcepti cautum extat.

Quę salutem impediũt, citra orationis præsidium ægrè propulsantur.

Lib. de dogmat. eccl.

Nascitvr autẽ hæc priuatæ orationis obligatio ex triplici capite; primò quidem ex cultu, quem Deo Opt. Max. propter supremum dominium, perceptáq; ab illo beneficia omni iure debemus. Est enim oratio præcipuus religionis actus. Quare etiam Ecclesia debiti huius non ignara, designauit certos dies, quibus precando, aliáq; pietatis munia obeundo hunc latriæ cultũ Conditori nostro peculiariter depẽdamus: Constat enim, primarium institutorum festorum scopum esse diuinum cultum. Quo etiam fit, vt illis diebus ea opera inhiberi soleant, quę cum hoc cultu pugnant, vel non satis conueniunt; vt sunt munia omnia externa & seruilia.

Priuatæ orationis debitum oritur ex triplici fonte.

Mox

Non minùs obligamur nos amare secundùm animam, quàm secundùm corpus.

Mox verò ex lege illa, qua obligamur non minùs nos ipsos diligere secundùm animam, quàm secundùm corpus, imò verò magis, quantò anima potior est corpore. Quamobrem vt quilibet iure naturali tenetur mendicare, si alia ratione vitam tueri nó potest: ita ea quoque, quæ ad animæ vitam & salutem sunt necessaria, à DEO emendicare supplexq; petere; si secùs impetrare non potest: Atqui diuina charismata vsitata lege per orationem à nobis deriuantur; vult enim DEVS rogari, etsi citra rogationem sua nobis dona impertiri queat, & interdum impertiri soleat. Postremò autem ex eo præcepto, quo iubemur proximum amare sicut nos ipsos, maiorisque facere illius animam, quàm vel nostri vel illius quoque corporis salutem. Vt ergo sub mortis æternæ pœna proximo in extremę vitę periculo propter inopiam vel alian causam constituto, pro viribus opitulari obstringimur; ita subeadem illa pœna pro eodem in extremum æternæ salutis vel spiritalis vitæ discrimen adducto orare obligamur, si alia ratione illum iuuare non possumus, & spes est non parua, illum ea ratione à periculo, in quo versatur, liberatum iri.

Pro proximo in extremo salutis periculo cõstituto, si alio modo eum iuuare non possumus, orare obligamur.

Præceptum orationis multis casibus obligat, potissimùm tamẽ in tribus.

Ex iisdem illis capitibus haud difficulter colligi potest, quando præceptum de orando, (quod secundùm se alioqui indeterminatum est) obliget, actualémue sui obseruationem postulet. Etenim si locus vel tempus se offert, qui orationis cultum exigat, vndecunq; tandem eiusmodi exactio vim trahat; (Sunt enim plurima, quæ eam necessitatem parere queant) omnino qui in orationis legem præuaricari non volet, precationi operam dare debebit. Pari modo si vel nos ipsi vel proximus noster tali quopiam Dæmonio correptus tenetur, quod sine orationis præsidio profligari non valeat; aut in tali æternæ vel temporariæ vitæ discrimine versemur, ex quo nisi diuinam opem humili submissóque animo imploremus, emergere nequeamus, modis omnibus orationi vacandum erit. Denique si lege illa notissima, qua nos ipsos diligere iubemur, vitam æternam eáque omnia, quæ ad illam sunt necessaria, desiderare tenemur, tenebimur quoque eandem subinde expetere: Siquidem solum votum vel desiderium sine petitione, vel ejusdem, vbi se offert occasio, explicatione, non est satis consummatũ. Quòd si orationem ea latitudine accipias, vt idem sit orare, quod iustè viuere, vel rectè agere, semper nobis orádum erit;

erit; nunquam enim iniustè licet viuere, vel prauè agere: At hoc sensu orationis vocabulum hîc non vsurpamus.

VERVMENIMVERO licet priuata oratio ad modum iam expositum indeterminatè cadat sub præceptum, dubium tamen nonnullùm habet, de mentalíne tantùm hoc accipiendum sit, an de vtraque simul. Non sat esse solam mentalem, vt saluus sias, defendunt quidam; allegant autem illud Cantici: *Fac me audire vocem tuam.* Item: *Sonet vox tua in auribus meis.* Et illud Ecclesiastici: *Confitemini illi in voce labiorum vestrorum.* Et illud vatis Regij: *Voce mea ad Dominũ clamaui.* Et illud eiusdem: *Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam.* Et illud Esaiæ: *Populum istum formaui mihi, & laudem meam narrabit.* Et illud Oseæ: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Allegant huc etiam CHRISTI exemplum & documentum; constat eum enim sæpenumero vocali oratione vsum esse, & vocalis orationis formulam edidisse. Addũt his auctoritatibus eiusmodi rationem: Omnia, quæ habemus & possumus, gratis à DEO accepimus; ergo omnia grato animo in illius laudem vertere debemus; ergo non solùm mente, sed lingua quoque DEVM laudare & inuocare obligamur.

Cap. 8. Can. 2. Cap. 39. Psal. 3. Psal. 50. Cap. 43. Cap. 14. Matth. 26. Luc. 6. Matth. 6.

HIS tamen omnibus non obstantibus, rectiùs defenditur, prout suprà quoque obiter defensum est, priuatam orationem vocem necessariò non deposcere; neque quenquam omnino priuatim orantem ad vocalem orationem communi aliqua lege obligari. De priuatis autem debitis, vel legibus, vel obligationibus, vel necessitatibus nihil hîc dicimus. Nullum enim est dubium, qui ita stupidi aut frigidi sunt, vt meditari vel mentaliter orare planè non valeant, illos quotiescunque necessitas orationem postulat, vocales preces adhibere debere. Idem de iis quoque statuas, qui citra cõtinuam animi distractionem & euagationem sola mente orare nequeunt; & de iis itidem, qui citra aliorum offensionem à vocali oratione abstinere nõ possunt, & de iis tandẽ, à quibus lex, vel votum, vel peculiare institutum vocalem orationem deposcit. Verùm hæc omnia, & si qua id genus sunt alia, ad vocalẽ orationẽ per accidens se habent: Quæ autem talia sunt, ea legum & præceptorum rationem non subeunt; per se ergo sat est oratio interna.

Priuata oratio nõ necessariò deposcit vocem vel aliud externum signum.

NEQVE oppositum euincunt, quę pro vocali oratione paulò antè allegata sunt. Nam quæ ex Canticis & Psalmis & Osea allata

sunt, ea de vocalis orationis necessitate nihil præfiniunt. Commendant tamen externam orationem, eamque DEO gratam & Christiano homine dignam prædicant. Sic quoq; CHRISTI exemplum, eiusdemque doctrina non figit semper legem: Multa enim ille fecit & docuit, quæ tamen non iussit, neque per modum præcepti iniunxit. Vtrumq; tamen indicat, vocalem orationem rem esse vtilem, quamq; CHRISTI discipulus sedulò exerceat, idoneam. Sic tandem omnia nostra in illius obsequium sunt vertenda, verùm id liberè, vbi aliud præceptum non fuerit. Sed neque vnus quoq; est tantùm linguæ vsus, sed varius & multiplex. Quare si orando in DEI seruitium illam non conuerto, possum docendo, vel prædicando, vel ius dicendo, vel aliud quippiam eiusmodi præstando conuertere.

Christi exemplum vel factum non habet vim legis, sed consilij tantùm, etsi hoc quoque non semper.

DE mentalis porrò orationis necessitate nulla est quæstio; non solùm propter euidentes causas & rationes iam antè allatas, verùm etiam propter CHRISTI voces manifestam precepti formam præ se ferentes; ait enim: *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis.* Hîc Thomas: Non solùm petere, quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare sub præceptũ cadit: Sed desiderare cadit sub præceptum charitatis, petere autem sub præceptũ religionis: Quod quidem præceptum ponitur Matthæi septimo, vbi dicitur: *Petite, & accipietis.* Cùm ergo præceptum hoc non sit datum de oratione vocali, vt exponit idem auctor art. 12. eiusdem quæstionis, consequens fit, vt datum sit de oratione mentali; quippe cùm nulla sit oratio, quæ ad mentalem aut vocalem non pertineat. Æquè præcepti speciem præ se fert alterũ illud eiusdem CHRISTI: *Oportet semper orare, & non deficere.* Et illud item: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et illud tandem Iacobi: *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Verùm de priuatæ orationis necessitate satis; proximum est, vt de publica quoque nonnulla disseramus: Nam etsi vsus illius tam latè non patet, atque priuatæ; patet tamen maioribus aduersariorum telis.

Matth. 7. Luc. 10. 2. 2. q. 83 art. 3.

Luc. 18. Luc. 22. Matth. 26. Iacob. 5.

De iniustis illorum querelis & calumniis, qui horarum canonicarum rationem & vsum oppugnant.

CAPVT OCTAVVM.

Qui

QVI ea omnia referre, accuratéq; refutare vellet, quæ veteres hæretici aduersùs horas Canonicas, solennesque & publicas preces olim attulerunt, & nuper nati etiamnum aduersùs easdē adferunt, prolixiore oratione opus haberet; verùm quòd ad alia festinemus, quodque Thomæ VValdensis opera veteribus abundè factum sit satis; nos ea solùm hoc loco in medium adferemus & propugnabimus, quę illi impugnant, vel damnant, vel superstitionis notāt, qui hac hominū memoria Ecclesiam perturbant, Sathanæq; regnū dilatant.

CAVILLANTVR hi autem permulta, sed non ēadē omnes, prout ætatis huius sectarij in paucis admodum inter se cōspirant; astomnia malignè & vanè: Quandoquidem si rectè, vt par est, rem expenderent, nihil omnino in horis Canonicis earundémue partibus vel circumstantiis inuenirent, quod iure damnare, aut cuiuscunque superstitionis notare possent. Et quamuis istud apud cordatos, & erga orthodoxiam bene affectos obscurum non sit, clarius tamen euadet, si præcipua rei huius capita, potioráq; corporis huius membra in medium adduxerimus. Neque enim est animus de horis Canonicis ex instituto, hoc loco disputare; sed ea tantùm, vt paulò antè monebam, propugnare, quæ ab Antagonistis acriùs oppugnantur.

Sectarij in paucis admodū inter se conspirāt.

INTER cætera igitur horę Canonicę depoſcunt orationem, eamque frequentem. Depoſcunt certum tempus & locum: tum certum quoque modum & numerum. Depoſcunt delectos homines, qui totius populi nomine & loco pensum horarium publicè, ritéque persoluant. Depoſcunt tandem, vt illi, qui ad munus hoc allecti sunt, officium diligenter faciant, iustasq;, si secùs fecerint, negligentiæ suæ pœnas luant. At nihil ex his omnibus est, quod cum ratione pugnet, aut à maiorum traditione dissentiat, aut scripturis aduersum existat, aut vllam omnino mali aut vanæ religionis speciem præ se ferat.

Nihil omnino cōperitur in horis Canonicis, qđ cū scripturis, aut ratione, aut religione, aut maiorum traditione pugnet.

ETENIM orare secundùm se, non est malum, sed bonum & salutare, vt fatentur omnes. Nam etsi sunt, qui parum ad salutem prodesse contendant, nullus tamen sano iudicio vtens est, qui orare malum aut peccatum esse dicat. Dicunt sanè & scribunt, qui in Lutheri verba iurarunt: Omnia iustorum opera peccata esse; verùm quia hoc & contra rationem, & contra scripturā, & contra

Mente sē destitutos demonstrāt, qui orare malū, aut peccatū esse docent.

communem sapientum omnium sensum atq; consensum dicunt & scribunt; neq; de sola oratione, sed de omni omnino iustorum opere asserunt, non existimaui, eos inter illos censendos, qui sano iudicio prediti sunt. Quis enim nisi prorsus amens mētisq; impotens asserat, CHRISTVM, Apostolos, Prophetas, Martyres, Sanctos deniq; omnes verbo & exemplo certatim ad id instigasse, quod de se peccatum erat? Atqui hi omnes, vt in vtroq; instrumēto videre est passim, ad orationis studium instigabant, vt qui maximè.

NON est malum rursum, sed bonum & apprimè salutare, frequenter orare. Nam & Apostolus, vt sine intermissione oremus, monet. Et CHRISTVS, oportet semper orare & non deficere, clamat; & Annæ filiæ Phanuelis laudi vertitur, quòd ieiuniis & obsecrationibus noctu ac die DEO seruiret; & Danieli, quòd ter interdiu genibus nixus Hierosolymam versùs oraret; & viduæ Euangelicæ, quòd apud iniquum iudicem opportunè importunè ius suum vrgeret; & Cornelio centurioni, quòd semper DEVM deprecaretur; & primitiuæ Ecclesiæ, quòd sine intermissione pro Petro in vincula coniecto Dominū rogaret; & Dauidi, quòd totas noctes orationi vacaret. Sed & Paulus quoq; nocte & die sese orasse profitetur, quò Thessalonicensium faciem videre liceret, eáq;, quę fidei illorū deerant, expleret. Idem desolatis viduis vt nocte & die orationibus & obsecrationibus instent, præfinit. Alibi Ephesiis vt pro se & omnib⁹ Sanctis omni instātia orent, seriò iniungit. Mitto hîc Aaronis posteritatem, quæ vt precibus diuinisq; laudibus diu noctúq; in tabernaculo operam daret, diuinitus electa & instituta erat: Nō itaq; nouū aut à scripturis alienum est, frequenter orare.

1. Thes. 5.
Luc. 18.
Luc. 2. Cap. 6.
Luc. 18.
Actor. 10.
1. Thes. 3.
1. Tim. 5.
Cap. 6.
Leuit. 8.
Num. 3.
Deut. 18.

IAM si bonum & salutare est, frequenter orare, frequensque oratio distincta temporum interualla deposcat, (neq; enim preces distinctæ, vel eædem crebrò repetitæ in vnū temporis articulum incidere possunt) non erit malum orandi tempora ita inter se distribuere, vt præcipuis diei partibus respondeant. Primariæ autē diei partes sunt quatuor, manè videlicet & vespera; dies media & nox intempesta; quas eò quisq; obseruat obseruauitq; semper accuratiùs, quò pietati & deuotioni magis erat deditus. Prophetę Dauidi familiare erat noctu vel summo manè orare, etsi interdiu ab oratione nō prorsus vacaret. De nocturna oratione cōcionatur illud: *Media nocte surgebam ad confitēdum nomini tuo.* Et illud:

Præcipuæ naturalis diei partes quatuor.

Psal. 118.
Psal. 137.

Memor

Memor fui nocte nominis tui Domine. Et illud: *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Et illud: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Psal. 5. Psal. 76. Psal. 87.

De matutina verò illud: *Manè exaudies vocem meam; manè astabo tibi.* Et illud: *Exaltabo manè misericordiam tuam.* Et illud: *Manè oratio mea præueniet te.* Et illud: *In matutinis meditabor in te.* Et illud: *Castigatio mea in matutinis.* De nocturna autem & matutina illud: *Clamabo per diem, & non exaudies: nocte & non ad insipientiam mihi.* Et illud: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* De vespertina, matutina, & meridiana simul illud tandem: *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Habemus hinc, regium vatem stata orandi tempora obseruasse, puta nocturnum, matutinum, meridianum, & vespertinum, vt quæ cæteris ad orandum viderentur aptiora. Quare eadem etiamnum Catholica obseruat Ecclesia. Psal. 5. Psal. 58. Psal 87. Psal. 21. Psal. 19. Psal. 54.

Quod si Dauid & veteres Patres, (neque enim putandum est, solum Dauidem, qui grauissimis regni negotiis perpetuò distinebatur, stata orandi tempora obseruasse, reliquos autem pios & religiosos homines pro nihilo illa duxisse) habebant certas horas præfinitaq; tempora orationi destinata, quantò magis Christianos coruscante iam Euangelij luce, exundanteque Seruatoris Christi gratia & veritate suas statas precandi horas & vices obseruare oportebit? maximè verò cùm non modò veteris Synagogæ proceres ea in re habeant duces & magistros, sed ipsos quoque Apostolos. Constat hos namque partim veteres æmulantes, partim legem suo exemplo firmantes, certa orandi tempora studiosè obseruasse, & quidem eadem ferè, quæ nunc in solennibus precibus obseruat Ecclesia. Nam & Paulus & Sylas in carcerem coniecti media nocte ad orationem surrexerunt, diuinisque laudibus clara voce iucubuerunt. Quæ quoq; oratio Deo tantopere placuit, vt eam manifesto miraculo statim cõfirmaret: Siquidem omnia carceris ostia èvestigio sunt aperta, omniumq; vincula illico soluta. Sic Petrus quoque & Ioannes ad nonam orationis horam in templum ascendisse leguntur. Idem Petrus dum sexta diei hora orationi incumbit, nullum hominũ genus ab Euangelij doctrina excludi cœlesti, sed symbolico oracolo didicit.

Apostoli certa orandi tempora obseruarunt, & ea ferè quæ erã nunc in Ecclesia sunt in vsu. Actor. 16. Actor. 3. Actor. 10.

ADDE his, Apostolos non solùm noctu & interdiu de more orasse; sed aliis quoq; vt idem facerent, auctores & hortatores extitisse; notum est enim illud Pauli: *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.* Et illud rursum eiusdem: *Quæ verè vidua est, instet obsecrationibus & orationibus noctu & die.* Et illud item Petri: *Estote prudentes & vigilate in orationibus.* Et infrà: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret.* Tandē Apostolus graui reprehensione excipit Corinthios, quòd ad publicam orationem, quæ vtiq; statis temporibus & horis habebatur, citra ordinem, debitamq; modestiā & grauitatem conuenirent; scribit enim: *Quid ergo est fratres? Cùm conuenitis, vnusquisq; vestrûm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet; Omnia ad ædificationem fiant.* Et quibusdam interiectis, ita demum concludit: *Omnia honestè & secundùm ordinem in vobis fiant.* Cuiusmodi autem ordo in publicis congressibus & precibus seruandus sit, id ibi plenè non præscribit, sed tantùm ex parte. Habemus ergo, non modò veterum Patrum, sed Apostolorum quoq; ætate non absq; certo ordine, temporumq; intercapedine orationi vacatum fuisse.

Coll. 4. 1. Tim. 5. 1. Pet. 4. 1. Pet. 5. 1. Cor. 14.

SED quid CHRISTVS? nullúmne ille eius rei exemplum, aut documentum nobis reliquit? Vtique; scriptum est enim: *Exiuit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Et infrà: *Erat autem diebus docens in templo; noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti,* nempe quò ibi orationi vacaret. Faciebatq; idipsum subinde partim solus, partim discipulorum caterua stipatus. Hinc illud Ioannis: *Sciebat autem Iudas locum, quia frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis.*

Luc. 6. Luc. 21. Cap. 19.

QVIN & illa ipsa quoque nocte, qua à Iudæis captus est, prolixè orauit, tertioque eandem orationem repetiuit. Dubium præterea nullum est, quadraginta illis diebus & noctibus, quas ieiunus transegit in deserto, orationi, rerumque cœlestium contemplationi præcipuo studio incubuisse. Et quemadmodum familiare ipsi erat noctu orare; ita alios quoque ad vigilias, nocturnasq; preces frequenter exhortabatur. Notum est illud Marci: *Vigilate, ne cùm repente venerit, inuenerit vos dormientes. Quod autē vobis dico, omnibus dico.* Et illud Matthæi: *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester ventu-*

Matth. 4. Luc. 4. Cap. 13. Cap. 24. 26.

uenturus sit. Et illud eiusdem: *Sustinete hîc & vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et illud tandem Lucæ: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini stare ante Filium hominis.* Cap. 21.

SED dicent forsan: Esto cùm veterum, qui CHRISTI aduentum secula aliquot antecesserunt; tum CHRISTI quoque & Apostolorum exemplo orandum sit, & frequenter orandum sit, & noctu orandum sit, & aliqua etiam temporum ratio inter orãdum obseruanda sit: at nihil hæc omnia ad statuendum septenarium horarum canonicarum numerum. Neq; enim Apostoli soliciti erant de numero, multò verò minùs de modo, loco, tẽpore, cæterisq;, quæ publicis precibus nunc passim adhiberi consueuerunt: Verùm vnum hoc illis studium erat; nempe vt munus illud precandi ritè, hoc est, in spiritu & veritate obirent.

SANE si nocturno, matutino, meridiano, & vespertino tempore, vel aliâs frequenter orare malum non est, vt diffusè paulò antè ex sacris literis ostensum est; non erit quoq; malũ iis, qui Ecclesiæ obsequiis diuinoq; cultui ex instituto mancipati sunt, certũ orandi modum & methodũ, quò munere suo fungantur rectiùs, præfinire, certumq; precationum pensum, quod quotidie absoluant, eisdem prescribere. Verùm quia plura sunt, quę in horis Canonicis displicent Antagonistis: Oppugnant enim personarum delectum, locum; tempus, modum, numerum, legis vinculum, & alia quædam eiusmodi quò de iniusta illorum oppugnatione & cõquestione, adeoq; de re tota constet clariùs, de singulis eo ordine, quo iam proposita sunt, seorsum nonnulla attingam.

Sectarij plura circa horas Canonicas cauillãtur, sed omnia iniustè & ineptè.

PORRO hîc autem, quod neminem inficiaturum existimo, religionem Christianam illustrioresque eiusdem partes tantam, vel maiorem quoque curam exigere, quantam secularis politia, vel quæuis alia functio externa; vt quæ cuicunque externo muneri politicoque statui tantum præstet, quantum anima corpori, cœlestia terrenis, sempiterna caducis. Si ergo negotia ciuilia, publicáque munia, & ea præcipuè, quæ ad totius Reipublicæ salutem & incolumitatem pertinent, non concreduntur quibuslibet citra vllum delectum, neque tractantur à quibuslibet promiscuè; sed à certis & ad impositum munus obeundum idoneis, cur solennis publicusq; DEI cultus committetur quibusuis absque vllo prorsus discrimine?

Religio Christiana maiorem deposcit curam, q̃ quæcunq; negotia politica.

SI,

Si, inquam, Respub. bene instituté, si prouinciæ, si regna omnia habent suos milites & satellites studio ad hoc conductos, & institutos, vt ad propulsandum iniuriam, quæ ab externo hoste inferri poterat, semper sint in procinctu: Si suos Iudices & assessores, qui controuersias, quæ inter ciues frequenter oboriuntur, iustè prudenterq; dirimant: Si suos prætores & lictores, qui improborum scelera legitimis pœnis coërceant: Si alios quamplurimos magistratus, qui alia aliaq; in Repub. munia obeant; Cur Catholica Ecclesia mystica Christi sponsa nō habeat suos ministros, qui sacra conficiant & porrigant? Qui ea, quæ ad fidem & mores faciunt, populo è suggestu proponant? Qui diuinas laudes totius populi nomine die noctuq; publicè decantēt? Qui cętera tandem Ecclesiastica omnia ex professo curent & administrent?

Ecclesia nō minùs eget suis ꝓpriis ministris, magistratibus, & stipendiariis, quàm Respubl.

Rvrsvm si Iudæorum Synagoga alebat suos pontifices & sacerdotes, aliosque inferioris ordinis ministros ex Leuitica tribu delectos & assumptos, quibus solis fas erat sacra tractare & procurare, diuinasque laudes publicè concelebrare, adeò vt capitale esset, si quis alius in illud munus se intrusisset. Si gentium populus habebat suos flamines & protoflamines, suosque auruspices & diuinos, qui soli sacra administrabant, Deorum oracula consulebant, hymnosque & carmina in eorundem laudem publicè concinebant: Si ciuitates & prouinciæ, quæ Lutheri vel Caluini vel alterius magistri errores complexæ sunt, alunt suos Diaconos & Pseudodidascalos, quibus solis potestatem faciunt Lutheri vel Caluini Euangelium ebuccinandi, merumq; panem & vinum, corporis & sanguinis Christi loco, distribuendi, ægros animam agentes in concepto semel errore confirmandi; Cur Christi Ecclesia non habeat, qui ex instituto apud Deum pro communi populi salute iugiter intercedant, & quosdam quasi secundarios μεσίτας inter Deum & homines sese constituant?

Sectariorū ministri corporis & sanguinis Christi loco merum panem & vinum distribuunt.

Denique si in ciuitatibus bene compositis & institutis, nō cuilibet promiscuè quodlibet mechanicum opificium tractare licet, ne quod inde detrimentum respub. capiat, vel aliqua noxia confusio inter ciues emergat; sed iis tantùm, qui hanc vel illam artem probè didicerunt, eiusq; rei publicum testimonium à suo magistratu retulerunt: quæ, obsecro, ratio suadet, vt quiuis citra vllum delectum ad sacrorum procurationem admittatur? An nō sapien-

sapientum omnium iudicio, ars artium est, sacra rite tractare, decenterq; administrare? Nihil est ergo, cur ob id Ecclesiam in culpã vocent, quòd hîc nõ absq; delectu agat, non solùm in admittẽdo, verùmetiam in obligando. At de obligatione loco postea magis idoneo; habet eñ ea res peculiarẽ apud Antagonistas difficultatẽ.

Ars artiũ est, sacra rite tractare & administrare.

Hoc ipso ariete ea quati & euerti quoque possunt, quæ contra definitum publicę orationis locum & tempus obiiciunt Aduersarij. Etenim vt negotia publica non tractantur quolibet loco promiscuè, sed certo peculiariq; ratione ad isthæc deputato, puta in curia vel domo ciuica, vel alia quauis æde publica ad eiusmodi munia destinata: Neque quolibet rursum tempore, sed certo & præfinito, nimirum ante vel post prandium, semel aut sæpius intra hebdomadam, annum, mensem, &c. Neque quouis tandem modo, sed certo, exempli causa, cum strepitu vel absque strepitu, publicè vel secretò; cum examine vel absque examine, & sic de cæteris (variant hæc enim pro negotiorum, quæ tractantur, ratione plurimùm) ita etiam publicæ preces non quouis loco, tempore, aut modo indici, aut persolui debent, sed certo & præfinito. Quandoquidem vbi certa tempora & loca certis negotiis & muniis non sunt præfinita, ibi plerunque nullus seruari solet ordo; vbi autem ordo deest, ibi nihil perpetuum aut certum esse potest: Qui enim nulli tempori astricti sunt, facilimo negotio de die in diem, de hora rursum in horam differunt, & tandem, vt quotidiana experimenta euidenter ostendunt, nihil faciunt.

Citra legitimũ ordinẽ nihil potest esse perpetuum aut certũ.

Adhaec si gentium & Iudæorum populus habuit sua delubra & fana, sua tabernacula & templa, sua quoque stata tempora, quibus numini, quod colebant, precibus & sacrificiis litabant, & suum nihilominus litandi, precandiq; ritum: Si cuiusuis generis & factionis Sectarij publicas ædes, horreis vel theatris quàm templis similiores obtinent, in quas ad profanam suam cœnam sumendam, suorumq; ministrorum spermologiam audiendam frequentes cõueniunt: Si iuxta Sapientis dictum omnia sua tempora, addo & sua etiam loca habent; (neque enim eodem loco reus iudicatur & capite plectitur) cur publicæ solennesq; preces non haberent sua præfinita loca & tempora? Deniq; cùm horæ Canonicæ non in huius vel illius priuati gratiam, sed in totius

Diuersa munia & ministeria diuersa deposcunt loca & tẽpora. Eccl. 3.

populi vtilitatem celebrentur & decantentur, cur ea ratione non instituerentur, vt populus, si vellet, eas adire & frequētare posset? Ast hic aditus nullo modo obtineri poterat, nisi certa loca & tempora definirentur, in quibus ordinariè persoluerentur. Verùm de tempore paulò pòst latiùs: Est enim temporis ratio cum horarum numero ita coniuncta, vt ab ea diuelli vix queat.

Preces publicæ certo ordine & pondere prescribi debuerunt.

IAM si necessum erat, vt ad publicam orationem certæ deputarentur personæ, quæ munus illud ex instituto obirēt, certa rursum loca & tempora, in quibus obirētur, multò magis necessariū erat, vt certa psalmorum, lectionum, antiphonarum, aliorumque eiusmodi ratio & ordo assignaretur: Quādoquidem si isthæc vnicuiq; Ecclesię, vico, vel oppido libera relinquerētur, multò maior dissimilitudo, rerumq; confusio oriretur, quàm si de loco, aut tēpore nihil certi decerneretur. Adhæc quæ totius populi nomine publicè procurantur vel administrantur, ea non modò cum certo pondere & mensura, verùm cum summa quoq; prudētia & grauitate institui debent; at ea prudentia, iudiciiq; maturitas nō reperitur in singulis, sed tantùm in paucis, puta in Reipublicæ Christianę proceribus, primariisq; eiusdem membris. Non debet proinde id hîc fieri, quod cuiq; lubet, sed quod certa lege definitum est: Quemadmodum isthuc in aliis quoq; rebus ad Rempub. vel Ecclesiam pertinentibus obseruari consuetum est.

Quicquid circa horas Canonicas obseruatur, hoc totū rationis dictamini & populorum omnium consuetudini maximè est consentaneū.

PRAETEREA vt apud populum Christianum vnus agnoscitur DEVS, vna fides, vnum baptisma; ita vnus quoque, quantum per regionum & temporum rationem licet, externus cultus obtineat oportet; at hic nullo modo constare posset, si nihil firmi aut certi ea de re statutum aut traditum extaret, sed cuilibet collegio, oppido, vel vico, quid precum Canonicarum loco dicere vellet, integrum foret. Denique quæ de personis, locis, temporibus, cæterisque cognatis hactenus exposita sunt, ea rationi vsque adeò sunt consentanea, vt gentes verum DEI cultum ignorantes solo naturæ instinctu hæc omnia obseruauerint quàm studiosissimè. Habebant enim illæ (vt & Patres quoque, qui legem Mosaycam antecesserunt) suos Sacerdotes, suas aras, suas hostias, suas preces, imò verò suas quoque execrationes & excommunicationes. Apud Iudæos autem omnia ad externum DEI cultum pertinentia vsque adeò DEO ipso auctore erant certa & definita,

finita, vt ne latum quidem culmen à præfinitis recedere fas esset.

AT torquet interim aduersarios septenarius horarum Canonicarum numerus; sed id citra vllam iustã causam. Neq; enim heri aut nudiustertius hic numerus est natus, verùm vnà cum ipsa Ecclesia exortus, vel vt rectiùs dicam, à veteris Ecclesiæ Patribus acceptus, indéque per Apostolos, legitimosq; eorundem successores ad nos translatus. Fatetur enim Dauid, septies interdiu DEVM se laudare consueuisse, quod vtiq; neque solus faciebat, neq; sine auctore faciebat, sed ad aliorum piorum exemplũ, quod tum celebre extabat. Sed neq; Petrus & Ioannes ad nonã orationis horam ad templum ascẽdisse; neq; Petrus orationis causa ad sextam superiora domus petiisse; neque Cornelius nona diei hora, qua haud dubio orationi intentus erat, Angelum ad se introeuntem vidisse; neq; Paulus & Sylas media nocte ad orationem surrexisse; neq; Daniel tandem ter interdiu, nimirum tertia, sexta, & nona Hierosolymam versùs orasse diceretur, nisi ea tempora peculiari quadã ratione apud Iudæos orationi deputata & consecrata fuissent. Sed & nihil quoq; vani aut superstitiosi hic numerus præ se fert: Imò verò multæ & magnæ extiterunt & extant causæ, cur hic potiùs quàm vllus alius præfiniri debuerit.

Precum horariarum numerꝰ ex veteri Ecclesia in nostrã translatus.

Psal. 118.

Actor. 3.

Actor. 10.

Actor. 16.

Dan. 6.

VERVM priusquam vel ex parte illas assignem, quæro ab Antagonistis, ij ne, qui peculiari ratione ad hoc instituti sunt, vti totius populi nomine & loco diuinas laudes decantent, iugesque precatores & intercessores pro communi omnium salute apud DEVM existant, semel duntaxat interdiu DEVM inuocare, debitasque eidem laudes & gratiarum actiones persoluere debuerint, an sæpius. Non semel tantùm, quia neq; populi voto, neq; diuino quoque præcepto hac ratione factum fuisset satis. CHRISTVS enim Dominus vt semper, Apostolus autem vt sine intermissione oremus iubet, nisi quis forsan existimet, semel tantùm, hoc est, continuò citra vllam interpolationem orandum esse; verùm hoc propter causas suprà allatas, & vulgo quoq; satis notas, fieri nullo modo potest: Ergo sæpius. Quod si sæpius, quæro rursum ab iis, bis ne, an ter, an quater, & sic deinceps? At quemcunque tandem numerum assignauerint, semper recurret eadem illa quæstio: Cur bis & non ter? vel cur ter vel quater, & non quinquies, vel sexies, vel decies, atque ita de cæteris.

Luc. 18.

1. Thess. 5.

Nullus horarũ numerus potuit assignari, qui sectatorum telis non esset expositus.

PLACVIT autem maioribus nostris, vt septenis vicibus id fieret; idque iis horis & temporibus, quæ præ cæteris ad orandum visæ sunt magis idoneæ; siue naturalem temporum qualitatem spectes; siue mysteriorum, quæ in illa inciderunt, rationem consideres. Norunt enim, qui iudicio & rerum vsu valent, seriam orationem tempus pacatum & à turbis quietum deposcere; at noctu silent omnia. Norunt eque, auroram cibo iam plenè concocto, ad orandum & contemplandum aptissimam haberi. Norunt nihilo seciùs, diei primitias cœlesti numini consecrandas, eidemq; pro fida noctis custodia ex animo gratias agendas esse. Norunt, pij Christiani vocabulo indignos censendos, qui priùs somnum capiunt, quàm contra noctis pericula, Satanæque tentamenta precibus se muniant, Deoq; Opt. Max. de diurna luce fœliciter transacta gratias agant. Norunt tandem, tota reliqua, hoc est, intermedia diei parte ab omni orationis studio feriatum, esse minimè conuenire; adeoq; intelligunt, publicæ orationis tempora, etiam si solam rationem ducem sequamur, commodissimo modo inter se distributa esse.

Preces Canonicæ iis horis tunt assignatæ, quæ p cæteris ad orandum visæ sunt magis idoneæ.

MYSTICAS porrò septenarij numeri rationes alij alias assignant, prout in symbolicis illis alia aliis, quę ad rem facere videntur, occurrere solent. Ante principalem aũt, quam Ecclesia potissimùm spectasse videri potest, ex vulgaribus illis referã nonnullas. Primò ergo vt CHRISTVS IESVS vna oratione, quam Dominicam appellamus, complexus est septem distinctas petitiones, vel septem distincta rerum genera, quas iustè desiderare & petere licet; ita Ecclesia assignauit septem distincta publicę orationis tẽpora, quibus vel ea ipsa petamus, vel pro antè collatis gratias agamus. Mox spiritalis vitæ ratio absq; Spiritus sancti donis constare non potest; hæc autem citra orationis præsidium obuenire temerè non solent: Cùm ergo septem sint Spiritus sancti charismata, ęquum est, vt septenis vicibus cœleste numen eorundem causa adeamus, suppliciterq; inuocemus. Tertiò quæcunque condita sunt, in hominis commodum condita sunt; homo proinde pro omnibus & singulis Conditori debet laudem & gratiarum actionem: Atqui DEVS opus, quod fecerat, die septimo cõpleuit. Hæc ratio tangitur in hymnis, quæ per septimanam ad cuiusq; diei vesperas decantantur vel recitantur.

Plures rationes mysticę cur preces publicæ in septem partes sunt distributæ.

Genes. 2.

QVAR-

QVARTO nemo lapsus resurgit, sed neque resurgere quoque potest absque peculiari DEI Opt. Max. gratia; hæc autem, vt suprà ex Augustino audiuimus, non obtingit sine oratione. Iustus autem septies in die cadit, vel cadere certè potest; ergo ne cadat, vel vt lapsus resurgat, per se vel per alterum septies oret oportet. Quintò numerari solent septem mundi ætates, in quarum singulis magna quædam opera effecta, indultáque sunt generi nostro illustria quædam beneficia, maximè verò in postrema: In ea enim Filius DEI nostri causa homo factus, passus, & mortuus est. Ne ergo tantorum munerum auctori simus ingrati, æquum est, vt per nos, vel per alios ad hoc initiatos & deputatos septies DEVM laudemus, gratesque eidem dicamus. Sextò lex, vt tradit Apostolus, vmbra erat futurorum; atqui suprà ostensum est, si non ab omnibus Iudæis promiscuè, certè à melioribus & sanctioribus septies interdiu & noctu orationi vacatum fuisse. Septimò & postremò septenarius hic precum horariarum numerus per septem tubas, quarum sonitu prostrati sunt muri Hiericho, adumbratus videtur. Nam vt hostium munitiones per illas corruerunt; ita Diaboli machinationes septenis hisce diuinarum laudum buccinis veluti validis quibusdam balistis, aut arietibus quassatæ dissoluũtur & prosternuntur.

Vltima mundi ætate magna, plane; illustria Dei beneficia humano generi obtigerunt.

Iosuæ 6.

VERVMENIMVERO licet Ecclesia ad hæc omnia, vel ad horum aliqua fortè respexerit, nullum tamẽ ex his primaria causa extitisse videtur, cur publicas preces in septẽ partes distribueret, easque eo ordine & tempore, quo iam olim fieri consueuit, recitari vel decantari iuberet. Causam autẽm cõsilij decretíue huius principem habuit salutarem CHRISTI seruatoris nostri perpessionem: Hanc enim per eiusmodi preces grata memoria recolere, perpetuóque celebrare & decantare voluit, eáque recordatione, iugíque celebratione ad noua beneficia viam sibi munire; siquidem digna pro acceptis beneficiis gratiarum actio, est regia via ad impetrandum nouum à DEO beneficium. Sed iam quid singulæ horæ cum singulis crucis mysteriis cognatum habeant, paucis expendamus.

Ecclesia horas Canonicas, earũdemq; tempora accommodauit præcipuis passionis Christi mysteriis & partib.

SERIES salutaris perpessionis breuiter eiusmodi extitit. Sub noctem CHRISTVS Dominus cum discipulis suis cœnat, augustissimumque corporis & sanguinis sui Sacramentum consecrat.

Dominicæ passionis series paucis comprehẽsa.

Mox hymno dicto vnà cum vndecim exit ad montem oliueti, ibidemque ter patrem, vt calicem si fieri queat, à se transferat, ardentibus precibus rogat, singulisq; vicibus Apostolos, vt orent & vigilent admonet; & prolixiùs orans sanguineum sudorem sudat. Paulò pòst à Iudæis captus circa noctis medium exhibetur Annæ & Caiphæ. Hîc colaphis cæsus, totáque deinceps nocte vsque ad auroram variè ludificatus, summo manè Phariſæorum & seniorum populi concilio sistitur. Hinc porrò veluti blasphemus mortisque reus ad Pilatum abducitur. Pilatus rei exitum nullum inueniens, in innocentem IESVM mortis fert sententiam.

HORA tertia proinde CHRISTVS Dominus flagellis cæsus, spinis coronatus, arundine percussus, ad crucis supplicium abripitur. Hora sexta in crucem agitur. Hora nona, posteaquam spiritum emisisset, lancea cõfoditur; vesperarum hora à cruce deponitur. Circa noctem tandem syndone inuolutus & aromatibus conditus in sepulchrum infertur. Iam horæ precésue canonicæ ad eum modum ab Ecclesia sunt institutæ & distributæ, vt singulæ respondeant singulis perpessionis CHRISTI mysteriis, singulisque primariis eiusdem perpessionis partibus; ne videlicet earum memoria è filiorum suorum pectoribus vnquam excidat, ipsáque de tam illustri inauditóque beneficio, erga sponsum suum, à quo tantopere dilecta est, gratam sese declaret.

Cur preces Canonicæ passionis partibus sint accommodatæ.

PRECES matutinæ in eorum memoriam celebrantur, quæ Dominus IESVS tota nocte partim in horto, partim in Annæ & Caiphæ domo perpessus est. Porrò autem vt nox tota diducitur in quatuor vigilias, ita solennes matutinarum preces quatuor complectuntur partes, nimirum tres nocturnos & laudes; quæ olim, vt Hieronymo, Isidoro, Thom. VValdensi, Cosmæ, & aliis nonnullis placet, ita erant distributæ, vt primus nocturnus absolueretur prima noctis vigilia, secundus secunda, tertius tertia, atque istud per diuersos Ecclesiæ ministros. Laudes verò sub postremam noctis vigiliam, hoc est, circa auroram, idque per totum initiatorum cœtum. Postea verò humanæ infirmitatis habita ratione preces matutinæ vnà cum laudibus simul dici cœperunt. Atque hoc à quibusdam prima noctis vigilia, hoc est, vesperi post cœnam; ab aliis verò postrema vel circiter, hoc est, summo manè,

Matutinæ preces quatuor comprehendunt partes, quæ olim quatuor distinctis noctis vigiliis decantabantur.

ab

ab aliis secunda vel tertia, hoc est, paulò ante vel post mediam noctem. Primum obseruant plerique horas Canonicas priuatim recitantes. Secundum Ecclesiæ Cathedrales & collegiatæ. Tertium monasticen profesi & alij præterea nonnulli pij.

TRES nocturni, quorum singuli tribus constant Psalmis, totidemque lectionibus, respondent tribus illis interpolatis vicibus, quibus CHRISTVS Dominus orauit in horto; etsi non illis solis, vt paulò antè dicebatur. Prima autem in illorum memoriam & commemorationem peragitur, quæ CHRISTVS Dominus pertulit à summo manè vsq; ad tertiam. Tertia in eorum, quę inde vsq; ad sextam. Sexta in eorum, quæ tribus horis perpessus in cruce: Reliqua in eorum, quæ inde acciderunt vsque ad sepulturam.

Quid singulæ horæ cum singulis passionis Christi partibus cognatum habeat.

ADDO his, CHRISTVM Dominum non solùm iis horis & temporibus, quæ iam attigimus, varia perpessum esse; sed validè & feruidè quoque ad mortem vsque precatum esse: Tum quò nobis ostenderet, ecquidnam cùm grauibus quandoq; iactaremur tentationibus, vel magnis vrgeremur periculis, facere nos oporteret; tum etiam quò singulas perpessionis suæ partes hac ratione cœlesti patri acceptiores, adeóque ad merendum vel satisfaciendum efficaciores redderet.

Christus totò passionis tempore orationi, quātum licuit, intentus fuit.

ET quidem in cruce & antequam à Iudæis caperetur, vocali oratione vsum esse, planum est ex Euangelio. An autem in aliis passionis suæ articulis vocaliter orarit, id ex Euangelistis certò non constat. Interim dubium nullum est, quin mentali oratione singulos dolores & cruciatus suos æterno patri seriò commendarit, votisque ardentibus pro omnium salute obtulerit. Si enim mentem ad DEVM semper erectam, eleuatamque habebat, maximè cùm magnum illud cruentumque sacrificium pro totius mundi salute cœlesti patri offerebat, erectam habuisse putandus est. Etenim si summi pontifices, qui CHRISTI typum gerebant, in sancta non introibant absq; prece & sanguine, multò minùs magnus ille sacerdos, qui patri dextera assidet in cœlestibus, vt non sine sanguine; ita quoque non sine prece seipsum in holocaustum obtulit. Magnæ proinde Ecclesiæ fuerunt causæ, cur Canonicas preces numero septenario indiceret; iisq; temporũ interuallis & discriminibus celebrari & peragi vellet, quibus iam olim de more celebrantur & peraguntur.

ADDVNT

ADDVNT his quidam alias nonnullas ex eorum temporum ratione petitas, quibus CHRISTVS Dominus peculiare aliquod opus patrauit, aut beneficium in genus nostrum contulit: Etenim circa noctis medium in hanc lucem editus est: Postrema noctis vigilia vel etiam citiùs propter iustificationem nostram ex mortuis exuscitatus est, quo etiam tempore natiuitas illius per angelos pastoribus annũciata est. In crepusculo vespertino, vt quidam, in matutino autem, vt alij volunt, verbum in vtero virgineo caro factum est. Quare etiam vbi Catholica religio obtinet, manè & vesperi campanæ pulsu ad orationem signum datur. Manè orto iam sole post resurrectionẽ suam apparuit Magdalenæ & aliis mulieribus: Tertia (quando etiam Apostolis cæterisque, qui cum illis erant, impertitus est Spiritum sanctum) vt quibusdam placet, Petro; Sexta Iacobo, Nona duobus discipulis euntibus in Emaus; vesperi omnibus simul; Ad cœlos tandem circa meridiem vel horas aliquot post meridiem, ascendisse creditur; quo etiam tempore ad sanctorum Patrum Limbum descendit.

Christus Dominus circa noctis medium in lucẽ editus, & vitæ post mortẽ restitutus est.

Marc. vlt.
Actor. 2.
1. Cor. 15.
Luc. vlt.
Ioan. 20.
Marc. vlt.
Actor. 1.
Matth. 27.
Ephes. 4.

ET vt horum omnium nihil omnino extaret, adhuc sola Catholicæ Ecclesiæ voluntas, illustrisque veterum patrum auctoritas sat nobis hîc esse deberet; vix vllus enim comperitur antiquus scriptor, qui vel omnium vel aliquarum certè Canonicarum horarum non meminerit. Cyprianus: In illis horarum spaciis (loquitur de tertia, sexta & nona) ter trinitatis sacramentum denotatur. Nam à prima hora vsque ad tertiam trinitas horarum completur. Rursum peracta tertia à quarta vsque ad sextam, altera est trinitas. Deinde à septima vsque ad nonam, trinitas tertia completur. Hæc ergo horarum spacia iam pridem spiritualiter determinantes adoratores DEI, statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant. Hæc Cyprianus de temporibus, quę Iudæi inter orandum obseruabant.

In expo. orat. domi.

Cypriani sententia de tertia, sexta & nona.

VERVM quòd nos in maiori luce, absolutioréque lege versemur, monet nos eo horarum numero contentos esse non debere; addit proinde: Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiqtus obseruatas orandi nunc & spacia & sacramenta creuerunt: Nam & manè orandum est, vt resurrectio Domini in matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designauit in Psalmis dicens: *Quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam.*

Psal. 5.

Manè

Manè astabo tibi & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur, dicens: diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum DEVM nostrum. Recedente item sole, & die cessante, necessariò rursum orandum est. Nam quia sol CHRISTVS verus est, & dies verus, Sole ac die seculi recedente quando oramus & petimus, vt super nos veniat denuo lux, CHRISTI precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Hîc obliquè tanguntur omnes horæ, quæ hucusque obseruantur & decantantur in Ecclesia DEI: Siquidem matutinæ orationis nomine complectitur matutinas cum laudibus & primam. Nomine autem vespertinæ precis, vesperas & completorium designat; reliquas verò suis propriis vocabulis appellat.

Cyprianus obliquè exponit oēs horas Canonicas.

FACIT huc quoque illud Basilij Magni: Horæ à sanctis viris precibus ad DEVM & laudibus dicatæ sequendæ sunt; ait enim magnus Dauid: *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, super iudicia iustitiæ tuæ.* Rursum ait: *Vesperè, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Et hæc quoque generali quadam ratione omnes horas in Ecclesia receptas complectuntur. De nocturnis precibus concionatur illud Hilarij: *Memor fui nocte nominis tui.* Scit præcipuè nocturno tempore diuini esse à nobis numinis recordandum. Scit tum maximè custodiam DEI legis à nobis esse retinendam, cùm subrepunt animo impuræ cupiditates, cùm stimuli vitiorum per recens assumptum cibum corpus exagitant: Tum DEI nomen recordandum est, tum custodienda eius lex est, pudicitiam, continentiam, timorem DEI statuens. Nouit hoc præcipuè tempore Dominum esse orandum, deprecandum, promerendum, dicens alio loco: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*, non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus, sed in omnibus deprecationibus, in confessionibus peccatorum occupandus est, vt cùm maximè corporeis vitiis detur opportunitas, tum præcipuè eadem vitia diuinæ legis recordatione frangantur. Hactenus Hilarius de nocturnis precibus, déque grauibus nocturnarum precum causis Dæmonisque insidiis.

De instit. relig.

Psal. 118.

Psal. 54.

Ad Psal. 118.

Dæmones nocte præcipuè castis corporibus & mentibus insidiantur.

Psal. 6.

AD nocturnas & diurnas horas simul pertinet illud Hieronymi, horam tertiam, sextam & nonam; diluculum quoque & vesperam nemo est qui nesciat, & in eadē epistola rursum; bis nocte,

Epist. ad Eusto.

terque ad orandum surgendum est; & ad caput sextum Danielis: Has tres horas, nimirum tertiam, sextam & nonam, quas Propheta Daniel quotidie celebrare solitus erat, & Ecclesiastica traditio intelligit. Et ad Demetri: Præter psalmorũ & orationis ordinem, quæ tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperam, media nocte, & manè semper exercenda est, statue quot horas sanctam Scripturam addiscere debeas. Et in Epitaphio Paulæ: manè, hora tertia, sexta, & nona, vesperi, noctis medio per ordinem psalterium cantabat.

Paulæ Romanæ cõsuetudo in horis Canonicis.

MVLTA hîc dicit Hieronymus obseruatione digna, primò diurnas, nocturnasque horas, quas suis ille nominibus appellat, vsq; adeò notas esse, vt nemo illas nesciat. Mox orationes & psalmos, quæ manè, vespere, tertia, sexta, nona, & noctis medio per id tempus de more dicebantur (vnde etiam traditionem Ecclesiasticam vocat) nunquam intermittere licere. Postremò noctu bis aut ter ad orationem surgendum, quæ res certo nobis argumento est, ætate Hieronymi tres matutinarum nocturnos tribus distinctis temporibus dici consueuisse: puta prima, secunda & tertia noctis vigilia: Siquidem laudes, vt ex hymnis, qui ferialibus diebus ad laudes decantari solent, notum est, quarta noctis vigilia, hoc est, circa auroram celebrabantur. Ad quem ritum diserte quoque alludunt hæc Valeriana: Vigilias tribus horis dispertimus nocturnis, vt non solùm verbo, sed & facto quoque tres vigilias prædicemus, de quibus ait Dominus; Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes &c.

Tempore B. Hieronymi ter noctu ad preces surgebatur.

Li. 1. c. de Mat.

Luc. 12.

AT quia cauillabitur hîc fortè quispiã, Hieronymum & alios veteres non omnium horarum Canonicarum conceptis verbis meminisse (vix vsquam enim extat memoria Completorij, rarò etiam Primæ) adeóque illorum ætate non septem, sed quinque tantùm aut sex obtinuisse, subiicere hoc loco placet Concil. Agathensis decretum, quod ætatem nostram mille propemodum supra ducẽtos annos antecesit. Decretum Concilij ita sonat: Presbyter manè matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persoluat: ita tamen vt horis competentibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur. Deinde peractis horis & infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus rurale ieiunus, vt iterum neces-

De cel. Miss. c. 1.

necessitatibus peregrinorum & hospitum siue diuersorum commeantium infirmorum atque defunctorum succurrere possit, vsque ad statutam horam pro temporis qualitate, Propheta dicēte: *Septies in die laudē dixi tibi.* Qui septenarius numerus à nobis impletur, si matutinali, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperę & completorij tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: *media nocte surgebam &c.* ergo his temporibus laudes Creatori nostro super iudicia suæ iustitiæ referamus. His clarius de horarum Canonicarum numero, singularumque appellatione dici nihil potest. De modo autem Can. 30. eadem Synodus hæc adiungit:

Psal. 118.

Septem horas Canonicas propriis suis nominibus designat Syn. Agathensis, Psal. 118.

ET quia conuenit, ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est vbique sicut fit, & post Antiphonas collectiones per ordinē ab Episcopis vel Presbyteris dici; & hymnos matutinos vel vespertinos decantari diebus omnibus, & in conclusione matutinarum vel vespertinarum & missarum post hymnos capitella de psalmis dici; & plebem collecta oratione ad vesperam, ab Episcopo cum benedictione dimitti.

MITTO hoc loco Isidorum, qui de vigiliis nocturnis, earundemque causis, & tertia item, & sexta, & nona latè philosophatur. Ambrosium, qui aues ad matutinas & vespertinas laudes decantandas nos inuitare asserit. Cubituræ namque, quasi diei munere lætè iam peracto, æthera cantu demulcere, exortóque sole quasi iustas DEO Creatori laudes referentes, eandem musicam denuo instaurare solent. Augustinum, qui ritum psalmorum & hymnorum decantandorum à CHRISTO & Apostolis ad nos defluxisse affirmat. Iulianum Apostatam, qui Cassiodoro referente Ecclesiasticum psallendi ritum ad gentium sacerdotes transtulit, ne Ecclesiæ honestas paganis esset admirationi. Et reliquos tandem omnes, qui partim ex instituto, partim aliud agentes ea de re scripserunt. Puto enim horarum Canonicarum numerum, diurnumq; earundem vsum iis rationibus, symbolis, & auctoritatibus munitum esse, vt Antagonistarum telis non facilè cessurus sit.

Lib. 1. cap. 19.

Ad Psal. 118.

Ad inquis. Ianu.

Cur Iulianus Apostata, Canonicarum horarum ritum transtulerit ad Paganos.

AT dicent forsan: sint sanè septem horæ Canonicæ, quæ statis temporibus certisque locis dicantur integrè; at fiat hoc liberè, ne quis legis vel statuti cuiuspiam occasione laqueus cōscientiis iniiciatur. Insulsa est hęc ratio; etenim si militibus, si iudicibus,

si seruis, si omnibus denique, qui in aliquo publico munere vel magistratu versantur, leges feruntur, quæ ad fidam impositi muneris procurationem adigant, & iure feruntur; (siquidem ea est naturæ nostræ infirmitas & ignauia, vt, nisi adsit aliquis semper stimulus, quo ad officium faciendum perurgeatur, parum aut nihil plerunque facere soleat) cur Ecclesiæ ministris nullæ statuentur leges, quibus vel dirigantur, vel ad officium ritè obeundum compellantur? An non æquè illi calcaribus egent, ac alij homines? An non meritò formidare hîc licet, si liberum esset impunè, hoc est, citra vllam legalem pœnam vel DEI offensionem iunctum munus omittere, perpaucos fore, qui ex animo illud facerent?

Insulsa eorum est ratio, qui ministris liberum relinqui volunt, preces Canonicas soluere aut omittere.

PRAETEREA si Ecclesia multas tulit leges & sanctiones de officio Archidiaconi, Archipresbyteri, primicerij, sacristæ, Custodis, Vicarij, Iudicis delegati, Legati, Iudicis ordinarij, de censu & & exactione de clandestina desponsatione, déque similibus aliis sexcentis, cur nō etiā de publicarum orationum ratione? An non æquè probrosa & noxia esset hac in re negligentia, ac in aliis quàm plurimis, de quibus seueræ latæ sunt leges? Denique si populares pœnis & legibus compelluntur, & iure optimo compelluntur, vt soluant decimas, frugum primitias, aliáque id genus Clericorum iura vel stipendia; cur Clerici vicissim non cogentur, vt præstent DEO & populo debita obsequia? An non iniquissima lex esset, si Rex vel princeps quispiam cogeretur militi menstruum, vel annuum, vel vitalitium stipendiū dependere, & miles è diuerso non cogeretur ad propugnandam principis vel patriæ salutem? Hæc clarè, vt opinor, ostendunt legem de horarum Canonicarum penso latam iustam, & sanctam esse.

Nō minùs æquū est vt Ecclesię ministri per leges compellātur ad horarū pensum, quàm vt sæculares adigantur ad decimarum solutionem.

AT quò eleutheropolitis illis pleniùs fiat satis, addo prædictis, nullum de horis Canonicis extare præceptum, quod omnes absolutè obliget; quicquid enim ea de re cautum extat, hoc totum est conditionatum illos solum ligans & obligans, qui Ecclesiæ immunitatibus, priuilegiis, & fructibus gaudere volunt: hoc est, eos tantum, qui sponte nullo cogente, Ecclesiasticum vel monasticum institutum complexi sunt. Quare horas Canonicas recitare vel decantare est quoddam verius onus publico & honorario muneri annexum, quàm absolutum per se præceptum.

Etenim

Etenim vt nemo alieno principi militare tenetur, nisi stipendiis vel prærogatiuis, quæ suis ille militibus proponit, potiri voluerit: ita nemo omnium Ecclesiæ seruire, vel monasticen profiteri obstringitur, nisi ob commodorum spem, vel perfectioris vitæ desiderium, vltro id expetiuerit. Verùm enimuerò vt ad vnũ omnes, qui præmia militantibus proposita consequi volunt, impigrè pugnare, intrepidéque belli periculis sese exponere obligantur; ita quoque qui Ecclesiæ emolumentis, priuilegiis, & immunitatibus frui exoptant, ea onera subire, & bona fide præstare debent, quæ suis illa ministris imponit. Qua quidem in re nulli prorsus fit iniuria; nihil enim decentius, æquius, aut rationi cõsentaneum magis, quàm vt ij, qui sentire volunt aliqua commoda aliâs indebita, vicissim sentiant labores, & incommoda, quæ rebus illis commodis vel fructuosis sunt annexa. Et quod hîc dictum est de horis Canonicis, hoc ipsum quoq; dictum accipiatur de cœlibatu, deque aliis nonnullis sacerdotij dignitati indiuulsè annexis.

Nemo absolutè ad horarum Canonicarum pensum cogitur, sed is tantùm onus illud pstare obligatur, qui beneficiis, prærogatiuis, & immunitatibus Ecclesiasticis vult potiri.

CAETERVM lex, de qua hîc sermo est, non obligat omnes, sed tria tantùm hominum genera, nimirum sacris initiatos, sacerdotium vel beneficium Ecclesiasticum cum clericali titulo pacatè obtinentes, & religiosos choro mancipatos, etiamsi in sacris ordinibus constituti non sint; Videntur hi tamen ex quadam recepta consuetudine ad horarias preces magis obligari, quàm ex vlla omnino lege aut sanctione, quæ ea de re lata sit. Quare etiam sola superioris volũtate è choro, cuius muniis mancipati fuerant, in laicorum ordinem, vbi nulla lege aut cõsuetudine ad horas Canonicas obligantur, transferri possunt: & vice versa laicorum albo semel ascripti, si præposito ita visum fuerit, chori officiis mancipari queunt. At istud fieri nullo modo posset, si monachatum profesi communi iure ad horas Canonicas obligarentur.

Tria hominum genera ad horas Canonicas obligantur.

PORRO autem quòd ij omnes, qui maioribus ordinibus initiati sunt, etiamsi nullum beneficium Ecclesiasticum possideant, ad precum horariarum pensum quotidie dependẽdum obligentur, id nemo orthodoxè institutus in dubium vocat. Sed & naturalis quoque ratio æquum id esse, minimè obscurè demonstrat. Nam quotquot ad munus aliquod publicum aut ad quemcunq; honoris gradum admittũtur, illi omnes iure, meritóq; onus illud

subire debent, quod tali muneri vel honoris gradui iustè adiunctum est: Ecclesia autem magnis mota rationibus precum horariarum pensum maioribus ordinibus adiūxit; quare omnes sacris initiati quotidie horas Canonicas persoluere obligantur. In maioribus autem cōstituti, si Ecclesiastico beneficio carent, non videntur cōmuni aliqua lege ad certas preces obligari, ita vt noxam incurrant, si illas fortè nō persoluant. Consultè tamen & rectè faciunt, qui id præstant, quod locorum ordinarij pro diœcesium consuetudine iniungere solent. Cùm enim tales priuilegiis & immunitatibus Ecclesiæ gaudeant, par est, vt huius rei causa aliquid etiam præstent, quodcunq; tandem illud sit.

Sacris initiati ad recitandum vel decantandū horas Canonicas obligantur.

RVRSVM quòd ij omnes, qui sacerdotium cū sacerdotali vel clericali titulo possident (nam qui seculari titulo beneficij cuiuspiam fructus percipiūt, vt quibusdam locis cōmunis collegij Medicus, Quæstor, Theologus, Concionator, Ludirector, aliiq; eiusmodi; tum ij quoq;, qui studiorū causa pensionem aliquā super alterius beneficium assignatam habent, ab hoc onere immunes cēseri solent) horarias preces quotidie recitare obstringantur, etiāsi sacrum ordinem nullum susceperint, id illis clàm esse non potest, qm̄ cur huic vel illi hoc vel illud beneficium assignetur, non ignorant. Intelligunt autem pleriq; omnes, Clericos nō secùs sese habere ad sua beneficia, siue ad sacerdotiorum suorū emolumenta, atq; se habent milites ad sua stipendia: Ludimagistri ad sua didactra, & cæteri mercenarij ad sua salaria. Vt ergo militi nullum debetur stipendium, si nullos militares labores subit; Ludimagistro nullum didactrum, si nullū instituit, famulo mercenario nullum salarium, si nulli Domino operas suas præstat; ita Clerico quoq; nullum debetur beneficium, hoc est, sacerdotij cuiuscunq; census, si nullum Ecclesiæ præstet obsequium. Ordinarium autem obsequium vel officium, quod Ecclesia ab omnibus & singulis beneficiariis exigit, est precum horariarum pensum.

Titulo sæculari beneficium aliquod obtinētes, non obligantur ad horas Canonicas.

HINC sequi videtur, qui beneficij cuiuspiam titulum obtinent, sine vllis omnino fructibus, eos ratione beneficij ad horarum Canonicarum debitum lege nō teneri. Vbi enim nulla proposita est merces, ibi nulla extare videtur obligatio ad laborem. Est hîc sermo de iis, qui beneficij, cuius titulum habent, fructus nō carpunt, neque vt maximè id studeant, carpere possunt. Secùs de iis sta-

iis statuendum est, qui carpere potuissent, si voluissent, aut etiamnum possent, si vellent. Idem nonnulli de iis statuunt, qui tenuissimum beneficium obtinent. Tenuissimum vocant, quod nullo modo ad vitę sustentationem sat est. Sunt tamen, qui nudum titulum ad obligandum quempiam ad precum horariarum onus sat esse putāt, nedum tenue aliquod beneficium; verùm licet horum sentētia magis fortassis sit secura, videtur tamen plùs satis dura.

Qui excusentur ab horis Canonicis, & qui secùs.

SECVNDVM mitiorem itaq; sententiam à persoluendo horarum Canonicarū debito excusantur, qui nullos, aut certè quàm tenuissimos ex beneficio quod habent, fructus percipiunt. Excusantur hinc illi etiam, qui nullum habent breuiarium, neq; habere possunt: Quod illis vsu venire posset, qui seruitute infidelium premerentur, vel in aliqua solitudine versarentur, vel tanta inopia tenerentur, vt horarium codicem parare non possent. Tum oculis capti, vel ita cæcutientes caligantésue, vt commodè legere nequaquam valeant, cæteriq; grauiori morbo pressi. Interim quos morbus excusat, nō excusat semper à toto, sed ab ea tantùm parte, quam citra grauiorem valetudinis offensionem recitare non possunt. Idem statuatur de aliis impedimēto aliquo irretitis: Quibus enim tenetur hîc præstare quod nō incommodè potest. Tum ij rursum omnes, qui simul orare & munus illud, quod magis vtile vel necessarium est, obire non valent. Tum illi denique omnes, qui iusta de causa à Pont. Max. ab eo onere exempti sunt. Illi porrò, qui aliqua Ecclesiastica censura irretiti tenentur, vt sunt excommunicati, exauctorati, suspensionis vel interdicti vinculo innodati ab hoc debito non sunt liberi. Debent enim si publicè non licet, priuatim illud persoluere; alioquin commodum ex suo peccato reportarent.

Citra causam horariarū precum penitus omittētes peccatum cōmittunt, neq; fructus suos faciunt. Sess 9.

QVID illis fiet, qui citra vllam iustam causam horas Canonicas omittunt? sanè quotquot citra causam iustè excusantem, debitum hoc dissoluere omittunt, ad vnum omnes, si communi doctorum sententiæ fides est, vt sanè est magna, graue peccatum incurrunt, & fructus nihilominus beneficij, pro omissionis ratione deperdunt: quemadmodum id ex Concilij Lateranensis decreto iustè, sanctèq; super ea re edito planè, & planiùs adhuc ex PII V. extrauagante cognoscere licet. Habet hæc autem de verbo ad verbum in hunc modum:

PIVS

PIVS Episcopus seruus seruorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Ex primo Lateranensi Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinũ officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij & temporis suos nõ faciat; sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynã erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda.

Nos huic rei euidentiùs & expressiùs prouidere volẽtes statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: Tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis Canonicis cùm aliis præsens adsit, fructusq; & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliâs sibi lucri feciſſe prætendat.

Canonici cæteriq́ue beneficiarij præsentes & non recitantes cadunt in pœnã in nõ recitantes decretam.

Is etiam præter fructuum & distributionum amissionem; item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat se admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunq; alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri; at quicunque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. MARIAE virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Hæc Concilium & Pontifex in eos, qui horas Canonicas nulla re impediti non recitant. & non immeritò: Siquidem fructus beneficiorum sunt eorum stipendia, qui Ecclesiæ militant. Quare communiter dici consueuit; beneficium datur propter officium. At de horis Canonicis pro instituti nostri ratione satis.

Decanis

De cantu Ecclesiastico, iniquoq; illorum studio, qui illum veluti rem insulsam & superstitiosam impugnant.

CAPVT NONVM.

ADHVC nondum conquiescunt aduersarij; dicunt enim: Sit sanè septenis interdiu vicibus orandum; sint pœnæ & culpæ obnoxij, qui ad munus hoc deputati remissiùs, quàm par est, agũt: Sint salutaria & Christiano homine non indigna cętera, de quibus actum est hactenus. At quorsum hîc opus est sublata voce? aut concentu Musico? an non is rem visu dignam committeret, qui à viro principe cantando quippiam efflagitaret, quãtò magis à DEO? Quorsum spectat tanta in vna re, in qua summam consensionem esse oportebat, varietas? Vix enim vnum collegium reperitur, quod cum altero in horarum Canonicarum ratione consentiat. Quorsum tandem alia multa, quæ quandam secularem leuitatem præ se ferunt veriùs, quàm aliquam Ecclesiasticam grauitatem?

DE cantu, cuius in horis Canonicis, cæterisq; officiis diuinis frequens & celebris in DEI Ecclesia vsus est, succinctè aliqua dicturus, pono hîc duo tanquã quoddam futuræ disputationis fundamentum. Alterum horum est, publicæ orationis (ad hanc enim solam, quæ de cantu disputantur, pertinent; priuata enim oratio nullo eget vocum strepitu, siue pro ipso orante fundatur, siue pro altero) scopum & quasi munus proprium tripartitum esse. Primò partium illius est, DEVM veluti summum rerum omnium opificem, cõmunemq; totius vniuersi Dominum & administratorem laudare, dignisque encomiis & elogiis euehere: mox pro collatis donis & beneficiis gratias eidem agere, postremò quæ animo vel corpori necessaria videntur, suppliciter ab illo petere.

Tripartitũ publicæ orationis munus.

ALTERVM est, publicæ orationi, vt publica est, cantum non repugnare: Siquidem oratio vt publica est, inter cætera deposcit, vt ea ratione instituatur, quò in publicam hominum notitiam venire queat: Tum quò Ecclesiæ eiusdemque magistratui palàm constet, sacro ministerio mancipatos munus, ad quod obeundum consecrati, publicóque stipendio conducti sunt, fideliter obire; tum maximè quò populus certò intelligat, se perpetuos

Cantus publicæ orationi, vt publica est, non repugnat, sed multis modis in eã quadrat.

& certos apud DEVM Optimum Maximum patronos & intercessores habere, quorũ precibus & intercessionibus suas preces, suaq; desideria & vota si velit, coniungere valeat. Iam si publica oratio populo, populique ducibus innotescere debet, eò quod ad hanc quidem conditionem attinet, præstantior, suoque fini affinior erit, quò secundùm se extiterit manifestior. Magis autem & clariùs innotescit, dum tractim & clara voce decantatur, quàm dum tumultuariè, vt communiter fieri solet, tantùm recitatur. Cantus proinde publicæ orationi adeò non repugnat, vt in illam quoque maximè conueniat.

DEO summa, q̃ humana voce exhiberi potest, laus debetur.

AT multò minùs repugnat idem publicæ orationi, si consideretur, vt diuinæ laudis, aut gratiarum actionis, aut propriæ precationis rationem subit. Nam cùm DEVS sit infinitè bonus, infinitè sapiens, infinitè potens, modis denique omnibus infinitus, summa, quæ humana voce exhiberi potest, laus illi debetur. Inter voces autem humanas sonorę & harmonicæ principatum obtinent. Etenim quæ paucis nota volumus, ea musitamus veriùs quàm eloquimur; quæ multis, clara voce efferimus; quæ omnibus, ea non solùm magna cum animi voluptate & exultatione ebuccinamus & celebramus; sed versibus etiam & canticis latè inuulgare studemus. Quare veteres poëtæ præ cæteris in hoc incumbebant maximè, nempe vt Deorum laudes, præclaraque heroum facta graui, sonoroq; carmine decantarent. Sed & multorum quoque sententia est, in cœlesti illa patria, vbi perfectissima laus futura est, non defuturam vocalem laudem vocibus & numeris suauissimè modulatam.

In cœlo nõ defutura laus vocalis.

RVRSVM cùm ingentia dona & beneficia à DEO Opt. Max. acceperimus, maioráque ab eodem adhuc expectemus, æquum est, vt summo, perfectissimoque vocis actu eidem gratias agamus; talis autem, vt modò dicebatur, est vox sonora & harmonica, hoc est, certis numeris, modulisque astricta. Denique tota ferè orationis vis & ratio posita est in mentis ad DEVM eleuatione; atqui vt ex ingenti animi lætitia, spiritusque exultatione cantus sua sponte interdum erumpit; ita ad excitandam mentis deuotionem omnium aptissimus habetur. Quod dicimus certa experientiæ fide constat. Scimus enim, non rarò compertos esse, qui musica ita afficerentur, vt ad organorum vel vocum suauiter so-

Cãtus suaui vocum concentu modulatus apprimè aptus ad ciendam deuotionem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sonantium concentum in quendam mentis excessum abriperentur. Certè Augustinus vir alioqui grauis ad cantus Ecclesiæ lachrymas se continere nequaquam potuisse ingenuè fatetur, sed & communiter quoque dici consueuit, ad quemuis motum animi ciendum aptissimum instrumentum esse musicam. Quare etiam tristibus & lætis & medium statum obtinentibus, tum concitandis & rursum sedandis animis, variisq; affectibus mouendis plurimùm passim adhibetur.

Lib. 9. conf.

Musica mouendis variis animi motibus instrumentum aptissimum & vsitatissimum.

ADDE carmen iis præcipuè accini solere, qui vel incensè amantur, vel summa fœlicitate potiuntur, vel glorioſam de immani aliquo hoste victoriam retulerunt. DEVS autem est summè fœlix, imò omnis verę fœlicitatis & beatitudinis origo & fons. Est idem quoq; infinitum amoris obiectum; vtpotè totum & suum & nostrum & totius creaturę bonum. Est nihilominus triumphator omnium illustrissimus & glorioſissimus, vt qui sua cruce diabolum, infernum, peccatum, & mortem ipsam potentissimè debellarit. Si ergo filiæ Israël Dauidi & Saulo è prælio redeuntibus cecinerunt ἐπινικία; si Moyses cum vniuerso exercitu suo propter vim Pharaonis prostratam victoriale carmen DEO cecinit, quantò æquius est, vt nos CHRISTO Domino nostro laudes & ἐπινικία canamus, qui triumphum vsque adeò glorioſum de totius mundi tyrannno retulit?

Qu'bus carmina & odæ acciai soleant.

1. Reg. 18. Exod. 15.

TANDEM licet præcipua diuini cultus ratio posita sit in actibus internis; nihiloseciùs vt sacrificium nostrum sit plenum, illa etiam in DEI laudem & honorē salubriter impendimus, quæ nobis maximè sunt naturalia (nam & illa ipsa quoq; DEO sunt gratissima) at canere homini est naturalissimum. Canunt enim docti & indocti, pueri & senes, viri & fœminæ, & cuiusq; tandem conditionis & ordinis homines. Sed & nulla quoque extat aut extitit quandoque natio aut secta, quæ in Deorum suorum laudem carmina aliqua decantare non consueuerit.

Canere omni hominum generi familiariſſ. & naturaliſſ.

IMO illi ipsi, qui Catholicæ Ecclesiæ cantum hostiliter hoc tẽpore insectantur, totum suum cultum in clumbas quasdam cantilenas transtulisse videntur. Vix enim aliud in illorum Synagogis auditur, quàm aut mendaciis refertæ spermologiæ, aut crassis erroribus fartæ promiscuæ multitudinis cantiunculæ. An non hìc cum veteribus Arrianis magis se facere palàm ostendunt,

Cuiusmodi cultus in sectariorũ Synagogis obtineat.

quàm cum veris Christianis? Etenim cùm illi hymnos & cantica Ecclesiæ non ferrent, non quòd cantum secundùm se odissent, sed quòd CHRISTI diuinitati, quæ in sacris illis odis cõtinebantur, & populo religiosè inculcabantur, infesti essent, Ecclesiæ Catholicæ carmina furiosè exploserunt, suas autem cantiones blasphemis in CHRISTVM vocibus refertas in illorum locũ suffecerunt. Idem planissimè faciunt, & iam antè fecerunt ętatis huius sectarij: Quandoquidem reiectis vetustissimis & grauissimis orthodoxæ Ecclesiæ hymnis, suas prophanas odas, aut suis certè cõmentis prophanatos psalmos ad nauseã vsq; ingeminare non desinunt. Verùm de rationibus & argumentis, quæ canticis Ecclesiasticis luculenter patrocinantur, satis; proximum est, vt nonnulla quoque ex Scriptura & Patrum doctrina, veterumque ritu & consuetudine de Ecclesiastico cantu in medium adferamus. Antagonistæ enim rationibus parum tribuunt, vt qui aliud nihil crepare soleant, quàm aut scripturam, aut puriorem antiquitatem.

Ætatis huius sectarij in publico cantu Arrianorum æmuli.

ET quidem quo precandi ritu vsi sint illi in publicis locis, qui Mosaicam legem anteceſſerunt; id ex Scripturis non est euidens, nisi forsan quod Genesis quarto de inuocatione Enos, & tertio & quarto decimo eiusdem libri de inuocatione Abrahę legitur ad sonoram & publicam orationem referendum videatur. Nam cùm ante Enos natum Adam, Abel, & Seth, eorundemque familiæ ex animo DEVM inuocauerint, eidemque religiosè admodum sacrificauerint, quomodo verè dici potest Enos cœpisse inuocare nomen Domini, nisi ille instituerit aliquem nouum & ante id tempus inusitatum inuocationis modum, quo Noë deinde, & Abraham, & reliqui Sancti, qui legem præcesserũt, in publicis, solennibusq; precibus vsi sunt? Sanè videtur id oppidò probabile, facitq; rem hanc non parum probabiliorem paganorum ritus vulgò tum temporis receptus. Constat namq; ætate Abrahę & multò etiã antè vsitatissimũ apud idololatras fuisse varij generis carmina & odas Deorum sacrificiis adhibere. Quem vtiq; ritũ nõ aliundè mutuauerant quàm à veris veri DEI cultoribus. Est enim perquã familiare diabolo eiusdemq; ministris, orthodoxorum studia & consuetudines simiarum more in plerisq; æmulari, ne videlicet publicè habeantur omnino profani, populumq; deceptum faciliùs ea ratione in errore semel concepto detineant.

Quo sensu Enos dicatur cœpisse Deum inuocare.

Diabolus eiusdemq; ministri in publico cultu, Dei, ministrorumq; eiusdem simiæ.

VERVM

VERVM vtcunque tandem ea inuocatio, quam Enos primus omnium inchoasse dicitur, accipiatur (neque enim magnum aliquod ea in re præsidium colloco) certum & ex plurimis scripturæ locis manifestum est, omne genus carminum & musicorum instrumentorum apud eos, qui sub Moysi lege vixerunt, fuisse receptissimum. Nam vt de aliis nihil nunc dicam, totum certè regij Prophetę psalteriũ si non primariò, secundariò sanè ad hoc à Spiritu sancto dictatum videtur, vt omnis generis vocibus & organis in DEI laudem & honorem publicè decantaretur. Ad musicam vocalem pertinet illud: *Cãtabo Domino, quia bona tribuit mihi.* Et illud: *Cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Et illud: *Cantate ei canticum nouum; laus eius in Ecclesia sanctorum.* Et illud: *Cantabo fortitudinem tuam.* Et illud: *Cantate DEO, psalmum dicite nomini eius.* Et illud: *Laudabo nomen Domini cum cantico.* Et illud: *Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi.* Et illud: *Cantabo DEO Iacob.* Et illud: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et illud: *Cantate Domino omnis terra: Cantate Domino, & benedicite nomini eius.* Et illud: *Cantate Domino Canticum nouum.* Et illud: *Cantate & psallite, & exultate in Cythara & voce psalmi.* Et illud: *Misericordiam & iustitiam cantabo tibi Domine.* Et illud: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ.* Et illud: *Et cantent in viis Domini.*

Psalterium in publicam Dei laudẽ à Spiritu sancto dictatum.

Psal. 12. Psal 32. Psal 149. Psal 58. Psal 67. Psal 68. Psal 70. Psal 74. Psal 88. Psal 95. Psal 98. Psal 100. Psal 118. Psal 134.

AD instrumentalem autem illud: *Laudate Dominum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & Cythara; Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo; Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, Laudate eum in cymbalis iubilationis.* Et illud: *Confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum nouum, bene psallite illi in vociferatione.* Et illud: *Confitebor tibi in cythara.* Et illud: *Confitebor tibi in vasis psalmi, veritatem tuam, DEVS psallam tibi in cythara.* Et illud: *Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum cum cythara. Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solennitatis vestræ.* Hæc omnia & alia multa in eandem sententiam vnus Propheta & Rex Iessæus Dauid.

Psal. 150. Psal. 32. Psal. 42. Psal. 56. Psal. 70. Psal. 80.

AST non constitit hîc religiosissimi principis deuotio, verùm vltra progressa, magnam quoque cantorum omnisq; generis musicorum vim instituit, qui Psalmos, quos ille Spiritu sancto dictante ediderat, ad DEI Opt. Max. laudem diuersis organis, modulatisque vocibus iugiter in tabernaculo decantarent. Qua de re primo Paralipomenon ita scriptum extat: *Isti sunt quos constituit*

Dauid ingentem cantorum & musicorum vim in Dei laudem instituit.

Dauid super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca; & ministrabant coram tabernaculo testimonij canentes, donec Salomon ædificaret domum Domini in Hierusalem; stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. & infrà:

Numerati sunt Leuitæ à viginti annis & supra, & inuenta sunt triginta octo millia virorũ, ex his electi sunt & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia; propositorum autem & Iudicum sex millia; porrò quatuor millia ianitores, & totidem psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. Et infrà rursum: *Igitur Dauid & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui prophetarunt in cytharis, & psalteriis, & cymbalis secundùm numerum suum dedicato sibi seruitio seruientes.* Et cap.13.eiusdem libri: *Porrò Dauid & vniuersus Israël ludebant coram* DEO *omni virtute in Canticis, & in cytharis, & in psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis.* Et capite 15, rursum:

Et dixit Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. Constituerunt́que &c. Et cap. proximè

Vsus cantorũ & musicorũ apud veteres celeberrimus.

sequenti: *Constituit Dauid coram arca Domini de leuitis, qui ministrarent & recordarentur operum eius, & laudarent Dominum* DEVM *Israël. Iedithun super organa psalterij & lyras, Asaph autem vt cymbalis personaret. Banaias verò & Iaziel sacerdotes canerent tuba iugiter, coram arca fœderis Domini.* Et lib.2.cap.7. *Sacerdotes autem stabant in officiis suis, & leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia eius hymnos Dauid canentes per manus suas; porrò sacerdotes canebant tubis ante eos.*

SED neque solus Dauid DEO cecinit, variáque carmina in eiusdem laudem instituit, sed alij præterea complures, qui illum partim anteceſſerunt, partim secuti sunt. Nam & Moyses propter submersum in mari rubro Pharaonem Domino Epinicion cecinit: fecit idem etiam eius soror Maria. Tum Anna Samuelis mater, & Delbora, & Baras, & Iudith, & Esaias, & Abacuc, & Ezechias &c. Sed & Saulum quoque filium Cis, posteaquam gregem prophetarum, ante quos ibat psalterium, & tympanum, & tibia, & cythara, obuiam habuisset, prophetiæ spiritum hausisse, vnáque cum cæteris cecinisse & vaticinatum esse legimus. Sic Elizæus psalten adduci iussit, eóque canente manus Domini super illum cecidit,

Exod.15.

1 Reg 2.
Iud. 5.
Iud. 16.
Esa.5.42.23.
Abac.3.
1.Reg.10.
4.Reg 3

cecidit, moxque, quæ futura erant, certò prædixit. Mitto alia; longum enim foret, si quis ea omnia in hunc locum referre vellet, quæ de veterum carminibus & odis prodita extant. Cùm ergo hæc omnia peculiari DEI spiritu fuerint facta & instituta, tantóque feruore & spiritu à sanctis illis viris frequentata, cur notatur Ecclesia, quòd diuinas laudes certo quodam ordine & modo publicè, solenniterque decantet?

AT nouum Testamentum hîc prorsus silet, inquit aduersarius. falsum est: nam etsi hac in re vetus non æquet, non tamen prorsus silet. Etenim Matthæi 26. inter cætera ita scriptum comperimus: *Dico vobis non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Ετ ὑμνήσαντες*, hoc est, vbi hymnum vel laudem DEO decantassent, *exierunt in montem oliueti.* De hymni autem ratione est cantus; siquidem Græcis idem est ὑμνῶ, quod Latinis decanto vel carmine celebro, vnde Augustinus: Hymni sunt laudes DEI cum Cantico. Si sit laus, & non est DEI, non est hymnus. Oportet ergo vt sit hymnus, vt habeat hæc tria, & laudem, & DEI, & Canticum. Eiusdem sententiæ sunt, quæ ea de re scribit Isidorus: Hymnus, ait, est canticum laudantium DEVM propriè; Aut hymni sunt cantus concinentes laudem DEI. Quod si sit laus, & non est DEI, non est hymnus. Quamobrem si, vt Matthæus & Marcus referunt, CHRISTVS vnà cum discipulis suis post vltimam cœnam celebratam ὕμνησεν, consequens fit, vt vnà cum discipulis suis DEO laudem & gratiarum actionem decantarit; Atque hoc disertis verbis asserit Synodus Toletana quarta.

Quid sit hymnus propriè, & quæ de illius ratione. Ad Psal. 72.

Li. 6. c. 34. etym.

De hymni ratione tria.

DE hymnis canendis, exponit illa, Saluatoris & Apostolorum exemplum habemus. Nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista testante, *& hymno dicto exiuerunt in montem oliuarum*. Et Paulus Apostolus ad Ephesios scribit, dicens: *Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & Canticis spiritalibus.* Iam si hymnus non constat sine cantu, vt ex Augustino & Isidoro & Concilio Toletano manifestum est, & ex voce ipsa validè confirmari potest, consequitur, Apostolum Paulum & Sylam nocturnas DEO laudes continuisse: Quandoquidem Actorum sexto decimo ita de illis legimus: κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον παῦλος καὶ σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν

Can. 12.

Matth. 26.

Cap 5.

Christus cum Apostolis, Paulus item & Silas Deo laudes decantarunt.

ὕμνουν τὸν θεὸν, hoc est, circa mediam noctem Paulus & Sylas orãtes DEO laudes decantabant.

SPECTAT ad hunc etiam locum Canticum Prophetæ Zachariæ, Canticum Simeonis, Canticum Virginis matris, Angelorum δοξολογίαν. Nam etsi ex Euangeliis certum non est, CHRISTO recens nato concentu musico diuinas laudes decantasse Angelos, satis tamen ex illis compertum est, clara & lætabunda voce deprædicasse; quod idem est ferè quod ceciniſſe. Sed & Ecclesia quoque Catholica hoc ipso modulata voce vsos insinuat, quòd illorum carmen inter cætera scripturarum Cantica censet. Adhæc Concilium Toletanum quartum Angelos δοξολογίαν illam: *Gloria in altissimis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, decantasse disertè affirmat.

Noui Testamenti Cantica quæ, & quot.

Cap. 12.

QVIA, ait, nonnulli hymni humano studio in laudem DEI atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur: sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius & Ambrosius condiderunt, quos quidam tamen reprobant pro eo, quòd de Scripturis sanctorum Canonum vel Apostolica traditione non existunt: Respuant ergo, & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico priuatóque officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum amen. Nam & illum hymnum, quem nato in carne CHRISTO Angeli cecinerunt; Gloria in excelsis DEO, & in terra pax, & reliqua, quæ sequuntur ibi, Ecclesiastici Doctores composuerunt; Ergo nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, quia in sacrarum Scripturarum libris non inueniuntur. Hæc Synodus Toletana de Angelorum δοξολογίᾳ. Cuius sententiæ Leo eius nominis non⁹ planis verbis astipulatur. Scribit enim: Hi duo solummodo hymni ab Angelis in nouo Testamento inueniuntur decantati Alleluia, & Gloria in excelsis DEO, quos pariter in septuagesima intermittimus, quia peccato veteris hominis à conuentu Angelicæ iubilationis expulsi, in huius miseræ vitę Babylonem, super flumina eius sedemus & flemus, dum recordaremur illius Syon, in qua DEVM decet hymnus.

Ab Ambrosio & Hilario varij hymni compositi.

De conſ. d. 1. c. Hi duo.

Duo Angelorũ hymni.

Psal. 136.

Psal. 64.

DICIT autem in nouo Testamento duos tantùm Angelorum hymnos extare: siquidẽ extat alius Esaiæ sexto, quem itidem vel

vel decantarunt vel sonora & clara voce deprompserunt, vel depromere veriùs nunquam desinunt, vtcunque tandem in corporis expertes spiritus vocis vsus cadat. Habet autem textus in hunc modum: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius. Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: Sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus* DEVS *exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Hæc ibi, quæ choros in Ecclesia orthodoxa olim futuros minimè obscurè adumbrabant. Nam vt Seraphin illa alternatim ad se inuicem clamabant: ita chori alternis sibi inuicem respondent, laudesque diuinas decantant. Sed & in omni quoque solenniori Missæ sacrificio idem ille seraphicus hymnus non absque musica symphonia adhiberi solet.

Esai.6.

Angeli alternis Deo laudem decantant.

SIMILIS quædam Angelorum visio diuinas laudes alternatim decantantium, vt refert Nicephorus, obtigit itidem Ignatio tertio à D. Petro Antiochenorum Episcopo. Quæ autem is ea de re commemorat, eiusmodi sunt: Morem antiphonarum, hoc est, alternis per responsionem carminum concinendorum Ecclesia antiquitus iam inde ab Apostolis accepit. Diuinum namque Ignatium, qui tertius in Ecclesia Antiochena à Petro Apostolo Hierarcha fuit, & cum Apostolis omnibus plurimo tempore vixit, quum per extasin animi consternatus esset, visionem nouam vidisse ferunt, sanctos scilicet Angelos alternis & sibi inuicem respondentibus carminibus sanctam Trinitatem hymnis & laudibus vehentes; & ipse primus hanc concinendi formam Antiochenorum Ecclesiæ dedit. Vnde quasi à fonte in alias Ecclesias DEI omnes eiusmodi consuetudo est propagata. Hæc Nicephorus, quæ iisdem penè verbis exponit historia Tripartita. Habemus autem hinc duo obseruatione cum primis digna: Alterum horum est, alternis diuinas laudes canere non humanum commentum, sed cœleste planéque diuinum institutum esse; vtpote ex ipsis Angelis acceptum. Alterum est, ritum illum alternis & quasi per choros canendi non heri natum; sed Apostolorum ætate in Ecclesia inchoatum, indéque ad nos vsque perpetua quadam serie propagatum esse.

A tẽporibꝰ Apostolorũ Ecclesia choros egit, alternisq; cecinit.

Lib.6.cap 8.

Alternis canere non humanum commẽtum sed cœleste institutum.

Hier. ecc. c.3. Lib.2. ca.16.de relig. Alexan.

CVI rei præter alios sacer Dionysius & ipse Apostolorum discipulus, & Iudæorum eruditissimus Philo luculentum quoque testimonium perhibent. Dionysius: Psalmorum sancta modulatio, quæ omnibus fermè sacerdotalibus mysteriis iũgitur, & substantiæ ratione cohæret, summo omnium mysterio deesse non debuit. Philo: Est in vnoquoque ferè agro ædes sacra, quæ appellatur σεμνεῖον vel μοναστήριον, in quo illi ab aliis seiuncti vitæ piæ mysteria obeunt. Nihil eô vel cibi vel potionis vel aliarum rerum, quę ad corporis vsum necessarię sunt, omnino secum apportant; sed leges & oracula à Prophetis diuinitus edita, hymnosque ibi recolunt, & alias denique res, quibus diuina scientia & vera erga DEVM pietas crescat & perficiatur. Et infrà: Ita planè non modò contemplationi solùm se dedunt, sed & cantiones & hymnos variis metri carminum cuiusque modi numeris grauiter fusis, ad DEI honorem & laudem conficiunt.

Cantus & hymnorum vsus celebris in Alexandria in Ecclesiæ exordio.

Epist. ad Imper. Traia.

HIS satis consentanea sunt, quæ scribit Plinius secundus de suæ ætatis Christianis. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque CHRISTO quasi DEO dicere secum inuicem. Addit ibidem: Vnus ex omnibus consurgẽs in medio psalmum honestis modulis concinebat, & præcinenti ei vnum versiculum, omnis multitudo respondebat. Hæc omnia planum faciunt, tempore Apostolorum cantum in Ecclesia DEI publicè fuisse receptum; etsi fortè non ea solennitate & frequentia, qua postea. Nam cùm Ecclesia in cunis adhuc vagiens vix haberet domũ, in qua latitaret, nulli mirum videri debet, si tum nõ habuerit splendida templa, in quibus diuinas laudes publicè decantaret.

Lib.1. ca 6. offi.

DE psallendi vtilitate Isidorus ita scribit: psallendi suauitas tristia corda consolatur, gratiosas mentes facit, fastiditos oblectat, mentes excitat, peccatores ad lamenta inuitat. De hac ipsa consolatione, spiritalique oblectatione Diuus Augustinus alicubi ita scribit. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis suauesonantis Ecclesię tuæ vocibus commotus acriter; Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

Varij & miri Ecclesiastici cantus effectus & fructus.

Lib.9.c.7. Conf.

NON longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consola-

solationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat aut nō multò amplius, cùm Iustina Valentiniani Regis pueri mater hominē tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cū Episcopo suo seruo tuo. Ibi mater mea ancilla tua solicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atq; turbata. Tunc hymni & Psalmi vt canerentur secundùm morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio tabesceret, institutum est; & ex illo in hodiernum retentū, multis iam & penè omnibus gregibus tuis & per cætera orbis imitantibus. Hæc Mediolani. Simile quid tempore Chrysostomi accidit Constantinopoli, qua de re Nicephorus ita scribit:

Mediolani tempore Ambrosij & Augustini hymni & psalmi vt publicè canerentur institutum.

Porro populus Constantinopolitanus nocturnis, matutinisque hymnis maxima alacritate incubuit, ex eiusmodi primùm causa: Arriani sub Theodosio sacris ędibus expulsi, extra vrbis mœnia Ecclesias conuentusq; suos agebant. Priùs autem nocturno tępore in publicis porticibus cōgregati, atq; in choros suos segregati carmina quædam alternis antiphonarum modo sibi inuicem respondentia, ad hæresis suæ placita accommodata, concinnè canebant, & noctē multam in eiusmodi psalmodia consumebant. Sub aurorā autem publicè ea concinentes extra vrbem, in ea, vbi Ecclesias habebant, loca procedebant. Faciebant id autē maximè solennioribus festorum dierum temporibus, & prima, eademque vltima hebdomadis die, quam Dominicam vocamus: quibus tem poribus etiam synaxes in Ecclesiis fieri solent. Postea verò cantus tales ad contentionem quoq; instituebant: Vbinam sunt, dicentes, qui trinitatem eiusdem substantię & eiusdem honoris colunt. Hæc & alia eiusmodi verba carminibus aspergebant.

Lib. 13. cap. 8.

Arriani publicis profanisq; cantionibus in Trinitatis odiū concinnatis Rempu. Constantinopolitanam perturbant.

Sed etiam Ioannes ne aliqui ex Ecclesia sua eius generis cātibus demulsi, ab illis seduceretur, ad eundem modum contra illos psalmodiam instituit. Et breui ea celebrior, quàm aduersariorum esset, facta est; vt quæ & multitudine & honorifico progressu illos superaret. Nam eam cruces argenteæ cereos argenteos habentes præibant, Eudoxia Imperatoris coniuge impensas ad eam rem præbente, quæ hoc Brisoni cubiculi sui præfecto iniunxit,

Chrysostomus contra Arrianos hymnos scribit & instituit.

vt hymnorũ cantus procuraret, & ad eum vsum quàm plurimum lucernarum pararet. Quare ad æmulationis ardorem perciti ad vindictam se contulerunt, & manus cum nostris conserere sunt aggressi. Adhuc enim ex ea, quam antè habuerãt, potentia & dominatione, animis flagrabant, & ad pugnam committendam parati erant, nostrosq; adeò despiciebant.

Arriani hymnorum causa cum orthodoxis congrediuntur, pluresque vtrinque cadunt & vulnerantur.

ITAQVE nocte quadam inter se congressi non pauci vtrinq; ceciderunt, & Brison Imperatricis cubicullariorum Eunuchorum princeps in fronte lapide ictus est. Hac verò de causa commotus Imperator tales Arrianorum processiones sustulit. Catholica autem Ecclesia principio eiusmodi psalmodiæ hymnorumque canendorum inde sumpto, ad hunc vsq; diem consuetudinem eam retinet, & sacris cantilenis operatur. Hæc Nicephorus, quibus ea subiũgit, quæ de D. Ignatio paulò antè retulimus. Eadem penè ad verbum habet Socrates lib. 6. ca. 8. Adiungerem his Ambrosium, Lactantium, Gregorium Nazianzenum, Augustinum, Rabanum, Bedam, & alios præterea ex veteribus, qui de Ecclesiastici cantus vsu & vetustate scripserunt complures; verùm quia ex scripturis cæterisq;, quæ hactenus exposita sunt, res est manifesta, déq; primo Antagonistarum argumento disputatum est satis, supersedeo.

Qua occasione hymni in Constãtinopolitana Ecclesia recepti & conseruati.

QVOD verò non idem vbique psallendi, aut celebrandi, aut precandi ritus obtineat (Hoc enim est, quod secundo loco cauillabantur Antagonistæ) illud non est tanti momenti, vt propterea horas Canonicas ab Ecclesia proscribere oporteat: Siquidem disparitas illa neque aduersatur iustitiæ, neq; fidei, neque religioni, neque ipsius quoq; rei naturæ. Non est contra iustitiam nam etsi illi, qui ex decimis, populíque oblationibus vitam tolerant, iure diuino & naturali pro communi populi salute orare obligentur; attamen quid, quantũ, quando, vbi, quomodo, &c. id neq; diuino, neq; naturali iure determinatum est: Sed ea determinatio Ecclesiæ, prælatorumque eiusdem prudentiæ integrè relicta est. Quare si bona fide id præstant Ecclesiæ ministri, quod Ecclesia, in qua DEO deseruiunt, exigit, suo muneri faciunt satis.

Ministri Ecclesiæ muneri suo faciunt satis, si id præstant, quod imponit vel ordinat Ecclesia, in qua deseruiunt. Diuersitas rituũ & cæremoniarũ diuersarũ Ecclesiarum, index est diuersorum do-

NEQVE est rursum contra fidem aut religionem, quia varietas illa non est index diuersæ religionis, aut disparis fidei, sed diuersorum donorum, charismatum, ac gratiarum, quæ in Ecclesia comperiuntur; habetque suas illa peculiares rationes, maximè quod

quod ad diuersos vnius eiusdemque Ecclesiæ ritus & consuetudines attinet; siquidem diuersa tempora diuersas exigunt preces, diuersosque ritus & cæremonias. Neq; enim eadem conueniunt tempore læto & mœsto, die festo & profesto, feriis quadragesimalibus & paschalibus.

norum & charismatum, non diuerse fidei aut religionis.

Neque est tandem contra rei naturam; quandoquidem cuiusque rei natura & vsus spectandus est ex loco, tempore, personis, aliisque eiusmodi. Vbi ergo hæc variant, & rei quoque status & vsus mutetur oportet. Quamobrem vt in politicis non iidem vbique sunt mores, viuendiue ritus, neque idem semper corporis cultus &c. nec esse quoque commodè possunt, & tamen hæc disparitas nullam omnino in rebuspublicis vel regnis conciliat deformitatem, sed magnum potiùs decorem & venustatem; ita nõnulla rituum & cæremoniarum disimilitudo, quæ vel in vna Ecclesia diuersis temporibus, vel in diuersis Ecclesiis eodem tempore inuenitur, nullam prorsus monstrositatis speciem præ se fert, sed magnam potiùs pulchritudinem & elegantiam.

Disparitas rituũ & cæremoniarũ pro locorum & temporũ diuersitate venustatẽ parit in Ecclesia veriùs, quã deformitatem.

Dixerim nonnullam rituum disimilitudinem nullam parere deformitatem: Nam etsi diuersæ vel eædem etiam Ecclesiæ in accidentariis, minusque principalibus partibus nonnihil inter se discrepant; in primariis tamen & quasi formalibus oppidò inter se conspirant? Constat enim, nullam esse, quæ horis Canonicis non adhibeat psalmos, hymnos, lectiones, preces, versiculos, antiphonas, aliáque eiusmodi: Verùm pro locorum ratione aliæ plures, aliæ pauciores; & eædem pro temporum qualitate modò plures modò pauciores adhibent. Sed & omnes, quæ sub eodem Metropolitano degunt, iisdem ferè psallendi & celebrandi legibus & ritibus vtuntur. Loquimur hic de Ecclesiis cathedralibus & collegiatis, non de conuentualibus. Nam vt religiosi ab aliis Clericis secularibus, differunt instituto; ita quoque psallendi, diuinaque officia obeundi modo. Qui tamen modus vt licitus, legitimusque sit, ab Episcopo vel Pontifice Maximo approbatus sit oportet.

Omnes Ecclesiæ in primariis ritibus & cæremoniis cõueniunt, maximè verò, q̃ sub eadem metropolitana cõtinentur.

Optarent quidam, vt omnes omnino Ecclesiæ vsui & ritui Ecclesiæ Romanæ, quæ Ecclesiarum omnium mater & magistra est, sese accommodarent: Verùm quia iam olim oppositum multis locis receptum est; & quia rursum omnis omnino mutatio in re-

Ecclesia Romana Ecclesiarum omnium magistra.

in rebus præsertim magnis, & propter diuturnum vsum in naturam quodammodo versis solet esse periculosa, videtur id potiùs optandum, quàm tentandum. Quò tamen vnaquælibet Ecclesia ad Ecclesiæ Romanæ ritus accesserit propius, eò erit grauior & ab omni reprehensione, quod ad eam rem attinet, remotior.

Membrum suo corpori nō conformatum deforme.

Qvi priuatim horas Canonicas recitant, faciliori negotio, à suæ Ecclesię consuetudine & more ad Romanæ Ecclesię morem & consuetudinem transire possent; sed neque hoc quoque absque ratione, suique ordinarij permissione satis consultum videtur. Est enim membrum omne suo corpori non conformatum deforme: Cui malo hoc quoq; accedit, quòd illi, qui priuatim recitant vnum & alterum, publicè facilimè confusionis cuiuspiam occasionem offerant. De vigiliis mortuorum, de officio Virginis matris, de litaniis, de psalmis gradualibus vnusquilibet, qui errare vel peccare non vult, id hîc seruet, quod Pivs V. Pontifex Maximus ea de re statuit.

Qui priuatim horas Canonicas recitant, neque nimiùm anticipēt, neq; nimis rursum prorogent.

Ad temporis conformationem quod spectat, qui precum horariarum pensum publicè persoluūt, tempori ab Ecclesia diœcesana vel metropolitana præfinito, quoad eius fieri potest, sese accommodent. Quod si ob certam aliquam causam id nō valent, saltem certum orandi tempus obseruare studeant. Nam alioqui plebem, quam ędificare debent, grauiter offenderent, & in legem nihilominus committerent. Qui autem priuatim horas Canonicas recitant, illi quacunque tandem hora recitauerint, neminem quidem offendunt, at culpa tamen non prorsus vacant, si citra vllam causam vel nimium prorogant, vel nimiùm quoque anticipant. Satius est tamen anticipare, quàm nimiùm differre. Vnde qui grauioribus negotiis distinentur cōsultè faciunt, si manè antequam opus aliud adoriantur, id totum absoluant, quod vespe-

De Miss. cel. c. presbyt.

ras vel Completorium antecedit.

Missam citra grauem causam ante dictas matutinas celebrare non licet.

Qvae autem horæ ante priuatam Missam recitari debeant, disputant nonnulli. Quidam priùs sacris operari, quàm dicta sit prima, illicitum iudicant: Alij preces matutinas vnà cum laudibus absolutas esse, sat esse existimant. Nonnulli denique neutrum horum necessarium putant; sed dubito an satis sanè: Nam etsi priuatæ Missæ cum horis Canonicis necessariam connexionem non habeant, neque vllum fortasis Ecclesiæ decretum ex-

tet,

tet, quod, ne quis ante dictas matutinas celebret, iubeat; attamen perpetua Ecclesiæ consuetudo contrarium docet & obseruat. Nihilominus si qua necessitas incumberet, aut euidens vtilitas id postularet, non esset cum noxa coniunctum, ante dictas matutinas sacris operari.

SIC quoque si quis ea tenetur infirmitate, vt matutinas vel alias horas sine magna difficultate dicere non valeat, Missam autem citra magnam molestiam celebrare queat, poterit is, horis Canonicis prætermissis, Missam celebrare. Porrò Missæ solennes non solent dici ante tertiam vel sextam; imò verò quadragesimalium ieiuniorum tempore vsq; ad nonam, hoc est, vsq; ad tertiam horam post meridiem olim prorogabantur. De loco, eiusdemq; discrimine nulla est difficultas. Qui enim priuatim dicunt, quolibet loco dicere possunt, qui autem publicè, loca peculiariter ad id deputata obseruare debent.

Ieiuniorũ tempore Missę olim aliquot horas post meridiem celebrabantur.

TANDEM cùm quædam publicis precibus admisceri cauillantur, quæ secularem leuitatem sapiant veriùs, quàm Ecclesiasticam grauitatem, quorsum tendant non assequor. Nam instrumenta musica, varius ministrorum ornatus, thymiasis, multaque id genus alia, præter vsum vetustissimum, valida quoq; ex Scripturis & in scripturis firmamenta habent. Fatemur tamen, in iis omnibus abusum aliquem nonnunquam contingere posse. Verùm propter nonnullum abusum bonarum rerum vsus è medio tolli non debet. At de horis Canonicis, cæterisque, quæ ad orationis rationem secundùm se spectant, dicta sunt multa satis. Restat, vt explicemus, cuius sit orare; tum cuius rursum gratia vel opera imploranda veniat, siue ad quem oratio dirigi debeat: postremò pro quibus personis vel rebus orare conueniat vel etiam oporteat.

Legitimus vsus propter abusum non tollendus.

De iis, quibus orare conuenit, vel non conuenit.

CAPVT DECIMVM.

ETSI oratio non solùm hominibus & Angelis, sed tropo quodam diuinis quoque personis tributa interdum comperiatur (dicitur namque Spiritus sanctus inenarrabilibus gemitibus pro nobis interpellare)

Roman. 8.

In diuinas personas non cõuenit oratio.

lare) in nullam tamen secundùm se absolutè acceptam orare cõuenit; Siquidem propriè rationis oratio ponit indigentiam, naturæque & potestatis disparitatem, & certam nihilominus virium dimensionem. In diuinis autem nulla est substantiæ, aut potestatis, aut maiestatis diuersitas, nulla cuiuscunq; rei egestas, nulla virium dimẽsio: Vt enim tres diuinæ personæ vnius sunt essentiæ; ita vnius quoq; sunt potentiæ, opulentiæ, & omnipotentię. Quare imaginaria quadam ratione posito, vni ex tribus aliquid deesse, hoc indigens frustra ab altera quacunq; peteret: Quippe cùm totum id desit vni, quod deest alteri, & id totum rursum adsit vni, quod adest alteri.

Plures causæ cur in diuinas personas oratio non conueniat.

CVM ergo nemo id ab altero petere aut quærere soleat, quo ipse abundat, vnaquæque autem hypostasis id totum integrè habeat, quod simul omnes: Rursum cùm omnis omnino oratio aliquam inopiam & potentiæ disparitatem necessariò ponat (petit namq; inferior aut miserior à superiori vel opulentiori, quod sibi deest) singulæ autem diuinæ personæ sint opulentissimæ & inter se æqualissimæ: Tandem cùm trium diuinarum hypostasẽon vna sit voluntas, vna potentia, vna scientia, adeoque quicquid vult, scit, vel potest vna, hoc ipsum quoque velit, sciat, & possit alia, (opera enim Trinitatis ad extra sunt indiuisa) fit vt oratio, quæ est actus latriæ, quæ ipsa etiam inter pares & omnipotentes locum non habet, in diuinas personas nullo modo conueniat.

Quo sensu auctoritas ponatur in Patre.

PONITVR sanè à quibusdam in Patre auctoritas; ast illa nullam dicit præeminentiam, aut disparitatem, sed solùm originis ordinẽ; quicquid enim habet Pater, hoc totũ habet Filius & Spiritus sanctus: Nihilominus hoc ipsum quod habet Filius, hoc à se nõ habet, accepit autem à Patre; et quidquid habet Spiritus sanctus, hoc totũ accepit & accipit à Patre & Filio. Quapropter cùm Spiritus sanctus gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellare, aduocare, vel preces offerre, vel aliquid aliud eiusmodi nostri causa præstare asseritur, hoc totum accipiendum est causaliter, nullo modo formaliter. Ipse enim suo aduentu efficit, vt homo de peccatis & miseriis suis gemat, & diuinam opem ardenter imploret, vt ad cœlestia intimè adspiret. Paucis eo sensu Spiritus sanctus dicitur gemere vel interpellare, quo frigus pigrum vel ignauum, ager vel dies lætus, cibus vel locus salubris. Tribuuntur autem

Quo sensu vel modo Spiritus sanctus pro nobis orare vel interpellare dicatur.

tem Spiritui sancto familiariùs deprecatio, gemitus, interpellatio, aduocatio, aliaque similia, quàm Patri aut Filio, quia ipsi appropriatur bonitas vel benignitas; eius autem proprium est, supplicum preces susciperе, & promouere. Constat hinc ergo, orationem neq; in Spiritum sanctum, neque in vllam aliam personam diuinam absolutè conuenire.

Cur spiritui sancto potiùs tribuatur deprecatio, vel intercessio, quàm aliis personis.

SED dicis; CHRISTVS est persona diuina, vt qui verus naturalisque æterni Patris Filius existat: Hic autem inter homines adhuc agens integras noctes in oratione transigebat, & hoc ipso quoque tempore ab oratione non cessat, vt qui fidum semper patronum & aduocatum apud DEVM pro nobis agat. Non est ergo vniuersè verum, orandi officium in diuinam hypostasin nō conuenire. Totum quod de incarnati verbi oratione hîc dicitur, verum est; At totum illi, quod capitis huius initio assertum est, nihil omnino aduersum est. Diximus enim, orationem diuinæ personæ secundùm se absolutè non conuenire, quod rectè dictum est: At verò vt CHRISTVS Dominus non solùm DEVS, sed simul quoq; homo est; ita illius hypostasis nō solùm diuinę, sed humanę quoq; naturæ hypostasis est; vt quæ humanam naturam ęquè verè & propriè sustentet & terminet, atq; hypostasis Petri vel Pauli, Petri vel Pauli naturam sustentat & terminat.

Lucæ 6.

1. Ioan. 2.

Christo conuenit oratio secūdùm naturā assumptam.

QVAMVIS ergo orare verè & propriè in CHRISTVM quadret, vereq; & propriè orauerit frequenter, hoc tamen in illū non conueniebat secundùm naturam diuinam, hoc est, vt diuinæ tantùm naturę hypostasis erat, sed secundùm naturam assumptā, siue vt hypostasis illius humanam naturam sustentans erat, secundùm quam vtiq; & Patre & seipso quoq; minor erat, & indigens erat, & omnipotens nō erat; adeoq; qui oraret, modis omnibus idoneus erat. Sed & multas quoq; cur oraret, & crebrò oraret, iustas causas habebat: Inuitabat enim huc orationis meritū; inuitabat virtutis exemplum; inuitabat veritatis assumptæ naturæ argumentum; inuitabat tandem suscepti muneris officium.

Multæ erant Christo causæ, cur frequenter & ardenter oraret.

INVITABAT meritum, quia CHRISTVS Dominus sua oratione & obsecratione ea nobis promeritus est, quę nostris nos viribus promereri nullo modo valebamus. Nisi enim is partes suas interposuisset, indigni planè eramus, qui in Dei conspectum prodiremus, nedum qui votorum compotes efficeremur. Etenim vt

Per Christū patefactus est nobis aditus ad Patrem.

non sui, sed nostri causa patiebatur & moriebatur; ita quoq; non sui, sed nostri causa precabatur. Hactenus tamen ad se quoq; hæc pertinebant, quatenus resurrectionis gloriam nominisq; claritatem per ea consequi debebat.

Christus datus nobis in Redemptorem, Ducem & Pastorem.

Ioan. 13.

Matth. 11.

INVITABAT rursum virtutis exemplum: Quandoquidem CHRISTVS Dominus non solùm datus est nobis in Redemptorem & Legislatorem, verùm etiam in morum, hoc est, vitæ disciplinæque magistrum & ducem: *Exemplum*, ait, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Et alio loco: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et cõmuniter dici solet, totam CHRISTI vitam, nostram esse instructionem. Quô Ambros. alludens de

Ad Psa. 118.

CHRISTI oratione ita scribit: Pernoctabat Dominus IESVS in oratione, non indigens petitionis auxilio, sed statuens nobis imitationis exemplum. Nam si ille orabat, qui nullius rei egebat; vt qui de sua beatitudine certus iam esset, imò verò secundùm potiorem sui partem re ipsa beatus iam erat; quantò magis iis orandum est, qui multis indigent, quotidieque cum carne, mundo, & diabolo incerto Marte dimicant?

INVITABAT nihilosecius assumptæ naturæ veritas, quandoquidem si nihil orasset, si nihil à DEO petiuisset, non leuem malè affectis suspicionem obtulisset, se neq; hominem esse, neq; verè à

Cap. 11.

DEO missum esse. Quare apud Ioannem ita orat: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi vt credant, quia tu misisti me.* Inuitabat tandem suscepti muneris ratio: Siquidem Sacerdotis & Pontificis munere fungebatur; Pôtificum autem & Sacerdotum est, mediatores & intercessores esse inter DEVM & hominem. Quapropter vt ad illũ pertinebat, pro peccatis populi sacrificare; ita quoq; preces offerre. Atque huc spectat illud Apostoli:

Christus sacerdotis & pontificis munus sustinebat & exercebat.

Hebr. 5.

OMNIS Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEVM, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Neq; quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron. Sic & CHRISTVS non clarificauit semetipsum, vt Pontifex fieret; sed qui locutus

Psal. 2.

est ad eum: Filius meus es tu, &c. Et subdit: *Qui in diebus carnis suæ preces,*

Hebr. 5.

supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Hæc Paulus ad rem, de qua hîc agimus, admodum appositè.

CAETE-

CAETERVM quòd asserit hoc loco Apostolus, Pontificē nostrum pro sua reuerentia auditum esse, & CHRISTVS ipse, se semper à Patre audiri, hoc non de omnibus promiscuè accipiendū est, sed de iis præcipuè, quæ absoluta voluntate petebat. Constat eñ, pro calicis translatione Patrem ter rogasse, neq; tamen, quod tertio rogauerat; impetrasse. Sic quoq; deuotas preces pro illis fudit, qui illum crucifigebāt, quiq; per Apostolorum prædicationē in illum crediturі erant, & tamen non omnes sunt conuersi, aut post conuersionem salute potiti. Sic tandem feruenti oratione petebat, vt discipuli illius seruarentur à malo, & tamen non omnes seruati sunt, neq; à malo pœnæ, neq; à malo quoq; culpæ; quia in his omnibus expressa vel tacita conditio latebat. Quod si absolutè rogasset, certò vtiq; pro omnibus exauditus fuisset.

Ioan. 11.

Christus Dominus in iis omnibus exauditus, quę absolutè petebat. Luc. 23. Ioan. 17. Ioan. 17.

PORRO autem quomodo, quibúsue gestibus, vel sermonibus CHRISTVS Dominus iam nunc oret in cœlo, id certò nobis nō constat. Quidam tam non ipsum, quàm ipsius merita (vt quæ in perpetua, recentiq; semper DEI memoria & acceptatione sint) orantis munus obire dicūt. Alij sola humanitatis, eorumq; quę in illa pertulit, ostensione orare asserūt. Nam vt pauperum in publicis viis expositorum plagæ, nuditas, miseriæ &c. ipsis tacentibus interpretatiuè orant; ita, vt illis placet, CHRISTI humanitas propter nos atrociter vulnerata, dirisq; modis tractata & excarnificata continuò causam nostram apud DEVM agit. Nonnulli vera postulatione, etsi non seruili, vel tali, quali vtebatur dum agebat in carne mortali, Patrem adire contendunt.

Quo modo vel ritu Christus in cœlo nunc oret incertum.

HAEC postrema sententia, quod spectat ad diuersum precādi modum, cum Apostoli doctrina omnino cōgruit: Siquidem dum in diebus carnis suæ preces & supplicationes obtulisse asserit, satis ostendit nunc cùm dexterâ Patri assidet, omnemq; in cœlo & in terra potestatē obtinet, vel simpliciter nō orare, vel certè eo modo nō orare, quo orabat olim, dum adhuc versabatur in corruptibili carne. Attamē quia secūdùm naturā assumptam & Deo, & seipso quoq; infinitis partibus minor est, eritq; semper, non pugnat cum illius statu, etiā suppliciter pro nobis orare, pro se enim non orat; quippe cùm nihil illi desit ampliùs, quod per orationē impetrare debeat. Quamuis ergo diuinę hypostasi orare per se non cōuenit, conuenit hoc illi tamen, vt humanam naturam sustentat.

Christus non eo modo nūc orat, quo orabat cùm in terris adhuc degeret.

AT verò vt orare in DEVM non conuenit, propter ſummam illius perfectionem; ita in bruta animantia non conuenit propter naturalem eorundem imperfectionem: Siquidem oratio, vt ſuprà explicatum eſt, eſt actus rationis, vtpotè mentis ad DEVM aſcenſus; bruta autē ratione deſtituuntur, neq; DEVM cognoſcere poſſunt, vt qui ſub ſenſum, quo illa ſolo vtuntur, nō cadat, neq; beatitudinis, ad quam omnia, quę ritè petuntur, proximè vel mediatè referuntur, ſunt capacia, neq; vlla tandem libertate, quæ ad orationem eſt neceſſaria, potiuntur. Dicuntur ſanè coruorum pulli DEVM inuocare, nō quòd quicquam omnino illis cum vera oratione ſit commune, ſed quòd ſuaui diuinæ prouidētiæ diſpoſitione id conſequantur, in quod naturali deſiderio feruntur. DEVS enim liberaliter pro ſua clementia paſcit omnia.

Bruta animantia neque Deum inuocant, neque eundem per naturæ conditionem inuocare valent.

Pſal. 146.

ET quemadmodum brutis, cæterisque ratione deſtitutis propter cauſas iam aſsignatas orare non conuenit; ita pro ipſis, vt bruta animantia ſunt, orare temerarium fuerit. Oratur ſanè nonnunquam etiam pro brutis, ne videlicet peſte lædantur, aut alia clade vel miſeria opprimantur, vel extinguātur; ſicut oratur quoque pro terræ frugibus, cæterisque in hominum vſum venientibus. At iſtud non propter ipſa bruta, ſed propter hominem, qui in illis læditur, vel damnum patitur. Cùm ergo brutis, cæterisque inferioribus propter naturales illorum defectus & imperfectiones, ex quibus nonnullas iam retulimus, orare non conueniat; DEO autem hoc ipſum propter eminentiſsimam eiuſdem perfectionem repugnet, conſequens ſit, vt orare in ſolos homines & Angelos, qui inter duo illa extrema medium quodammodo obtinent, propriè congruat.

Quo ſenſu oretur pro brutis animalibus vel terræ frugibus.

SED neq; omnibus quoq; Angelis & hominibus orare propriè conuenit. Certum eſt enim, Angelis apoſtatis vel non conuenire, vel certè non ſatis propriè conuenire: Siquidem propriæ rationis oratio depoſcit pium mētis ad Deum affectum; in dęmonibus aūt nulla eſt ſanctitas, nulla pia in Deum affectio. Eſt eñ illorum volūtas in Dei odio obſtirmatiſsima. Adhęc ſi dęmones verè & ꝓpriè orarent, aut ꝓ ſe orarent, aut pro aliis: Non orant aūt pro ſe; compertum eñ habent, bonum, quod amiſerunt, ſe nulla orationis vi recuperare; malū verò, in quod incurrūt, ſe nullo vnq̄ tempore expugnare poſſe. Intelligunt nihiloſeciùs, tantā eſſe animi ſui malitiā & obſti-

Etſi dæmones aliquid à Deo interdum petant, non tamē illum propriè inuocāt aut adorant.

& obstinationem, vt voluntatem ad bonum aliquod & salutare consilium inflectere non valeant. Neque ignorant tandem, veræ rationis orationem earum rerum petitione præcipuè constare, quæ saluti deseruiunt, se autem ad salutis portum nunquam peruenturos. Cùm ergo hæc omnia exploratè sciant, nolunt orando operam perdere.

Dæmones neque pro se, neq; pro aliis orant.

NEQVE pro aliis rursum orant, quia cùm summè sint inuidi, neminem salute potiri desiderant; quin potiùs vnicũ hoc studium habent, vt omnes à DEO auertant, vnáque secum ad æternum exilium pertrahant. Denique verè orantis est, humiliter sese DEO subdere, votorumque expletionem submisè & patienter ab eodem expectare: Dæmones autem, quòd sint superbissimi, nullo modo DEO se subdere in animum inducunt. Petiuerunt sanè potestatem in Iob, & in omnes liberos & facultates illius; tum in Gerasenorum quoque porcos, votíque compotes euaserunt: verùm petitio illa non fuit vera oratio, vt quæ ad proximi exitium & detrimentum ex instituto referretur. Velle autem proximum sine vlla iusta causa lædere, res adeò decens aut æqua non est, vt sua quoque natura sit turpissima & ab omni æquitate alienissima. Indulsit nihilominus DEVS prauæ illorum voluntati, non quòd ea indulgentia Diabolo vellet gratificari, sed quò suam potestatem, Diaboli verò imbecillitatem ostenderet; tum etiam quò beati Iob virtutem & patientiam ea flagellatione orbi patefaceret, vel certè quò occultum aliquem illius næuum puniret. Nam etsi Iob iustus & simplex esset, non erat tamen absque vllo prorsus peccato, & vt ille modis omnibus insons fuerit, non erant tamen omnes insontes, quorum porci magno numero in mari perierunt. Patet ergo, orationem in Dæmones non conuenire, vel non propriè conuenire.

Iob 1. Matth. 8. Lucæ 8. Marc. 5.

Cur Dominus Diabolo indulserit potestatem in Iob, & in quosdam alios.

Cur dæmõ quosdam inciret ad frequentem orationem.

INCITANT illi ad orandum quosdam nonnunquam, non quòd ex oratione, aut vllo alio bono opere oblectationem aliquam capiant, sed quòd oratione intempestiua, vel nimis assidua, vel contra superioris mandatum deprompta oranti perniciem moliantur. Et quod hîc de dæmonibus, eorundemque oratione dictum est, hoc ipsum de cæteris omnibus damnatis dictum accipiatur: Est enim par vtrobique ratio, par malitia, par obstinatio. Quod ad vtrorumque autem studia spectat, differunt hoc solùm

quòd dæmonibus permissum est extra infernum circumuolitare, etsi forsan non omnibus, hominesque ad peccati cœnum allectare, hoc autem humanis spiritibus æterno supplicio mancipatis ordinariè non conceditur. Verùm quod attinet ad mentis obstinationem, animi à DEO auersionem, superbiam, desperationem, cæteráque incommoda, quæ damnatos vrgent, nullum inter hos & illos discrimen intercedit; Solùm miseriarum gradibus inter se discrepant. Vt ergo dæmones neque pro se, neque pro aliis orant; ita neque cæteri quoque perpetuis inferorum cruciatibus addicti.

Par ferè ratio in omnibus dæmonum & damnatorum.

DE illis autem, qui in purgatorio detinentur, non idem omnium est iudicium. Quidam quòd certam præfinitamque pœnam taxatam habeant, nihilque ampliùs mereri valeant, neque pro se neque pro aliis precari contendunt. Alij contrà & pro se & pro aliis interpellare asserunt. Multi pro se tantùm, non etiam pro aliis orare defendunt, quorum sententia est receptior. Prosse orare extra controuersiam est: Nam cùm diuinæ misericordiæ capaces existant (aliâs enim Ecclesia Catholica frustra pro illis oraret) Deumque ardenter super omnia diligant (sunt enim in gratia confirmati) ac propter salutis beneficium iugem gratiarum actionem omni iure DEO Conditori debeant, nullum est dubium, quin magno desiderio ad fontem illum viuum anhelent, debitamq; gratiarum actionem eidem persoluant, nec non causam suam toto animo illi commendent; hęc autem omnia ad orationem pertinent.

Animę in purgatorio detentæ p se orant.

ADHAEC quicunque graui aliqua pœna exercentur, quam aliorum ope euadere queant, statim natura ipsa impellente ad illorum benignitatem & fidem conuertere se solent, à quibus certum præsidium sperant; at quotquot purgatoriis pœnis exercentur, DEI misericordia, piorumque opera id consequi possunt, vt ab illis vel omnino absoluantur, vel mitiùs certè torqueantur; ergo DEI clementiam & benignitatem feruenter implorant; neque ad alios quoque interna suspiria eiaculari cessant; notum est enim illud Iob: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, quod vniuersalis Ecclesia per Spiritum sanctum edocta illorum personæ accommodat, qui expiantur & detinentur in purgatorio. Denique deest illis bonum, ad quod toto pectore ad spirant,

Animę in purgatorio non solùm Dei clemẽtiam, sed aliorũ quoq; intercessionem implorant.

spirant, certóque intelligunt, per DEI misericordiam & aliorum intercessionem pertingere ad illud posse; ergo tam hac quàm illa potiri ex animo desiderant, hoc autem aliud nihil est, quàm preces ad alios transmittere, aut aliorum opem tacitè implorare.

Preces eorũ, qui detinentẽ in purgatorio, neq; meritoriæ, neque propriè quoq; satisfactoriæ sunt.

VERVMENIMVERO licet purgatoriis cruciatibus mancipati mentales preces fundant; illorum tamen oratio non est meritoria, neque propriè quoque satisfactoria; Sunt enim extra viam etsi id citra terminum. Sed neque plenè quoque & propriè spiritalis suauitatis sensum generat; siquidem propter ingentem pœnarum acerbitatem gustus ille & spiritalis suauitas non ita hauritur in purgatorio, vt solet in cœlo, vel in huius etiam vitæ stadio. Est autem propriè impetratoria, hoc est, quæ impetret idonea; nam & gratia est informata, & ab amico pectore profecta, & ad eum directa, cuius clementia modum omnem transcendit. Atq; hoc sat est, vt pro se saltem orent.

Sãcti cœlesti gloria iã potiti, & pro se & pro aliis quoque orant.

IAM si illi orant, quos purgatoriæ pœnæ etiamnum exercent, multò magis orabunt, qui iam olim cum CHRISTO in cœlesti gloria triumphant; quippe quibus ea omnia suppetant, quæ illis, qui detinentur in purgatorio, & aliquid eo etiam amplius. Nam & mente & ratione præditi sunt perinde atque illi; & iusti rursum, charitatéque ornati æquè ac illi; neque id totum adhuc consecuti sunt, cuius capaces sunt, & quo olim certò potituri sunt; & virtute tandem infinita præditi non sunt, ita vt id totum statim, quod cupiunt, ex se habere valeant. Hæc autem omnia planè demonstrant & pro se & pro aliis quoque orare. Atq; hoc Spiritus sancti oracula, pluraq; Catholicæ Ecclesiæ decreta non vno loco affirmant.

AT obiiciet hîc fortè quispiam: Sancti in patria CHRISTO, quatenus per naturam vel gratiã licet, sese conformant: at is neq; pro se orat, cùm bonis omnibus affluat, neq; quicquam omnino ampliùs desideret; neque pro aliis rursum; alioqui, CHRISTE fili DEI viui ora pro nobis, dicere fas esset, at id vsus non habet. Ad hæc Diui omnes probè compertum habent, quid DEVS his vel illis impertiri velit, vel non velit; cùm ergo frustraneam operam sumere non velint, pro iis, quos DEVM abiecisse vident, non orant; neque pro illis rursum, quorum illum misereri certò decreuisse intelligunt. Denique aliquid oratione impetrare

ad

ad meritum pertinere videtur; Sancti autem nihil quicquam amplius merentur, cùm sint in termino. Quod si præteritorum meritorum ratione impetrare dixeris, consequens mox fiet, eos faciliùs impetraturos, qui maiorum apud DEVM meritorum extiterint, adeóque quò quisque haberetur maior, eò familiariùs illius patrocinium imploraretur, efficaciusque patrocinaretur, quod tamen communiter fieri non videmus.

VERVM hæc omnia maiori ex parte iam antè sunt soluta: Ostensum est enim, CHRISTVM frequenter pro nobis orasse, & etiamnum orare, etsi non eo modo, quo olim, dum inter homines adhuc versabatur. Sed neque Sancti quoque eo modo nunc orant, quo dum in viuis adhuc agebant, quãuis de eo modo certò nobis non constet. Quòd autem non dicimus: CHRISTE fili DEI ora, vel intercede pro nobis, sicut dicimus: Petre vel Paule ora, vel intercede pro nobis, non vna est causa. Primò licet CHRISTVS verus sit homo, fratribus suis per omnia assimilatus, excepto peccato, est nihilominus verus quoque DEVS, Patri & Spiritui sancto in nullo dissimilis; DEI autem non est rogare aut petere, sed petita concedere; etsi interim secundùm formam assumptam rogare vel petere ipsi non repugnet. Quamobrem Ecclesia Catholica eos æmulata, qui CHRISTVM inuocarunt, quando etiam nunc in mortali carne versabatur, nunquam orat: CHRISTE intercede, vel ora pro nobis; sed semper, CHRISTE adiuua nos; IESV fili Dauid miserere nostri; CHRISTE præceptor vel Domine salua nos. Mox CHRISTO post resurrectionem etiam secundùm naturam assumptam, data est omnis potestas in cœlo & in terra; in summam autem potestatem magis conuenit mandare, disponere, & ordinare, quàm seruiliter orare, alteriúsue opem implorare. Postremò Ecclesia ab eo orandi modo studio abstinet, ne Arrianis, Nestorianis, cæterisque CHRISTI diuinitatem inficiantibus fauere videatur.

Cur Christum more aliorũ sanctorum non inuocemus plures graues causæ.

Matth. 15.
Marc. 9.
Matt. 9. 15.
Marc. 10.
Luc. 8.
Matth. vlt.

SED & secundum quoque iam dudum antè dilutum est: dictum est enim, DEI voluntatem ita in hunc vel illum finem ferri, vt media tamen, quæ ad eiusmodi finem obtinendum opportuna vel necessaria iudicat, neutiquã negligat, aut negligi sinat. Quamuis ergo Sancti intelligant, DEVM hunc vel illum ad hoc vel illud bonum promouere certò statuisse (quod tamen certum non est; neque

Deus communiter non vult finẽ citra ordinaria media, quæ pinde boni omnes adhibere cõtendunt.

neque enim ad illorum beatitudinem pertinet, quid de hoc vel illo ab æterno decretum sit, exploratum habere, simul tamen intelligunt, non sine mediis hoc decreuisse. Cùm ergo inter ordinaria media primas facilè obtineant preces, diuinæ voluntati & ordinationi sese conformantes studiosè illas adhibent. Quod de ordinariis mediis hîc dicitur, eiusmodi exemplo declaro; DEVS Abrahę promiserat fore, vt semẽ illius multiplicaretur in immensum. Post hanc autem promissionem Isaaco legitimo illius hæredi & successori obtigit vxor sterilis; cuius sterilitatem, vt scripturæ testantur, Isaac suis precibus sanauit, quæ proinde cœlestis benedictionis, promissęque multiplicationis fuerunt medium, & illud quidem adeò necessarium, vt sine illo promissio facta euentum sortitura nunquam fuerit.

AD tertium respondetur, Sanctos in Patria nihil ampliùs mereri; verùm meritorum vi, quæ in vita collegerant, ea impetrare, quæ diuinæ voluntati consentanea petunt, aut quæ DEVS per illorum preces efficere iam inde ab æterno constitutum habebat. Neque hinc tamen sequitur, sanctiorum vel celebriorum patrocinia præ cæteris semper imploranda. Nam vt in terris non plus semper possunt in gratuitis, qui maiorum sunt meritorum, maiorisue sanctitatis, ita neque in cœlo quoque. Singuli enim in cœlo & in terra suas habent gratias, suáq; dona & priuilegia, prout DEO vnicuique distribuere visum fuerit; plerunque maiora eduntur miracula & maiora humano generi conferuntur beneficia per minores Sanctos: siue DEVS per hoc indicare velit, eiusmodi dona gratis data non pendere ex cuiuspiam merito, sed ex libera sua voluntate; siue Sãctos, qui alioqui obscuriores erant, hac ratione mundo illustriores reddere studeat; siue eorum fidei & deuotioni, qui magis quandoq; afficiuntur erga vnum, quàm erga alium, per hæc sese accommodare quærat. Patet ergo, beatorum spiritus non sine oratione vitam in cœlo traducere.

Cur Deus per minores minúsue illustres sanctos maiora plerunque miracula edat.

QVOD si Sancti non pro se tantùm, sed pro aliis quoq; orant, vt obiter iam indicatum est; non est putandum, Angelos omnino hîc feriari; Siquidem non minor est ratio, cur ipsi pro mortalium genere intercedant, quàm quicunque alij: Quandoquidem diuino decreto ad eorum custodiam & ministerium deputati sunt, qui olim salutis hæreditatem capturi sunt: Quo fit vt præcipua

Angeli pro humani generis salute orant, præcipuè verò pro iis, quorum curam gerunt.

quadam ratione illis incumbant ea procurare, quæ clientulorum suorum salutem promouere nata sunt: Cuiusmodi inter cætera sunt fides, spes, charitas, gratia, opera bona, aliáque id genus similia. Cùm hæc ergo illi per se largiri non queant (gratiam enim & gloriam, & quæ necessariam cum his connexionem habent, solus DEVS impertit) restat vt à DEO petant. Quod sedulò illos facere expositum habemus Danielis decimo, Matthęi decimo octauo, Psalmo nonagesimo, Tobiæ duodecimo, Apocalypsis octauo, & aliis quibusdam locis euidenter.

Luc. 15. Esai. 33.

ADHAEC, vt scripturæ disertè testantur, Angeli de mortalium bono gaudent: *Est enim gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, & de illorum ruina vicissim dolent. Ne illis ergo desit iusta lætitiæ causa, vel ne qua offeratur occasio mœstitię, hoc est, res talis, quæ sua natura mœstificandi vim habeat (siquidem nullus reipsa in illos dolor aut tristitia cadere valet) orant ne mali quippiam generi nostro eueniat, bonumq;, quod deest, maturè eidem obueniat. Cùm ergo impendens vel præsens malum per se non possint semper arcere vel impedire; neque bonum rursum desideratum conferre, reliquum est, vt ab illo semoueri vel exhiberi illud expetant, qui vnus quoduis malum amoliri & quoduis bonum impertiri potest. Denique ea omnia comperiuntur in Angelis, quæ ad proprij nominis precatorem deposci solent. Nam & mente pollent, & charitate ardent, & sua intercessione multùm apud DEVM valent, & infinita tandem potentia, ita vt quicquid velint, per se statim possint, absolutè carent. Superest ergo, vt quæ per se nequeunt, ea à DEO quærant, hoc autem est precatorem agere.

Quicquid ad precatoris rationē deposcitur, hoc totum in Angelis comperitur.

PORRO autem pro aliisne tantùm orent Angeli, an etiam pro se ipsis, ideo quidā dubitant, quia iam olim plena beatitudine potiti videntur: Neq; enim illi, vt cæteri beati, secundam stolam, hoc est, corporum suorum resurrectionem expectant, vt qui corporeæ concretionis omnino expertes viuant. Verùm si idem est orare, quod mente in DEVM ascendere, vel animi sui desiderium DEO patefacere, & Angeli mentem in DEVM semper erectā, desiderioq; habent, bonumq; quod obtigit, perpetuū esse desiderant, & quod adhuc expectāt, certò & citò obuenire exoptant, causam nullam video, cur sui quoque gratia orare negari debeat.

Angeli sui quoque causa preces offerunt.

QVOD

QVOD autem totum illud nondum obtinent, quod expectant, communis doctorum hominum sententia habet. Vix enim comperias celebrem scriptorem, qui post communem carnis resurrectionem illorum gaudiũ consummatum iri non asserat; siue quòd tunc demum omnia incarnati verbi mysteria plenè intelligent; siue quòd detrimentum, quod lucifero cum cohortibus suis ruente acceperãt, iam tum instauratum cernent: Siue etiam quòd de tot hominum salute intensum gaudium capient. Si enim gaudium est in cœlo super vno homine pœnitentiam agente, vt modò dicebamus, quanta erit lætitia & exultatio de tot millibus hominum ex mundi huius naufragio ad æternæ salutis portum adductis? Orant itaque Angeli non pro aliis tantùm, sed pro se quoque. Pro aliis, vt salui fiant: pro se, quò votorum compotes fiant, quóque DEO Opt. Max. debitum honoris cultum deferant; siquidem oratio inter latriæ actus primas facilè obtinet; & quò tandem meritas gratias pro acceptis beneficiis agant. Constat namque, gratiarum actionem inter alias etiam orationis species referri. Luc. 15.

VENIO ad viatores, in quos oratio propriè conuenit. Sunt hi autem bipartiti: alij enim sunt iusti, alij iniusti. Iustis orationis præsidio opus esse nemo sano iudicio vtens ambigit. Nam etsi stant, cadere tamẽ possunt. Quamdiu enim hîc viuitur, mens humana de bono ad malum auerti, & de malo rursum ad bonum conuerti potest: Hoc habet per gratiam; illud per naturam. Sed & semper quoque aliquid inuenit, in quo proficiat, cùm ad summum nunquam perueniat, neque in hac vita peruenire queat. Semper tandem pro quo satisfaciat; cùm in multis quotidie offendamus omnes, intráque & extrà hostem, cum quo pugnet, obuiam semper habeat: Ad hęc omnia autem obtinenda aut euadenda opus est gratia, quæ absq; orationis ope communiter non impetratur. Iusti orationis præsidio multis modis indigent.

IAM si iustis conuenit & expedit orare, multò magis id conueniet & expediet iniustis & peccatorib⁹; vt qui multò maioribus & efficacioribus præsidiis indigeant, vt salui fiant, quàm iusti. Nam cùm spiritaliter sint mortui, Diabolíq; laqueis irretiti, opus habent auxilio, quo à morte exuscitentur, déque inferni & Diaboli laqueis, aliisq; miseriis & sordibus, in quibus iacẽt, eruantur. Iniusti maiorib⁹ præsidiis indigẽt, quàm iusti, vt salui fiant, adeoq; feruentiùs & frequentiùs orare deberent quàm illi.

Quæ omnia etiam eò ardentiùs petere & vrgere debent, quò grauior & periculosior est mors peccati, quàm alia quæcunque incommoda. Iusti autem eo liberationis beneficio non egent, alioqui iusta ratione inter iustos censeri non possent.

Quo sensu Deus non exaudit peccatores.

NEC obstat his, scriptum esse, DEVM peccatores non audire; sunt enim hæc verba cæci necdum plenè satis de omnibus illuminati. Quod si cæci dictum inter Spiritus sancti oracula reponendum contendas, non de omnibus peccatoribus indiscriminatim, quod dicit, accipias; sed de insigniter obstinatis; vel de iis certè, qui ipsa oratione peccant; cuiusmodi sunt, qui illicita à DEO efflagitant. Nam etsi peccatores, qui à peccatis desistere fixum, deliberatumque habent, & aliquo iam propter admissa scelera doloris sensu tanguntur, non prorsus indigni videantur, qui diuinam clementiam implorantes exaudiantur; attamē qui ita orant, vt peccata peccatis semper agglomerent, neque vllam prorsus de emendanda vita cogitationē suscipiant, haud magna cum re Dei misericordiā implorant; notum est enim illud Prophetæ: *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiā; quia manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Esai. 1. At verò multò, qui audiantur, indigniores sunt, qui inimici mortē aut alterius vxorem, aut aliquid aliud istiusmodi à DEO poscunt.

Nemo quantūlibet in peccato obstinatus in hac vita orationis p̄sidium negligere debet.

NEQVE tamen qui vni alicui, vel pluribus quoque sceleribus obstinati adhærent, ab oratione, eleemosyna, aliisque pietatis officiis desistere debent, sed impigrè illis incūbere, si fortè DEVS illorum misereatur, potentíque gratiæ suæ manu ad se quandoq; rapiat. Etenim vt peccatores, dum vitæ spiritum trahunt, nunquam de salute desperare debent; ita nunquam ab iis operibus desistere, quæ salutem promouere nata sunt. Nam si DEVS Diabolum interdum audit in hominū perniciem, cur obstinati peccatoris cor tandem emollire non queat, si hac vel alia simili oratione infinitam illius clementiam subinde pulset: Domine IESV ne me in finem deseras. Vel; IESV fili Dauid, qui Saulum in Christianorum cædem crudeliter anhelantem admirabili virtute ad te conuertisti, ne me tandem in peccatis meis interire sinas. Verùm de iis, ad quos orare vel non orare pertinet, satis.

De iis, quorum auxilium implorare licet, vel non licet.

CAPVT VNDECIMVM.

EXPLI-

EXPLICATVM est, cuius sit orare vel non orare, proximum est, vt ecquisnam rogandus vel inuocandus sit, siue ad quemnam orationem dirigere oporteat, vel non oporteat, paucis quoque inquiramus & explanemus. Nam etsi ex iis, quæ antè, cùm de orationis quidditate ageremus, exposita sunt, id colligi vtcunque queat, attamen quòd non desint, qui DEVM rogare superuacaneum ducant, eò quòd is omnia nostra desideria & vota, commoda item & incommoda, priusquam ea proponamus, nota exploratáq; habeat, paratiorq; sit ea explere, quàm nos proponere vel explanare; vel certè quòd nostra oratione id mutare nequeamus, quod ille ab æterno decreuit: Alij rursum (quòd orare sit actus latriæ, quæ in solum DEVM quadrat) qui nullum omnino præter vnum ipsum inuocandum existimant: Alij tandem, qui vnà cum ipso vel secundùm ipsum homines quoque & Angelos auxilij vel patrocinij causa salubriter adiri affirmant, non erit abs re, maioris lucis causa nonnulla etiam de hac controuersia in medium adferre. Ordiar autē ab eo, quod apud omnes ratione vtentes cæteris est certius, nempe à DEI Opt. Max. inuocatione.

De inuocatione diuersæ opiniones, modiq; dicendi.

IGITVR quòd DEVS in omni omnino discrimine & necessitate ex intimo corde sit inuocandus, vt cætera omnia, quæ sunt penè innumera, hîc taceam, id naturæ, qua constamus, impulsus & ratio ipsa tantùm non sublata voce clamat, & publicus mortalium & gentium omnium vsus validissimè confirmat. Quis enim vnquam compertus est, qui in graui vitæ, fortunarum, aut famæ periculo, aut in alia quacunque insigni necessitate constitutus DEVM, vel id, quod pro DEO colebat, nō inuocaret? eiusq; opem ex animo nō imploraret?

Deus in omni omnino discrimine & necessitate non modò licitè sed cum merito quoque inuocatur.

AT clariùs de rei huius vsu constabit, si ea paucis in mentem reuocauerimus, quæ per fidem, quæ naturæ cognitionem multis partibus excedit, didicimus. Didicimus per hanc autem, qui DEI præcepta non seruant; qui dæmoni, carni, mundo, prauisque eorundem suggestionibus locum dant; qui omne mortiferorum peccatorum genus non vitant, illos vt eiusmodi sunt, cœlesti beatitudine potiri nequaquam posse: Mox absque peculiari DEI auxilio nihil horum omnium constanter caueri, aut fœliciter vnquam obtineri; Scriptum est enim: *Sine me nihil potestis facere.* Postre-

Matth. 19.
1. Cor. 6.

Fides Dei inuocationem necessariam docet.

Ioan. 15.

mò Deum Opt. Max. vt ſua dona, neceſſariaq; ſalutis præſidia ſubminiſtret, velle rogari: *Petite*, ait, *et accipietis: quærite et inuenietis: Pulſate, & aperietur vobis*, quaſi dicat; Si nihil petieritis, aut quæſieritis, nihil accipietis aut inuenietis: Si non pulſaueritis, nunquã intromittemini. Cùm itaq; res noſtrę ita habeãt, ſequitur, quotquot in quocunq; ſalutis periculo conſtituti perire non volunt, Dei opem implorare debere; adeoque eos omnes fœdiſsimè errare & labi, qui Deum rogare vel inuocare ſuperuacaneum aſſerunt.

Luc. 11.

Eadem lege tenemur Deũ inuocare; qua amare & venerari.

ADHAEC non minores ſunt cauſæ, cur DEVM inuocemus, quàm cur eundem amemus & veneremur: Si illum ergo amamus propter infinitam illius bonitatem, ingentiaq; beneficia, quę contulit; ſi eundem rurſum propter immenſam eiuſdem gloriam & maieſtatem colimus & veneramur, par eſt, vt eũdem quoque propter inſignem noſtrã miſeriam & inopiam, quibus ſolus ille mederi poteſt, humili ſubmiſſoq; animo inuocemus. Certum eſt enim, nullam veram vitam, nullam ſalutem, nullam veram fœlicitatem aut ſanitatem citra DEI gratiam & amicitiam ſubſiſtere poſſe. Atqui vt is ſolus gratiæ, reliquorumq; omnium ſpiritalium donorũ fons & origo eſt; ita ſolus quoq; is eſt, qui horum impedimenta, vt ſunt carnis vel mundi tentationes, dæmonis inſidiæ, aliaque eiuſmodi complura, efficaciter ſubmouere poteſt. Rogandus eſt proinde, vt hæc quidem clementer velit propulſare, illa verò liberaliter donare & conſeruare.

Quicquid probat orationẽ ad ſalutem neceſſariam, ſimul probat Deum inuocandum eſſe.

DENIQVE omnes illæ Scripturæ, rationes, & auctoritates, quæ probant, orationem ſalute potituro eſſe neceſſariam, ſimul quoq; probant, DEVM ſuo tempore ſubmiſsè rogãdum, humiliq; pectore inuocandum eſſe. Siquidem is vnus eſt, ad quem omnis omnino oratio proximè vel mediatè trãſmitti, & à quo id totum, quod nobis deeſt, impetrari debet. Rationes autem, quæ probare videbantur, ſuperuacaneum eſſe DEVM rogare, ſolutæ ſunt iam antè. Verùm ne vllus prorſus ſcrupulus reliquus hîc fiat, adhibebo ſingulis vnum adhuc aut alterum verbum.

QVOD ergo omnia noſtra vota & deſideria DEO ſint nota, id nemo negat, neq; quiſquam ſana mente vſus negare poteſt. Aſt hinc tamen nequaquam ſequitur, DEVM non eſſe rogandum vel inuocandum. Neque enim ea de cauſa deſideria noſtra DEO proponimus vel exponimus, quaſi is ea ignoret (nouimus enim

vnum

vnum illum non modò omnium etiam occultissimorum conscium, verùm omnium quoq; piorum votorum & desideriorum certissimum auctorem esse) sed quò humili, submissaq; miseriarum nostrarum confessione, planaq; & syncera earundem propositione & explicatione, facilius, quod petimus, impetremus. Quemadmodū vt cognato exemplo rem hanc nōnihil illustrem, licet confessarius quædam interdum non ignoret, quæ pœnitens designauit, attamē quò plena venia potiatur, debet ea omnia, quę contra DEVM vel proximum sciens, volensq; perpetrauit, confessario integrè, fideliterq; quatenus in mentem veniunt, proponere & exponere. Facimus id quoque, quò eius voluntati fiat satis, qui nos petere, quærere, & pulsare iussit.

Proponimus Deo desideria nostra, non quò ea cognoscat, sed quò illa propter nostram petitionem expleat.

Luc. 11.

AD alterum respondemus, vt antè responsum est; nempe nō ideo nos Deum inuocare, quò voluntatem eius flectamus, verùm quò id expleamus & impetremus, quod is per nostras preces explendum vel impetrandum constituit. Voluit enim ab æterno, vt hoc vel illud ab hoc vel illo fieret, propter hunc vel illum finē. Sed neq; absurdè quoq; asseritur, DEVM nō quidem secundùm se, sed secundùm nostrum intelligendi & explicandi modum modò in hanc, modò in illam sententiam flecti: Exempli causa, hodie velle dicitur hunc vel illum lethali crimine obstrictū ęterno supplicio mancipare, cras ipsum eundem ex animo iam conuersum sempiterna vita donare; totq; ut nos loqui consueuimus, imò verò vt Scripturæ ipsæ passim loquuntur, contingunt hîc vnius sententiæ mutationes, quot vnius eiusdemq; de hoc in illum statum oppositum transitiones. Eiusmodi autem non solùm in tota vita, sed in vno quoque die accidere possunt plurimæ.

Quo sensu Deus modò in hanc, modò in illam sententiam flecti dicatur.

ATQVE huc pertinent, quæ Scripturæ, Patres, & nonnulla quoq; Concilia de diuinæ sententiæ mutatione prædicāt. Immutabilis DEVS, ait Concilium Toletanum, idemq; semper existens, Deiq; summa natura sępe sua in sacris literis legitur promissa mutasse, & pro misericordia temperasse sententiam. Vnde licet sit impassibilis & incommutabilis, crebrò tamen eius iuramenta leguntur, & pœnitentia, quæ sacris extant mysteriis, adoperta. Iurare namq; Dei est, à seipso ordinata nullatenus conuellere: pœnitere verò, eadem ordinata, cùm voluerit, immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: *Repente loquar aduersùs gentem, & aduersùs regnum, vt eru-*

Can. 2.

22. q. 4 Immutabilis.

Cap. 18.

eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui vt facerem eis. Ad quod Prophetæ dictum Ambrosius alludens, ita scribit: Nouit DEVS mutare sententiam, si tu nueris corrigere delictum.

Lib. 2. in Luc.

Deus dupliciter aliquid vult, absolutè & conditionatè; hoc velle nõ semper impletur, illud semper.

AT quomodo, inquis, idem mutabilis & immutabilis dicitur? Iam dixi DEVM secundùm se absolutè immutabilem esse & immutabilem verè dici, respectu autem nostri mutabilem interdum vocari. Quod vt rectiùs intelligatur, aduerte DEVM bifariam aliquid velle. Vno modo absolutè; & quia hæc voluntas nullum necessarium ordinem dicit ad vllam omnino causam secundam, sed tota integrè dependet à se ipsa, fit, vt per opera nostra non mutetur, nec mutari queat. Altero modo non absolutè, sed certa quadam lege & conditione, & quia hæc voluntas respicit humanorum operum qualitatem, & aliquatenus ab iis etiam dependet, fit, vt non semper expleatur, verùm iuxta operum mutationem, sæpe in hanc vel illam partem mutetur; non quidem secundùm se, sed secundùm nos, nostrúmue intelligendi modum, qui rem metimur non secundùm se, sed secundùm statum, quem hoc vel illo temporis articulo obtinet. Ab æterno enim DEVS Paulum eo instanti, quo esset iniustus, voluit punire, pro alio rursum momento, quo esset iustus, eundem voluit coronare, eáque voluntas perstat, perstititq; semper immobilis ac indemutata.

EXEMPLO, quod hîc exponitur, ieiusmodi declaro: sit Princeps vel Rex quispiam, cui DEVS omnia & singula serui sui consilia & opera patefecerit, isque primo statim principatus sui auspicio certò apud se statuat, toties seruum illum ex aula proscribere, quoties ille contra officium fecerit, aut crimẽ aliquod proscriptione dignum admiserit; toties rursum eundem in gratiam recipere, vel in aulam reuocare, quoties vera pœnitudine ductus veniam supplex efflagitarit, hocque semel constituto certa quadam vicissitudine seruum è domo eiiciat, & eiectum rursum admittat, certum est, principis voluntatem, quod quidem ad seruum illum attinet, toto illo tempore semper fuisse similem. Nam quod nunc vult, hoc voluit antè, & quod nunc non vult, hoc nec antè quoq; voluit. Tota aũt mutatio, quæ hîc accidit, accidit circa seruum & tempus: hic cũ hoc temporis articulo probus est, & Domini sui gratia dignus; alio rursum improbus, & Domini sui gratia indignus.

SED

SED instas nihilosecius: DEVS ab æterno sciuit hoc vel illud futurum vel non futurum: Si futurum sciuit, necessum est fieri; sin autem oppositum sciuit, omnino non fiet. Ergo omnis oratio nostra est superuacanea? Hoc argumentum iam dudum antè discussum est, breuiter nunc dixerim, DEI scientiam rei naturā nihil mutare. Quamobrem quod secundùm se cōtingens est, quale est illud, quod causam proximam liberam vel cōtingentem sortitum est, hoc ęterna DEI cognitione nō obstante, manet semp contingens. Adde vt hoc vel illud sciuit futurū vel non futurum; ita quoque per & propter hoc vel illud medium futurum vel nō futurum sciuisse, puta per vel propter orationem, vel aliam quamcunque eiusmodi causam. Addo denuò, si vulgatum illud argumētum aliquid probaret, probaret quoq; nullum prorsus opus tentandum, vel negotium adoriundum esse: Siquidem de vnaquaq; re præuisum est, quid olim de ea futurum, vel non futurum est.

Dei scientia rei naturā non mutat.

QVAMVIS ergo hęc: si DEVS hoc sciuit vel ordinauit, omnino erit, & contrà, si hoc vel illud non sciuit, vel non ordinauit, omnino non erit, perinde ac illa, si Titius currit, celeriter mouetur, necessaria est necesitate consequentiæ, vel ex certa quadam hypothesi; non est tamen necessaria necesitate consequentis, vel secundùm se simpliciter: Quia hoc consequens, Mæuius saluabitur, vel non saluabitur, non est necessarium secundùm se, sed planè contingens, quia à causa contingente planè dependens. Denique licet DEVS promptior sit ad dandum, quàm homo ad accipiendum (nam hoc quoque inter argumentandū tangebatur) Oratio tamen non est superuacanea: Quia vult vt petamus, & iubet vt petamus; idq; nō solùm propter nostram vtilitatem, verùm etiam propter suam gloriam. Esset enim profusionis veriùs quàm liberalitatis illustria dona, qualia sunt omnia dona spiritalia, alicui non petenti obtrudere. In causa proinde maneat DEVM adorare, eundemq; suppliciter inuocare, neutiquam vanum aut superfluum, sed vtile, planeq; necessarium esse.

Duplex necesitas consequētis & cōsequentiæ.

Deus vt sua nobis dona impertiat rogari vult.

AT quæstionem interim nonnullam habet, sub Deitatisne vel Essentiæ nomine inuocandus sit DEVS, an verò sub personæ vel personalis cuiuspiam proprietatis ratione? Dubium est, inquam, oratióne ad DEVM, vt DEVS vel potēs vel sapiens, vel bonus est, transmitti debeat; an verò vt Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus

Oratio familiariꝰ dirigitur ad Deum vt Deus est, quàm vt Pater vel Filius, vel Spiritus sanctus est.

ctus est? disputant hac de re quidam prolixè, sed non ita magna cum re. Paucis responsio est, vtrumque citra errorem fieri posse; alterum interim, nempe prius, non modò familiariùs, sed multò quoque rectiùs & eruditiùs fieri. Neque enim alia de causa DEVM inuocamus, eiusdemque opem imploramus, quàm vt desiderium nostrum impleat, eaq; quæ petimus, clementer concedat: atq; ea impletio vel concessio non pertinet ad paternitatem secundùm se; aut filiationem secundùm se, aut processionem secundùm se, sed ad DEI sapientiam, potẽtiam, & clementiam. Etenim vt summè sapiens est, nouit quid nobis desit (penetrat enim omnes etiã intimos cordis nostri recessus) intelligit nihilominus, qua via, quáue ratione, quod deest, explere debeat. Vt autem summè potens est, totum quod petimus, summa facilitate præstare potest. Vt deniq; summè benignus & clemẽs est, haud grauatim, quod iustè petimus, impertiri solitus est. Atqui tria hæc non personarum propria, sed essentiæ sunt attributa.

Deus seipso beat & beatus est.

ADHAEC omnes nostræ petitiones, si tamen petitionis nomine indigne non sunt, proximè vel propinquè ad cœlestem beatitudinem referuntur, hoc est, omnes eò tendunt, vt tandem aliquando beati efficiamur; DEVS autem vt personalibus proprietatibus propriè non est beatus, sed seipso suáue essentia; ita iisdem quoque propriè non beat, sed seipso. Demum inuocamus DEVM, vt aliquam ad nos, cæterasque res procreatas habitudinem sortitur, puta vt conditor, vel liberator, vel iustificator, vel glorificator est; hæc autem omnia ad essentiam pertinent. Non enim creat, aut gubernat, aut conseruat, aut liberat, aut glorificat, vt Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, sed vt DEVS. Personæ enim vt tales, non referuntur ad creaturas, sed ad seipsas. Clarum est namque, Patrem per suam paternitatem non esse Patrem creaturæ, sed Filij: Neque Filium rursum creaturæ Filium, sed Patris: Neque Spiritum sanctum denique creaturæ Spiritum, sed Patris & Filij.

Cùm vna persona tecrsum ab altera inuocatur, mẽs ab orationis consortio alterã excludere on debet.

CVM itaq; res ita habeat, oratio ordinaria lege non magis dirigenda est ad vnam personam, quàm ad aliam: Siquidem nihil potest vna præstare, quod non alia; imò verò nihil potest vna præstare absq; alia, cùm opera Trinitatis ad extra sint prorsus indiuisa. Quod si voce tenus ad vnam quandoq; referatur petitio, & nõ

ad

ad aliam, mens tamen nullam omnino ab orationis consortio secludere debet. Etenim si quis inuocaret Patrem solum, vel Filium solum, vel Spiritum sanctum solum, quasi impensiùs affectus vel incensiùs raptus erga vnam diuinam hypostasim, quàm erga aliã, is aut apertè erraret, aut certè aperti erroris speciem præ se ferret: Quandoquidem intẽsior vel incensior dilectio ad vnam quàm ad aliam personam subindicaret vnam altera vel clementiorem, vel potentiorem, vel sapientiorẽ, &c. quod blasphemum est cogitare; omnes enim eandem ad numerum habent clementiam, potentiam, & sapientiam, sicut eandem quoque naturam.

ÆQVE grauiter hîc erraret, qui tres diuinas hypostases animo pertractans, ideo ad vnam potiùs preces suas dirigeret quàm ad aliam, quòd existimaret, se faciliùs ab vna impetraturum, quod petit, quàm ab alia, vel aliquid ab vna obtinere posse, quod non ab alia; Exempli causa sapientiam à Filio & non à Patre vel Spiritu sancto; potentiam à Patre & non à Filio vel Spiritu sancto; Benignitatem vel mansuetudinem à Spiritu sancto & non à Patre vel Filio. Est enim eadem ad numerum facultas, eadem largiendi facilitas omnium. Sic tandem non parum fœdè & perniciosè impingeret, qui ea de causa inuocaret vnam & non aliam, quòd vni latriæ cultum deferre vellet & non alteri: Siquidem tribus vna debetur latria, idem honor, eadem adoratio, eadem & reuerentia.

Errant, qui faciliùs aliquid ab vna quàm altera persona impetrare se posse putant.

QVICVNQVE ergo ita vnam adorat vel inuocat, vt aliã inde excludat, quacunq; tandẽ de causa excludat, grauissimè errat, & in manifestam hæresin minimè obscurè inclinat. Nam etsi forsan animo nullos gradus in Trinitate ponit, suo tamen facto ponendos ostẽdit; Vel ergo oratio dirigẽda est ad omnes simul, hoc est, ad DEVM absolutè; vel ita ad vnam, vt aliæ tamen ab orationis cõsortio nequaquam excludãtur. Et hoc religiosè obseruat Catholica Ecclesia; nam etsi modò ad Patrem, modò ad Filium, modò ad Spiritum sanctũ orationem dirigit, plerunq; tamen in fine, vel in alia orationis parte omnes personas simul coniungit, prout omnes quoq; sunt in singulis, & singulæ rursum in omnibus.

Ecclesia omnes personas in vna eademq; oratione plerunq; cõiungit.

QVOD autem orthodoxa Ecclesia inter orandum interdum hanc, interdum illam personam exprimit; aut modò ad hanc, modò ad illam orationem dirigit, hoc non ideo facit, quòd aliquid

ab vna expectet, quod non ab alia, vel quòd vnam aliquid præstare credat, quod non aliam: Sed quia aliquid petit, quod maiorem cognationem habet cum idiomate vnius personæ, quàm cum appropiato alterius personæ. Quamuis enim trium hypostaseωn vna ad numerum sit potentia, vna sapientia, vna bonitas, attamen Patri, qui omnis principij expers est, peculiari quadam ratione adscribitur potentia: Filio, qui ex fœcunda Patris memoria, eiusdémue intellectu ab omni sempiternitate natus est, & nascitur, sapientia: Spiritui sancto, qui à Patre & Filio per modum amoris indemutabiliter procedit, benignitas vel clementia. Secundùm hos itaque idiotismos Ecclesia quandoque ad vnam, quandoque ad aliam personam dirigit preces suas, cæteris tamen nunquam seclusis.

Cur Ecclesia modò ad hanc, modò ad illam personam orationem dirigat.

FACIT hoc ipsum quoque quò filios suos in sacratissimæ Trinitatis mysterio validiùs confirmet. Nam hoc ipso, quòd modò Patrem, modò Filium, modò Spiritum sanctum inuocat, in vna diuina natura tres distinctas hypostases existere apertè declarat, quod Iudæus & tota Paganorum cohors negat. Adde his quam plurimas orationes, quæ ad Patrem, vel ad DEVM sub nomine Patris diriguntur, non dirigi ad illum, vt Pater est nomen personale, sed vt est nomen essentiale tribus commune. Tandem solo Patre nominato omnes nominatæ intelliguntur; nam & omnes sunt in Patre, & omnes originem à Patre trahunt. Quare etiam quidam ex veteribus Scriptoribus Patrem totius Deitatis principium vel fontem vocant: Non quòd essentia generet vel generetur, sed quia personæ, in quibus est essentia; imò quæ idem sunt cum sua essentia, à Patre fluunt, originémue ab eo ducunt.

Pater in diuinis est nomen essentiale & personale.

ANTIQVI non ita frequenter ad Spiritum sanctum orationem destinabant, etsi ad illum quoque destinarent, vt manifestum est ex litaniis, & aliis quibusdam publicis Ecclesiæ precibus: non quòd non æquè inuocandus sit, fueritq; semper Spiritus sanctus, atque Pater vel Filius; sed quòd vsitatius sit donatorem inuocare, quàm donum ipsum; Spiritus sanctus autem Patris & Filij donum appellatur. Interim æquè seipsum & in se & in suis etiam donis impertitur ac Pater & Filius.

Cur veteres familiariùs inuocauerint seorsũ Patrem vel Filium quàm Spiritum sanctum.

OBSER-

OBSERVANDVM est hîc quoque, licet oratio familiariùs in DEVM tendat, sub ratione essentiæ quàm personæ, multò tamen receptius esse DEVM inuocari quàm Deitatem, vel aliud quodcunque illius attributum in abstracto. Nam etsi DEVS & Deitas in diuinis sint idem, non eundem tamen significandi modum habent. Quare multa de DEO asserta sunt vera, quæ de Deitate affirmata apertè sunt falsa. Rectè dicitur, DEVM gignere & gigni, producere & produci; non rectè autem Deitatem vel diuinam essentiam gignere vel producere, gigni vel produci. Denique quod plerisque precibus in Ecclesia DEI vsitatis addi consueuit illud: Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vel per eundem Dominum nostrũ &c. nulla alia est causa, quàm quòd omnia dona spiritalia per CHRISTVM, eiusque meritum à DEO in nos deriuantur. Et hæc de DEI inuocatione, inuocationisq; eiusdem modo & ratione hactenus.

Cur pleræque omnes Ecclesiæ orationes cõcludantur per Dominũ nostrũ Iesum Christũ &c.

AT verò vt certum & apud omnes mente vtentes indubitatum est, DEVM inuocandũ esse: ita à quibusdam iam olim in quæstionem vocatum est, an præter DEVM, vel iuxta DEVM, vel secundùm DEVM, quosdam quoque alios inuocare, eorundémue opem vel intercessionem implorare liceat. Verùm nõ video causam, cur hac de re prolixè disputari debeat: quippe cùm maior controuersiæ huius portio vna sola distinctione è medio submoueri queat. Aduerte ergo, orationem bifariam ad aliquem dirigi, vno modo vt petita concedat; altero modo, vt eadem per viam meriti, vel intercessionis ab eo, penes quẽ concedendi auctoritas vel facultas est, impetret. Priori modo omnes nostræ petitiones ad DEVM transmitti debent; hic enim solus vitam æternam, ad quam vnam proximè vel mediatè spectant omnes omnino veræ rationis preces, impertiri potest. Atque huc tendit illud Augusti- Euch. c. 18.
ni: Non nisi à Domino petere debemus, quod speramus. Et illud Epist. ad Prob.
eiusdem: Quid igitur oportet te orare, nisi id, quod cupiunt boni & mali? sed ad quod perueniunt non nisi boni? quasi dicat nihil quicquam. Et illud rursum Anselmi: Liquidissimum est hunc so- In monolog.
lum esse, quem omnis alia creatura secundùm totum suum posse oportet diligendo venerari, & venerando diligere, de quo solo prospera sunt speranda, ad quem solum in aduersis confugiendum, cui soli pro qualibet re supplicandum. Mitto aliorum

Oratio bifariam ad aliquem dirigitur.

Patrum dicta, quæ de solius DEI adoratione & inuocatione concionantur.

POSTERIORI modo ad eos omnes orationẽ inculpatè dirigere licet, qui in quacunque re per modum meriti, intercessionis, vel suffragij iuuare nos possunt. Quod etiam discrimẽ Ecclesia in suis precibus accuratè & religiosè vbique obseruat. Etenim DEVM vel quamcunque diuinam hypostasin inuocans, perinde cum eo agit ac cum absoluto rerum omnium Domino, infinita virtute & maiestate prædito: At verò Sanctorum patrocinia implorans, nihil magni illis tribuit, sed nudam tantùm intercedendi facultatem. Multum enim, vt quiuis facilè intelligit, inter hæc intercedit: Petre vel Paule ora pro nobis, & hæc: Pater de cœlis DEVS, vel Fili Redemptor mundi DEVS, vel Spiritus sancte DEVS miserere nobis; inter hæc rursum: omnes Sancti intercedite pro nobis, & hæc: Ab omni malo libera nos Domine, vel propitius esto nobis Domine. Denique omnes orationis formulæ, quibus Ecclesia vtitur, clarissimè indicant, ingens discrimen esse inter creatoris & creaturæ inuocationem.

Ecclesia aliter Deum, aliter dictos inuocat.

AT quæ, inquis, aut quales sunt res illæ procreatæ, ad quas tanquam ad quasdam patronas, vel aduocatas preces dirigere liceat? nullæ omnino ex iis omnibus, quæ mente vel ratione destitutæ sunt: Quandoquidem oratio est actus rationis, quo DEO vel alteri desideria nostra pandimus & explicamus; rationis autem expertia huius explicationis nullo modo sunt capacia. Ad hæc omnis omnino oratio huc tendit, vt rogatus vel inuocatus per se id, quod petitur, præstet; aut si id nequeat, ab altero, penes quem præstandi facultas est, petat, intercedendóque impetret; neutrum autem horum est naturæ brutæ mentéue destitutæ. Denique rebus rationis luce exortibus nullus per se debetur cultus, neq; latriæ, neque duliæ, vt quæ naturæ ordine in hominis seruitium sint deputatæ; omnis autem inuocatio aliquem secum cultum adfert. Qui enim alterius opem implorat, altero inferiorem se iudicat, si nõ simpliciter, saltem secundùm id, quod ab altero petit. Vtimur sanè iumentorum obsequio, verùm hoc non per modum rogationis vel supplicationis, sed per modum imperij, vel absoluti veriùs Dominij; siquidem brutis propriè non imperamus.

Res inanimæ, menteq; destitutæ nõ sunt inuocandæ.

Omnis veræ rationis inuocatio duliæ vel latriæ cultum includit.

SED

SED neque ad omnem quoque rem intelligentem, rationéne vtentem oratio dirigi debet. Indubitatum est namque, perditionis filios inferorum suppliciis iam olim mancipatos inuocare nullo modo fas esse: tum quia capitales DEI hostes existunt: tum rursum quia nullum nobis salutis præsidium adferre possunt; tum denique quia propter inuidiam, incensumque in eos omnes, qui DEO quouis modo cohærent, odium, nullum adferre cupiunt, etiamsi per impossibile aliquod adferre possent. At multò verò minùs pro quacunque re dæmones inuocare licet, esto more & modo idololatrico illud non fiat. Nam cùm ad vnum omnes infestissimi DEI Opt. Max. totiusque humani generis sint inimici, acri, indefessoque studio perpetuò ad hoc incumbentes, vt quam plurimos secum rapiant ad perditionem, nullo modo commercium cum illis habere, aut illorum opem implorare licitum est.

Damnati nullo modo sunt inuocandi, multò verò minùs dæmones.

IMO verò tantum abest vt illos liceat inuocare, vt per modum deprecationis eosdem quoque adiurare non liceat: Quandoquidem eiusmodi adiuratio quandam beneuolentiæ vel amicitiæ speciem præ se ferret; talismodi autem cum dæmonibus habere nullo modo fas est. At diuino nomine inuocato, licet illos adiurare ne nobis noceant, vel ne aliis quibuscunque detrimentum aliquod adferant; huc enim præcipuè spectant Ecclesię exorcismi. Peccant tamen hîc non parum, qui illos adiurant, vt secretum aliquod reuelent, vel vt rem aliquam occultam patefaciant, vel vt obsequium aliquod præstent: Siquidem dæmonum magisterio, vel eorundem famulatu vti, pertinet ad genus quoddam domesticæ familiaritatis, quam, vt modò aiebam, cum illis inire nefas est; constat enim, inter discipulum & magistrum, inter seruum rursum & Dominum quandam familiaritatem intercedere. Quod si qui Sancti aliquid illis imperasse comperiuntur, hoc peculiari DEI instinctu fecêre veriùs, quàm ordinaria lege aut potestate. Sed neq; maleficium quoque dæmonis improbitate conflatum, per aliud maleficium soluere licet: nam & hoc ipsum quoque sapit quandam familiaritatem, domesticumque vsum, quem cum capitali DEI hoste habere nequaquam fas est. Patet hinc ergo, non omnem creaturam mente vel ratione præditam inuocare licere.

Non licet dæmones adiurare per modum deprecationis.

Non licet secreta à dæmonibus exquirere, aut illorum magisterio, aut obsequio, aut familiaritate vti.

SED

SED & nullam quoq; ne apud eos quidem, qui CHRISTVM vnicum apud DEVM μεσίτην nostrum esse magna vi contendunt, quæstionem habet, viuos pro viuentibus salubriter orare, adeóq; viuos viuorum opem & intercessionem licitè, inculpatéque implorare. Nam præterquam quòd communis mortalium omnium consuetudo palàm id probet, diuina quoque scriptura innumeris exemplis & argumentis disertè illud ipsum confirmat: imò verò grauibus verbis non vno loco mandat. An non hæc CHRISTI vox est? *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos!* An non hæc Iacobi? *Orate pro inuicem, vt saluemini!* An non hæc Pauli? *Obsecro fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus!* An non Abraham orat pro Abimelech, & tota illius familia? An non Isaac pro sterili Rebeca? An non Iob pro amicis? An non Moyses pro populo idololatra & sorore Maria? An non pro Petro vniuersa Ecclesia? An non Apostoli pro Cananæa? An non Apostolus pro Collossensibus, Corinthiis, Philippensibus, Hebræis & aliis? Denique scriptura tam multa rei huius exempla & documenta suppeditat, vt vix vllus futurus sit finis, si quis ea omnia in hunc locum conferre instituat. Porrò autem an illi, qui verbo, vel scripto, vel alio modo viuentium opem, & apud Deum intercessionem implorant, verè & propriè dicantur orare vel inuocare, hoc nos in medio relinquimus. Sat nobis sit eiusmodi actum orationis nomine vulgò designari.

Matth. 5. Lucæ 6. Iacob 5. 1. Tim. 2. Genes. 20. Genes. 25. Iob 42. Exod 34. Nume. 11. Actor. 12. Matth. 15.

IAM si illorum preces, qui in hac mortali vita etiamnum degunt, & de sua salute & beatitudine adhuc incerti sunt, salubriter implorãtur, vt sectarij magnis vocibus testatum faciunt, omnesq; tam docti quàm indocti lubenter concedunt, quantò magis illorum patrocinia nobis expetenda & imploranda sunt, qui iam fœlices cum CHRISTO regnant? nihilque quòd pro sua salute sint anxij, reliquum ampliùs habent?

VERVM licet vna hæc ratio ad firmandam Sanctorum inuocationem per se solam abũdè sat esse queat; nam cùm prima orationis radix sit charitas (ob id enim pro hoc vel illo oro, quia hoc vel illud bonum illi opto) quæ in beatis est ardentissima & consummatissima, amentiæ est dubitare, cœlo ne donati pro viatoribus preces fundant; nihilominus quòd nouatores sanctissimum & antiquissimum hunc inuocandi ritum, veluti profanum & heri natum

natum petulantiſsimè inſectentur; lubet hoc loco pauca quædam adferre, quæ orthodoxam veritatem dilucidè confirment, ſectariorumque vanitatem palàm oſtendant. Nam exactè de hac controuerſia diſputare, non eſt huius loci; depoſceret hæc res enim integram tractationem. Sed & alibi quoque de Sanctorum cultu & inuocatione, tum de venerandis eorundem reliquiis, ſacrisque iconibus, ea publicè propoſuimus, quæ ad veritatem ſtatuendam & falſitatem refutandam ſat eſſe videbantur.

Sectarij Diuorũ inuocationi infeſti.

PORRO hîc autem vnum tanquam certum, & apud eos etiam, qui hîc nobiſcum non faciunt, indubitatum; puta quod ad intercedendi vel patrocinandi munus attinet, idem eſſe iudicium de Angelis & cæteris beatis. Nam etſi ſpecie inter ſe non conſentiant, in donorum tamen & chariſmatum tranſnaturalium ſuſceptione, & communicatione inter ſe conſpirant. Æquè enim homo eiuſdémue ſpiritus gratiæ & gloriæ capax eſt, ac Angelus. Æquè rurſum hominum ſalutem deſiderat, eandemque, quod in ſe, procurat & promouet, atque Angelus. Æquè tandem ea omnia in verbo cognoſcit, quę ad fœlicitatem ſuam faciunt, ac Angelus: Imò verò multi in his multos Angelos multis partibus excellunt; ſicuti multi viciſsim à multis Angelis hîc excelluntur. Atqui Angelos pro hominibus orare, eorundemque ſalutem auidè ſitire & procurare, nemo, modò Catholicam Eccleſiam audiat, aut ſcripturarum auctoritatem recipiat, dubitat. Etenim Tobiæ 12. inter cætera ita legimus:

Beatorum ſpiritus gratia & gloria cum Angelis communicant, natura nõ item.

QVANDO orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & eleemoſynas dabas, ego orationem tuam obtuli Domino. Aſt aliud nihil eſt, preces DEO offerre, quàm ſuppliciter eundem rogare, vti pro ſua clementia eas admittere & explere dignetur. Neque enim Angelus DEO preces noſtras offert, quò illi noſtra deſideria, noſtramue neceſsitatem patefaciat: nouit enim, oculis Domini nuda & aperta eſſe omnia, verùm quò clientuli ſui cauſam ſua interceſsione & commendatione fauorabiliorem reddat. Atque hoc ſatis manifeſtũ eſt ex orationis filo, qua Raphael loco citato vtitur. Spectat ad idem quoque illud Ioannis:

Tob. 12.

Quo ſenſu & modo Angeli mortaliũ preces Deo offerant.

STETIT Angelus ante altare, habens thuribulum aureum; & ſunt ei data incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus

Apocal. 8.

de manu Angeli coram DEO. Hæc sanè minimè obscurè indicant, Sanctorum desideria, eorundemque preces & vota Angelorum ministerio DEO Optimo Maximo præsentari & commendari.

AT enim quia non deerunt fortè, qui causabuntur, aliud esse orare pro altero, aliud alterius preces DEO offerre, vel commendare, adfero alium Scripturæ locum, qui de Angelorum in-
Zach. 1. tercessione planis verbis concionatur; etenim Zachariæ primo Angelus Domini eiusmodi orationem instituit: *Domine exercituũ, vsq; quo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iudæ, quibus tu iratus es?* Hic Prophetæ locus nulla exceptione potest infirmari, nulla iusta cauillatione eludi, nisi quis forsan ita desipiat, vt Angelos maiorem hominum curam ante Verbum incarnatum habuisse existimet, quàm post illud hominem factum. At nemo, opinor, ea vesania tenetur.

Matth. 18. FACIT huc quoque illud CHRISTI: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis.* Hîc Hilarius: Periculosè contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem DEVM ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio
Hil. ad Psal. 129. prouehuntur. Et clariùs ad Psalmum 129: Intercessione Angelorum non natura DEI eget, sed nostra infirmitas. Missi enim sunt
Hebr. 1. propter eos, qui hæreditabunt salutem, DEO nihil ex eis, quæ agimus, ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritalis naturæ ministerio indigente. Hæc Hilarius ad locum Matthæi & Psalmum centesimum vndetrigesimum. Et illud tandem Danielis:

Cap. 10. *NEMO est adiutor meus in his omnibus, nisi Michaël princeps vester;* sensus enim est: Nemo est, qui causam vestram peculiari studio apud DEVM propugnet, quiue pro vobis peculiariter oret, nisi Michaël & ego. Vnde Hieronymus locum hunc periphrasticῶς edisserens ita scribit: Ego sum Angelus ille, qui offero DEO orationes tuas, & nullus est alius, qui adiutor meus sit, rogando pro vobis DEVM, nisi Michaël Archangelus, cui creditus est populus Iudæorum. Similia de Angelorum intercessione comperies apud Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Basilium Magnum,

Magnum, & alios veteres, à quorum citatione breuitatis causa abstineo.

IAM si Angeli ante Verbum incarnatum tantam non hominum solùm, sed locorum quoque & prouinciarum curam habebant, cur post Verbum hominis causa hominem factum omnem de homine curam & cogitationem abiiciant? Rursum si Angeli, qui humanæ naturæ miserias nunquam experti sunt, neq; natura cum homine communicant (sunt enim carnis, cæterorumq;, quæ carnem consequũtur, vel cum carne coniuncta sunt, omnino expertes) pro hominibus orant, eorundemque salutem tam anxiè procurant, cur diuorum spiritus, qui certo experimento didicerunt, quanta, quamque assidua & periculosa nobis cum carne, dæmone, & mundo sit lucta, non eundem vel multò quoque ardentiorem dilectionis effectum erga nos gerant, ostendantque? Atqui ex ardenti dilectione ardens nascitur iuuandi, promouendique studium. Cùm ergo mortalium spiritus cœlesti gloria iam donati, alia via fratres suos iuuare non queant, quàm pro illorum salute apud DEVM intercedendo & interpellando, (siquidem non est illis permissum Angelorum more versari in terris, hominumque custodiam & curam habere) quis dubitet, quin ardentissimas pro illis preces fundant? illorumque causam, quanta vi possint, apud DEVM promoueant?

Angeli humanæ naturæ miseriã nunquã experti.

TANDEM existimandum non est, neq; citra apertam amentiam existimari potest, minus illos velle, aut posse, aut nosse, qui iam cum CHRISTO in cœlesti gloria triumphant, quàm norant, aut poterant, aut volebant patres, qui ante orbem redemptum detinebantur in limbo. Constat enim, hos multis partibus minus nouisse, voluisse, & potuisse, vt qui necdum ab omni pœna & debito absoluti, neque clara DEI visione, ex qua vna vt omnis perfecta beatitudo, ita omnis quoque perfecta cognitio & dilectio hauritur, potiti essent. Cùm hi ergo feruidas pro populo suo preces funderent, (scriptum est enim: *Vidit Iudas Machabæus Oniam protendentem manus, & pro omni Iudæorum populo orantem. Post hæc autem vidit alium virum ætate & gloria mirabilem, de quo dixit Onias: Hic est fratrum amator & populi Israël: hic est, qui multùm orat pro populo, & vniuersa ciuitate Hierusalem Hieremias Propheta* DEI *&c.*) cur Sancti, qui multò, vt modò aiebam, maioris charitatis,

Plus volunt & possunt modò Diui in cœlo, quàm olim patres in limbo.

2. Machab. vlt.

facultatis & perfectionis sunt, causam nostram apud DEVM negligerent?

NEQVE est, vt quispiam, quod Iudas vidit, somnium extitisse cauilletur: Nam vt ibidem exponitur, non erat vulgare vel vanum aliquod somnium, sed ὄνειρον ἀξιόπιστον, hoc est, somnium fide dignum: Quale etiam fuit somnium Ioseph, cui Angelus κατ' ὄναρ quoque apparuisse legitur, id quod ipse etiam rei euentus manifestè comprobauit. Obtinuit enim clarissimam contra blasphemum Nicanorem Victoriam. Et cui, quæso, mirum videri debeat, si Onias, si Hieremias, si Moyses, si Daniel, si Noé, si Iob viri sanctissimi pro suis ciuibus & contribulibus orare soliti erant, cùm diues Epulo apud inferos ardens, se fratrum suorum cura tangi non dissimularet; aiebat enim: *Rogo te pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum Patris mei; vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. hæc ille: quocunque tandem animo vel consilio hanc gratiam ab Abrahamo expetiuerit. Nulla est ergo causa, cur sectarij vel alij quicunque Oniæ vel Hieremiæ intercessionem in dubium vocent. Quod enim illi fecerunt, hoc quotidie faciunt non iusti tantùm, sed multi quoq; iniusti & scelerati: imò ipsi quoq; sectarij, esto plurimi ex illis in sua hæresi sint planè obstinati, & à DEO prorsus alieni.

Matth. 1.

Luc. 16.

IAM si Synagogæ proceres tanto cum feruore pro communi populi sui salute quondam contendebant; si damnati suorum curam non penitus abiiciunt; si non modò iusti, sed impij quoque & scelerati pro se inuicem orare, mutuasque preces deposcere non negligunt, quis dicere audeat, glorioſissimos Christianæ fidei principes, electos DEI athletas, iustos seculi huius iudices, vera, vt Bonifacius loquitur, mundi lumina, CHRISTI redemptoris nostri Apostolos, qui in carne viuentes sanguine suo Ecclesiam fundauerunt, sanctissimos quoque, clarissimosq; viros, per quorum fidelissima & diligentissima studia Ecclesiæ sacra Euangelia eluxerunt, & reliquos noui Testamenti Patres, quasi nostri oblitos ab intercedendi officio cessare? præsertim cùm vt hoc faciant præclarum CHRISTI Domini nostri exemplum ob oculos propositum habeant. *Quis est, qui condemnet?* scribit Apostolus, CHRISTVS IESVS, *qui mortuus est, & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis?* Simile huic est illud Ioannis: *Si quis pecca-*

De vene. Sancto. ca Glorioſus.

peccauerit, aduocatum habemus apud DEVM, IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum; Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Hęc de CHRISTI intercessione duo illustres Apostoli. De Diuorum autem patrocinio hæc Augustinus: Non est credendum, tunc viscera misericordię amissuros Sanctos, cùm fuerint plenissimæ & perfectissimæ sanctitatis, vt qui tunc etiam orabant pro inimicis, cùm ipsi sine peccato non erant. Rom. 8. 1. Ioan. 2. Lib. 22. c. 18. de ciuit.

QVOD si sancti Angeli, cæteriąue Diui nullis prouocati precibus, pro fidelium salute apud communem Patrem tanto studio intercedunt, quid, obsecro, piaculi fuerit, si vltroneo illorum officio agnito, id quod cupiunt, & spontè agunt, porrò agere vt pergant ab iis petamus? adeóque cum Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Presbytero, Hieronymo, & aliis eiusdem fidei & religionis sectatoribus, hoc aut illo simili orationis genere illos compellemus? Chrysostomus: Cœlestis militiæ princeps, rogamus te nunc indigni, vt tuis intercessionibus munias nos. Greg. Nazianzenus: Tu autem sacrum & diuinum caput, ex alto nos respice, & carnis stimulum instructionem à DEO nobis datam, aut tuis fiste precibus, aut fortiter me ferre persuade. Greg. Presbyter: Tu autem beate pater, scenæ veræ spectator & mysta, tui sis memor Gregorij. Hieronymus: Vale ô Paula & cultoris tui vltimam senectam orationibus tuis iuua; fides & opera tua te CHRISTO sociant, præsens faciliùs, quod postulas, impetrabis. Rursum Nazianzenus: Tu verò Cypriane, nos ab alto propitius respice, nostrumque sermonem & vitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce, aut vnà rege, ac reliqua, quantum possibile est, ad meliora dispone. In liturg. In orat. funebri pro Bas. In vita Grego. Nazian. In Epita. Paulæ. Orat. 19 in Cypria.

AVGVSTINVS: O MARIA, quis tibi dignè valeat iusta gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quæ sola tuo commercio recuperandi aditum inuenisti? Accipe itaque qualescunque exiles, qualescunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis tuæ, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod pia mente poscimus. Accipe quod offerimus; redona Ser. 18. de Sanct.

quod rogamus; excusa quod timemus, quia tu es spes vnica peccatorum; per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum expectatio est præmiorum. S. Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Adsiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidua orare pro populo DEI, quę meruisti benedicta Redemptorem ferre mũdi, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. Hęc omnia de vnius gloriosę Virginis intercessione magnus Augustinus.

Augustinus B. Virginẽ prolixè inuocat, Chrysost. Michaëlem, Nazian. Basiliũ. Hierony. Paulã Romanã & alij alios.

SIMILIA complura inuenias apud veteres Scriptores, & præcipuè apud Cyrillũ, Andream Hierosol. Proclum Cyzicenũ, Theodotum Ancyrę Episcopũ, Ioan. Damascen. & alios his adhuc vetustiores. Missas hîc facio peculiares p̃candi formulas, quibus Ecclesia iam inde ferè à sui exordio in anniuersariis Diuorũ solennitatib. vti cõsueuit: Cuiusmodi inter cæteras penè innumeras, quę in Grecorum & Latinorũ liturgiis & horologiis (hoc ẽm nomine appellãt illi Canonic. horarũ codices) passim sunt obuię, sunt hę:

FAMVLORVM tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce; vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filij tui Dñi nostri IESV CHRISTI intercessione liberemur. Item: Omnipotens æterne DEVS, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita, sub vna tribuisti celebritate venerari, quęsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Tandem, (finis enim non esset, si quis omnes huc referre instituat) DEVS qui conspicis, quia nos vndiq; mala nostra perturbãt, præsta, quæsumus, vt beati Ioannis Apostoli tui intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat ęternam, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, &c.

Vniuersalis Ecclesia inuocat diuos cum Christo triumphantes.

DICIS: Esto Angeli, cæteriq; cœlesti gloria donati sedulò pro nobis intercedant, totaq; antiquitas & vniuersa Ecclesia iam inde ab exordio Diuorum patrocinia piè semper, religioseq; imploraverint, hinc tamen non sequitur, quemquam omnino mortalium ad idem faciendũ obligari; siquidem particularium facta non faciũt legem. Detur sanè, hinc non sequi, Diuorum inuocationẽ esse præceptam; euidenter hinc tamen sequitur, rem esse licitam Chri-

stia-

stianæq; religioni consentaneam, adeoq; ab omni idololatriæ specie prorsus alienam. Esset enim flagitium longè maximũ toti Ecclesiæ, totiq; venerandę & sanctissimę antiqtati idololatriæ crimen impingere. Sequitur nihilosecius, cultũ esse non modò vetustum, longaq; consuetudine validè confirmatũ, sed legi quoq; & rationi oppidò consentaneũ: Siquidẽ nefas est credere, vniuersalẽ Ecclesiam, totq; sanctissimos ac doctissimos viros aliquid familiariter vsurpasse, quod diuinæ legi, aut rectę rationi esset dissentaneum.

Inuocatio Diuorum in Ecclesia DEI vsitata, res est ab omni idololatriæ crimine prorsus aliena.

SEQVITVR tandem, rem esse vtilem & salutarem: Nam si Diui sua intercessione causam nostram promouere nullo modo possent, neq; illi pro nobis intercederẽt, vt qui frustraneam operam sumere non vellent; neq; viri cordati illorum patrocinia tam familiariter implorarent: implorant autem certatim, vt paulò antè audiuimus: Vtilem proinde operam Diui sua aduocatione nobis nauant, & vtilem nihilominus salutaremq; rem præstant, qui illorum fidem frequenter implorant. Cuius rei Ecclesia nõ ignara, quotiescunque graui aliqua necessitate premitur, vel periculo minimè leui vrgetur, toto nixu & studio ita ad DEVM sese cõuertit, vt semper ferè Diuorum patrocinia & intercessionem principali orationi adiungere vel interserere consueuerit. Quod dicimus ex litaniarum serie, quæ ante mille annos apud orthodoxos receptæ fuerũt, luce meridiana clarius est. Etenim exordio à DEI diuinarúmue hypostasẽon inuocatione facto, fit mox, pgressio ad Angelorum, cæterorumq; Diuorum suffragia. Iterum fit reditio ad DEVM, sed non absq; meritorum & mysteriorum CHRISTI liberatoris nostri commemoratione & allegatione.

Diuorum inuocatio res vtilis & salutaris.

Litaniarũ vsus peruetustus.

HANC Diuorum inuocationem, meritorumq; eorundẽ allegationẽ patriarcha Iacob vitę præsentis finem iam facturus, singulari studio posteritati suæ commendasse visus est, ait enim: *DEVS, qui me pascit ab adolescentia mea vsq; in præsentẽ diem: Angelus, qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur* בְּתוֹכָם, hoc est, inter illos, vel *in eis nomen meum, & nomen patrum meorum, Abraham & Isaac.* Genes. 48.

Hîc Augustinus: Iacob benedicens nepotes suos filios Ioseph, ait inter cætera: Et inuocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum. Vnde notandum est, nõ solùm exauditionem, sed inuocationem quoq; dici aliquando, quæ nõ DEI, sed hominum sint. Hæc ille de testamentaria Patriarcharum inuocatione. Lib. 1. cap. 200. Loca de Genes.

QVOD

Synagoge praxis & vsus in piorũ inuocatione & meritorum eorundem allegatione.

QVOD autem Augustiniana hæc interpretatio sit germana, id, vt cætera desint, ex sola Synagogæ praxi colligi potest. Nam quotiescunque Iudæorum proceres insigne aliquod beneficium à DEO voluissent impetrare, vel grauem aliquam cladem, quæ illorum ceruicibus impẽdere videbatur, depellere, statim Patriarcharum merita & nomina allegabãt. Hinc illæ aliæq; similes precationes: Exod. 32. *Quiescat, obsecro Domine, ira tua, & esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti per temetipsum Deus.* Dan. 3. Rursum: *Ne, quæso, Domine auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum.* Baruch 3. Demum: *Omnipotens Deus Israël, audi nunc orationẽ mortuorum Israël, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.* Hæc sanè minimè obscurè indicant, certò apud Iudæos creditum fuisse illos, qui cum pietate dormitionem acceperant, etiamsi antè finẽ peccatis non vixissent, pro sua posteritate & natione preces subinde fundere consueuisse; siquidem frustra, imò falsò planè diceretur: Audi DEVS orationem mortuorum Israël, si Israëlitæ vita functi, pro suo populo vel non orassent, aut certè orare creditinon fuissent: & vt istud certò illis persuasum erat; ita illorum patrocinia efflagitare, eorundemq; merita publicè allegare nihil quicquam dubitabant.

Iob amicorum monitu inuocat Sanctos.

AD eandem Sanctorum inuocationem secula aliquot ante omnem legem scripto propositam, veluti iam tum vsitatam Eliphas Themanites hortabatur flagellatum Iob quoq;: Iob. 5. *Voca, ait, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Quod ipsum etiã siue hoc monitore excitatus, siue diuinitus vtile id esse edoctus, fideliter præstitit. Quandoquidem illud: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*; Cap. 19. Augustinus non aliô, quàm ad Diuorum vel sanctorum Angelorum inuocationem pertinuisse existimat. Nam locum hunc edisserens inter cætera ita scribit: Annotat. in Iob ca. 19. Vt pro se deprecentur, aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent, videtur postulare.

ET vt quædam ex his Diuorum inuocationem disertè non constituerent, adhuc sola Ecclesiæ auctoritas, perpetuo orthodoxorum omnium sensu atque consensu instructa, quæ Sanctorum cultum & inuocationem tanquam rem vtilem & salutarem nobis commendat, vsuque & exemplo quotidie inculcat, potenterque persua-

persuadet, tanti roboris est, vt eam citra manifestam temeritatem in quæstionem vocare nullo modo liceat. Etenim si insolentissimę cuiusdam væsanię genus est vel vni ex veteribus Theologis sine graui auctoritate, aut euidenti ratione sese opponere, quantæ temeritatis & impudentiæ erit, toti Christiano orbi, totiąque antiquitati ac sanctorum Patrum cœtui insolenter absq; vlla ratione vel auctoritate oppedere? Erat in animo ad maiorem Antagonistarum confusionem veterum de præsenti hac controuersia sententias in medium adferre, vt in aliarum quarundam controuersiarum explicatione fecimus; verùm quia de Sanctorum inuocatione obiter hîc tantùm disputamus, sola locorum, vnde hæ peti queant, indicatione contentus ero.

Insignis insolentiæ scelus est toti Christiano orbi absq; ratione & auctoritate sese opponere.

Qvi igitur nosse desiderant, quid veteres de Sanctorum inuocatione tenuerint, publiceq; docuerint, ij legant Dionysij Areopagitæ Apostolorum discipuli cœlestem hierarchiam c.3. & li. de di.no.c.3. Hilarium ad Ps.124. Epiphanium lib.3.tom.1.hæres.75. Irenæum li.5.cont.hæres. Ephrem sermone de laudibus sanctorũ Martyrum. Grego.Nyss.in vita Theodori. Hierony. contr.Vigil. Rufinum lib.2.cap. 33. histo. Eccles. Nectarium in narratione de Theodoro Martyre, & 40.Martyrum. Gaudentium in anniuersario Philastrij. Victorem Vticensem de persecutio: Vandalica li.3. Fulgentium sermone de laudibus Mariæ. Eusebium Emyssen. in hom.de SS.Genesio, Epipodio, & Alexandro. Sulpitium lib.2.de vit.D.Martini. Dorotheum Episcopum de vita Esaię & Hieremię. Eusebium Cæsar.lib.6.ca.5. hist. Eccles. Iustinian. libro primo C. tit. 20. & in Nouell. const. 42. Procopium de ædific. Euphrasium histor. Eccles. cap.13. & lib. 6. cap. 3. Gregorium Magnum lib. 5. epistola 19. & lib. 7. epistola 12. Gregorium Turonensem de Martyrum gloria, Ephodium ad Faustum. Fortunatum in Epitaphio Euphrasię. Cassiodorum ad Psal.21. Andream Hierosolymitanum de salut.Mariæ. Iustum in cant. Cyrill. Hieros. Cateches. Clementem lib.8. cap.18. & 19. Const. Apost. Cornelium PP. epistola decretali. Euseb.lib.4.cap.15. Tertullianum de coron.Milit. Theodoritum li.8.de Martyribus. Leonem primum de S.Petro & Paulo. Prudentium in hymno de S.Laurentio, Eulalia, Vincẽtio, Cassiano, &c. Paulinum Nolanum ad Seuerum, Bernardum, ser.66. in Cant. Maximum Taurinensem Episcopũ in natali sanctorum

Nazarij & Celsi, Thomam, Bonauenturam, Albertum, Durandum, & reliquos Scholæ Patres 4.dist.45.

QVOD si qui sunt, vt multi vtiq; sunt, qui horum auctorum monumentis destituuntur,& aliquid nihilominus,quo cõtra Antagonistarum importunitatem se tueãtur,in promptu habere cupiunt,allegẽt ij illud Iacobi fratris Domini: Commemorationem faciamus sanctissimæ,immaculatæ,glorioſissimę, benedictę Dominæ nostræ matris DEI & semper Virginis Mariæ,ac omnium Sanctorum & iustorum,vt precibus & intercessionibus eorum,omnes misericordiam cõsequamur. Et illud Cypriani;Innocentes pueri ab Herode occisi in ordine Sanctorum primum habent locum,& secretorum conscij diuinorum,clementiam DEI pro nostris exorant laboribus. Et illud Basilij: Sæpe laborastis,sæpe operam dedistis,vt vnum orãtem pro vobis inueniretis; Quadraginta sunt hi,vnam orationis vocem emittentes. Et paucis interiectis hæc subdit: Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: Qui rursum lætatur, ad hos oret; Ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis. Et illud Synodi sextæ:

In liturg.

De stell. & mag. Sermo. de 40. Martyr.

VNVSQVISQVE Christianus solo DEO creatore suo adorato,inuocet Sanctos, vt pro se intercedere dignẽtur apud diuinam maiestatem. Hæc faciant,quibus Basilicæ locus est,in Basilica; qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione in syluis aut agris est, vbicunq; eum ipsa hora matutina vel vespertina inuenerit. Et illud Synodi septimæ: Cum DEI timore omnia agamus,postulãtes intercessiones, incõtaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dñæ nostræ Marię. Item sanctorũ Angelorum omniumq; Sanctorum. Et illud Synodi Chalcedonensis: S. Martyr Flauianus oret pro nobis. Hunc locum,qui propter synodi auctoritatẽ & vetustatem apprimè illustris est, Centuriatores Magdeburgici, vt cætera solent,quę causæ suæ minùs fauent,fraudulenter suppresserunt. His non dissimilia adferri poterãt ex Synodo Nicena secunda, Ephesina prima,Florentina, Francofordiana, Tridẽtina &c. sed superuacaneum duco: Nam si semel nobis certò persuasum est,Concilia œcumenica legitimè congregata de fide vel moribus statuentia errare non posse, sat est, si vel vnius Concilij decretum adsit. Qui verò ita comparati sunt,vt Concilia in vtroq; errare posse arbitrentur, illis per nullas vnquam Synodorum definitiones fiet satis.

Can. 7.

Actor. 6.

Actor. 11.

Magdeburgici Cẽturiatores illustrem locum Synod. Chalced. qui de Sanctorũ inuocatiõe agit fraudulẽter supresserunt.

satis. Dicent enim æquè errasse secundum, tertium, quartum, & sic deinceps, ac primum.

NEQVE verò putandum est, Sanctos ita generatim pro vniuersa Ecclesia intercedere, vt non etiã speciatim pro hoc vel illo Ecclesię membro nonnunq̃ interpellẽt: *Pro hac*, inquit Dauid, iniquitate mea, *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Hieremias quoq; & Onias & Angelus Dñi sanctus non deprecabantur pro orbis salute vniuersi, sed hic quidem pro Iuda Machabæo, populoq; eidem cõmisso, ille verò pro ciuitate sancta, & cæteris Palæstinæ oppidis determinatè. Pari modo Archangelus Raphael nõ cuiuslibet preces promiscuè in conspectu DEI recitat, easdemq; quod in se quidem est, explendas curat, sed Tobię & Sarę solùm.

Pſal. 13.

2. Machab. vlt.

Zach. 1.

Tob 12.

QVOD si cœlites generatim tantũ & non speciatim pro mortalium incolumitate intercedunt, vt falsò & absq; vllo prorsus rationis fundamento quidam asserunt, cur Ecclesia ad peculiares Diuos peculiares preces instituit? Cur DEVS singulis singulos & non omnibus vnum duntaxat Angelum custodem præficit? Cur sancti insignisq; eruditionis viri pro hac vel illa re vel homine sigillatim, & nõ generatim pro omnibus semper orant? Cur iidem tandem modò huius, modò illius Diui patrocinium speciatim expetunt, & non omnium simul? Aſt id non faciunt, aut certò ordinariè non faciunt.

Diui non generatim q̃ omnib? solùm, sed sæpe speciatim quoq; pro hoc vel illo intercedunt.

CYPRIANVS: Memores ô Corneli simus inuicem, et si quis nostrûm hinc prior discesserit, apud misericordiarum patrem non cesset oratio. Chrysostomus: O pater Nicolae, fungere legatione apud CHRISTVM Dominum, vt animæ nostræ salutem consequantur. Augustinus: Nec sic arbitror Nebridium inebriari ex illo fonte viuo, vt obliuiscatur mei, cùm tu Domine, quẽ potat ille, sis nostri memor. Hieronymus: Blesilla filia tua ô Paula pro te iam Dominum rogat. Gregor. Nazianzenus: Tu autem Athanasi è supernis propitius nos respice, & populum hũc sanctum dirige. Damascenus: Domina & mater sanctissima, quæ DEVM meum peperisti, amputata est dextera mea ob sanctas & diuinas imagines. Tu qua de causa Leo sęuiat non ignoras, proinde quanto citiùs succurre; Dextera enim altissimi, quæ de te incarnata est, per tuas intercessiones multas fecit virtutes: Sanet oro hanc meam dexteram tuis precibus.

Lib. 1. epist. ad Cornel.

In liturg.

Lib. 9. c. 3. cõfe.

De obit. Blesil. ad Paulam.

Orat. 18. in Athanas.

Ioan. Hierosol. in vit. Damas.

QVANTOS porrò fructus adferat ſpecialis oratio vel inuocatio, id quotidiana exempla probant, & plurima huius rei monumenta in publicis locis erecta, ad oculum penè demõſtrant. Piè, ſcribit Theodoritus, fideliterq; precatos, ea maximè cõſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulachra ſuſpendunt ex auro, argentoq; confecta. Hæc itaq; omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatẽ conſecutis allata. Hæc, inquam, ſepultorum ibi martyrum quæ ſit virtus, oſtendunt; Martyrum virtus, quem ipſi coluerunt DEVM, verum eſſe DEVM declarat. Huc quoq; ſpectat illud Baſilij Magni: Poteſt re ipſa & opere ſæpiſsime nobis compertum eſſe, inuocationem Sanctorum ad intercedẽdum pro nobis non ſolùm placuiſſe, verùm etiam iis, qui Sanctos, modò tamen piè & abſq; ſuperſtitione inuocaſſent, magno & admirando ſolatio, auxilio, & bono ceſsiſſe.

Lib. 8. Græc. affect.

Donariorũ vſus ad Diuorũ monumenta ob recuperatam ſanitatem ſuſpenſorũ res antiquiſſima.

In mor.

NEQVE turbare aut à Diuorũ inuocatione alienos nos reddere debet, quòd magnum inter nos in ſublunari hoc orbe cõſtitutos & Sanctos ſupra cœlos oẽs mobiles euectos ſpacium interiectũ eſt. Nam ſi Abraham epulonem illum Euangelicum interno tm̃ mentis ſtrepitu inclamantem potuit audire, & epulo viciſsim eundem Abrahamum reſponſantem percipere, inter quos tamẽ magnum chaos firmatũ erat; Si Elizęus puerũ Giezi cum Naaman Syro procul negotiantẽ veluti coram aſtantẽ videre, eidemq; quę ſibi, ſuæq; poſteritati olim euentura erant, prædicere; Si idem vates arcana Regis Syriæ cõſilia, quæ ille cum ſeruis ſuis ſecretò aduersùs Iſraëlem inibat, deprehẽdere, Iſraëlitarumq; Regi patefacere; Si Samuel Saulo patris ſui aſinas repertas, aliaq; pmulta, quæ ipſi euentura erant, indicare; Si reliqui Prophetæ humanis infirmitatibus adhuc cincti ea certò pronunciare poſſunt, quæ à ſola DEI voluntate dependent; Si Apoſtolorum princeps occultam Ananię & Saphirę conſpirationẽ deprehendere; Si Stephanus denique; in Iudęorũ concilio poſitus Filium hominis à dextris virtutis DEI ſtantem valuit contueri, cur Sancti, qui immenſum illud ſpeculum, in quo omnia relucent, irreuerberata mẽtis acie perpetuò cõtemplantur, preces ad ſe directas non intelligant; maximè cùm ea co-

Lucæ. 16.

4. Reg. 5.

4. Reg. 6.

1. Reg. 9. & 10.

Actor. 5.

Actor. 7.

ea cognitio ad illorum felicitatem non parum faciat? grauesque Theologi citra vllam hæsitationem istud de illis sentiant, publicéque doceant?

AVGVSTINVS: Animæ non clamorem vocis sed cordis audiunt: & se fideliter inuocantibus subueniunt. Nec magis clamosas preces audiunt, quàm eas, quæ sine voce vel in lingua vel in corde tantùm fiunt: quia neque à nobis verba, sed voces cordis tantùm audiuntur; cæterùm verba mente videntur. Cùm ergo animæ nostræ aliquid secundùm DEVM desiderant, & hoc sibi à DEO per Sanctos dari, siue corde, siue lingua, siue voce postulant, animæ Sanctorum, quibus idem est audire, quod videre, & è conuerso, non voces, sed verba intuentes, desiderata eis à DEO impetrant, vt habetis scriptum; desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Et aliquot capitibus ante hũc locum ita scribit: Cùm Sanctos in oratione inuocatis, sic oportet de eis cogitare constitutis in gloria æternæ claritatis, scilicet splendidissima lumina longè præ solis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in DEI visione habeant, & coniunctis se inuocantibus potenter subueniant.

De cog. veræ vitæ cap. 37.

Sancti piè inuocati, æquè internas atque externas voces diuina quadam vi excitati, percipiunt.

Psal. 10.

Cap. 9.

HVC quoque facit illud Gregorij Magni: Sicut hi, qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur ignorant; ita mortui vitam in carne viuẽtium post eos, qualiter disponatur, nesciunt, quia & vita spiritus longè est à vita carnis, & sicut corporea & incorporea diuersa sunt in genere; ita etiam distincta cognitione. Quod tñ de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ intus DEI omnipotentis claritatẽ vident, nullo modo credẽdum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Quod si nihil est foris, quod ignorãt beati, ergo oẽs nostras preces, omniáq; nostra desideria & vota explorata habẽt. Et illud rursum Basilij Magni:

Lib. 12. cap. 15. mor.

Sancti diuina claritate illustrati, quicquid quouis modo ad se pertinet clarè per illam lucẽ cognoscunt.

VIRGO seipsam primùm conscientiamque suam reuerebitur, etiamsi valde sit sola. Deinde sibi astantem custodem Angelum. Et infrà: Quid per singula pergam? ipsas Angelorum infinitas multitudines & vnà Patrum beatissimos spiritus reuerebitur; nullus enim ex iis est, qui non singula vbique consideret. Et illud tandem Hugonis Victorini: Non est incredibile, animas Sanctorum, quę in abscondita facie DEI veri luminis illustratione lætantur, in illius contemplatione ea, quæ foris aguntur, intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet.

Lib. de Virg.

Li. 2. p. 16. c. vlt. de Sacr.

Sicut enim Angelis ita & sanctis quoque, qui DEO assistunt, petitiones nostræ innotescunt in Verbo DEI, quod contemplantur. Hæc patres illi de beatarum animarum cognitione, quibus astipulatur vniuersa Theologorum Schola. Nam etsi de cognitionis huius modo nonnulla inter Scholę Theologos est controuersia, de reipsa tamen nulla penitus.

Sanctos petitiones nostras exploratas habere, commune axioma est, interim cognitionis huius modus, non est vsq; adeò certus.

IMO ipsum quoq; Euangelium eorundem sententiæ astipulatur; scriptum extat hîc enim: *Gaudium est Angelis in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Iam si Angelos reliquosq; cœlites (idem namq; de omnibus est iudicium) afficit peccatorum pœnitentia, afficiet eosdem quoq; iustorũ ruina: Siquidem eiusdem charitatis est gaudere de læto proximi successu, & dolere de tristi eiusdẽ casu. At peccatorum resipiscentia eosdẽ afficit, vt CHRISTVS disertis verbis testatur; ergo eosdem quoq; afficiet iustorũ ruina. Vtraq; autem affectio ponit cognitionẽ: Nam vt nemo tristatur de malo prorsus ignoto; ita nemo quoq; lętatur de bono prorsus incognito. Patet ergo Angelos, cæterosq; beatos hominum omnium & singulorũ lapsus & pœnitentias vel simpliciter, vel hactenus certè compertas habere, quatenus id ad illorum munus vel statum pertinet. Siue eiusmodi cognitionem hauriant ex verbo, in quo certa quadam ratione relucent omnia, siue ex peculiari reuelatione, quod magis videtur probabile, siue alio quocunque modo.

Luc. 15.

Mortaliũ lapsus & pœnitẽtiæ cœlestibus spiritib⁹ compertæ.

CAETERVM dum Angelos vel alios quoscunq; cœlesti gloria iam donatos fratrum suorum miseriis affici dicimus, aliud nihil significare volumus, quàm aliquem eiusmodi effectum edere, cuiusmodi illi solent, qui verè lugent. Idem accipiatur de cęteris eorundem pathematis & affectionibus; siquidẽ verus luctus nullum in iis locum habet. Sancti, scribit Augustinus, & sine ira puniunt, quos accipiunt æterna lege puniendos, & miseris sine miseriæ cõpassione subueniunt, & iis periclitantibus, quos diligunt, sine timore opitulantur. Nihilominus tamen istorum nomina passionum consuetudine locutionis humanę in eis vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem; sicut DEVS quoque secundùm scripturam irascitur, nec vlla tamen passione turbatur. Hæc Augustinus.

Li. 9. c. 5. de ciui. Quosensu Sãcti cæteriq; beati dicãtur tristitia vel dolore affici.

PORRO autem quòd diui vltrò vel precibus nostris prouocati pro nobis apud DEVM intercedunt, fidosq; mortalium patronos

&

& aduocatos frequenter apud eundem agunt, hoc supremi illius Mediatoris officio adimit nihil prorsus. Nam etsi & hunc & illos quoq; inuocemus, non vno tamen modo, nec simili mentis affectione id facimus: Siquidem CHRISTVM inuocamus vt patrem, vt seruatorem, vt vnicum salutis nostræ auctorem; quippe qui solus sua sacratissima morte & cruce ad patrem iter nobis aperuit. Cui proinde soli vnà cum Patre & Spiritu sancto hostias & sacrificia offerimus, decimas & primitias exoluimus, & cætera omnia, quæ soli DEO iure debentur, humiliter impendimus. Sanctos autem imploramus, vt causæ nostræ patronos & promotores, vt CHRISTI domesticos & amicos, vt secundarios quosdam ad vnicum illum inter DEVM & hominem μεσίτην & intercessorem mediatores & intercessores. Opus est mediatore ad mediatorem CHRISTVM, scribit Bernardus, nec alter nobis vtilior, quàm MARIA. Et in alio sermone de eadem matre Virgine ita scribit: Tenentes, charissimi, hanc viam, studeamus ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Et addit: Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.

Non eodē modo inuocatur Christus, & diuorum cœtus.

Sermon. vlt. de assumpt.

PRAETEREA si Diuorum preces summi & certa quadam ratione vnici illius mediatoris muneri quicquam omnino derogarent, multò magis eorum patrocinia & intercessiones eidem derogarent, qui in vitæ huius stadio constituti cum carne, mundo, & Diabolo adhuc confligunt; sunt hi enim multò minùs CHRISTO vniti & quasi vnum quiddam cum ipso effecti, vt nemo ignorat, quàm lumine gloriæ perfusi; siquidem multò arctior sublimiorque est vnitio illa, quæ fit per gloriam, quàm quæ per gratiam vel solam fidem. Ast illorum preces, vt obiter iam antè indicatum est, & ex scripturis planissimum est, nihil quicquam illi derogant, sed quiddam potiùs externi splendoris eidem conciliant. Constat namque, Apostolos perstudiosè id semper quæsiuisse, quod ad CHRISTI gloriam illustrandam & amplificandam quam maximè facere intelligebant; illi autem non modò pro aliorum salute indefessè DEVM interpellabant, sed aliorum preces & intercessionem anxiè quoque expetebant,

Intercessio Sanctorum Christi intercessioni nihil quicquā derogat, sicut neque illud quoque, q̄ præsidij causa viator viatorem interpellat.

VT

VT igitur mediatoris functione per omnia salua & incolumi viui pro viuentibus apud DEVM intercedunt, & iuxta CHRISTI & Apostolorum doctrinam salubriter intercedunt; ita illi quoque, de quibus est hîc sermo; & id quidem multò feruêtiùs & frequentiùs, quàm dum in mortali corpore adhuc degebant. Si Paulus cùm hîc esset, scribit Chrysostomus, vsque adeò dilexit homines, vt cùm dissolui cuperet & esse cum CHRISTO, ex animi proposito elegerit hîc esse: imò verò anathema fieri pro fratribus suis secundùm carnem, multò sanè magis illic feruentiorem amorem ostendit.

Ad c. 6. Rom. serm. vlt.

HVC etiam facit illud Hieronymi: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se debent esse solliciti, quanto magis post coronas & triumphos? Et infrà: Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à DEO veniã, & Stephanus imitator Domini & primus martyr in CHRISTO pro suis persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum CHRISTO esse cœperint, minùs valebunt? & illud rursum Ambrosij: Petrus & Andreas tunc cùm viuerent, potuerunt rogare pro viduis, nunc omnia possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Et illud tandem Augustini: Exauditus est Stephanus, vt eius oratione deleretur peccatum, quod commiserat Saulus. Commendemus igitur nos orationibus eius, multò enim magis nunc exauditur pro oratoribus suis à regnante Domino nostro IESV CHRISTO. Similia apud eundem leguntur super Exod. cap. 108. Serm. 244. de tempore, de spiritu & anima cap. 95. lib. medit. cap. 29. de cura pro mortuis agenda cap. 5. & 6. De ciuitate lib. 22. cap. 8. & cont. Faust. lib. 20. cap. 21. de spiritu & litera lib. 1. cap. 59. de cognit. lib. 1. cap. 39. & alibi frequenter.

Hier. cont. Vigil.

Lib. de vidu. Ser. 1. de Sanct.

AT verò cùm Ecclesia per Sanctorum preces viam nobis ad CHRISTVM ostendit, non est id ita accipiendum, quasi rectè citra cuiusquam Sancti intercessionem ad ipsum, aut per ipsum ad patrem accedere non liceat; licet id enim, & frequentissimè vsurpatur, indicat autem quid rectè, Catholicéque fieri queat, quidue difficilioribus temporibus fieri magnopere expediat. Poterat sanè Centurio Euangelicus nulla legatione interposita, rectâ ad CHRISTVM ire, moribundíque serui exuscitationem efflagitare; sed quia indignum se censebat, qui proximè per se CHRISTVM conue-

Licet Diuis prætermissis rectâ ad Christum & per Christũ ad Patrem contendere, sed nõ semper expedit.

conueniret, mirificè sua illa animi submissione & fide Seruatori nostro placuit,& expetitum nihilominus sanitatis beneficium citra vllam moram obtinuit. Matth. 8. Lucæ 17.

VERVMENIMVERO haud magna cum re is diuorum suffragia & intercessionem efflagitat; qui in peccatorum sordibus iacens, de vitæ emendatione nihil cogitat. Debent enim Sancti aliquid in nobis recognoscere de suis virtutibus, vt scribit Augustinus, vt dignẽtur pro nobis Domino supplicare: Quare si segnes, desidesq; fuerimus, nec iustus, nec Propheta, nec Apostolus nobis patrocinabitur. Non quasi desides & otiantes de aliorum meritis pendeamus, scribit Chrysostomus, habent enim & quidem maximam vim orationes Sanctorum, sed tunc profectò cùm nos idipsum quoque per pœnitentiam postulamus, & ad meliora studia confugimus. Et hæc de Sanctorum inuocatione breuiter, quæ maiorem partem desumpta sunt ex capite tertio disputationis, quam inter alias de Diuorum cultu & inuocatione, eorundemq; reliquiis & imaginib⁹ superioribus annis Ingolstadij ꝓposuimus. Ser. 2. & 22. de marty. Ad c. 16. 1. Cor. hom. 42.

De iis pro quibus orandum, vel non orandum est.

CAPVT DVODECIMVM.

QVAESTIO, quæ hîc tractanda proponitur, paucis, si qua necessitas vrgeret, absolui posset; Interrogatus namque pro quibus orare conueniat, liceat, aut expediat, breuissimè pro iis omnibus & solis respondere is queat, quibus precibus nostris, vt vitam æternam consequantur, vel faciliùs consequantur, prodesse valemus. Cuiusmodi sunt illi soli, qui etiamnũ in hac mortali vita peregrinantur à Domino, vel propter peccatorum reliquias exercentur in igne purgatorio. Nam quicquid infra hominem positum est, hoc totum æternæ fœlicitatis capax non est, sancti autem Angeli, cæteríque cœlesti gloria iam potiti, re nulla, quæ nostris precibus impetrari valeat, indigent. Dæmones tandẽ & cæteri dãnati pluribus egent, sed quia peccatis suis obstinato animo adhærent, per nullas preces ad vitam æternã promoueri valent. Verùm quòd in his omnibus occurrant quædam, quæ nonnullam explicationem postulãt, de membris obiter hîc iam prælibatis aliquantò articulatiùs disserere placet. Duo tantùm hominum genera pro quibus orandum est.

Homo æquè obligatur p se ipso orare, atque seipsum diligere.

Et quidem vnumquemlibet mortalium pro se orare posse, & orare quoque pro se debere, id extra omnem controuersiam est. Nam præterquam quòd charitatis ordo postulat, vt homo secundùm Deum seipsum diligat, omnis quoque rectè instituta oratio huc tendit, vt bonum, quod non habetur, per orationem impetretur, vel vt habitum conseruetur & augeatur; vèl certè vt malum, quod cruciat, auferatur, aut quod impendet, coërceatur, vel aliô transferatur. At quilibet se suamque salutem verè & ex animo diligens, hæc omnia iure meritóque desiderare & consectari potest, imò verò desiderare & consectari debet. Quicquid autem licitè desideratur, hoc licitè quoque petitur. Ad hæc fructus, quos pia oratio de se fundit, sunt planè admirabiles; sed quilibet non modò inculpatè eiusmodi fructus optare & efflagitare valet, verùm etiam si seipsum non odit, exoptare & efflagitare necesse habet. Denique vnumquemlibet ea quærere & procurare oportet, quæ ad obtinendam vitam sunt necessaria; hæc autem citra orationis præsidium ordinariè non impetrantur nec impetrari possunt, licitè ergo istiusmodi expetuntur.

Qua lege proximum obligamur diligere, eadem tenemur pro eo quoque orare.

Quod autem quilibet pro aliis orare queat, & interdum etiã orare debeat, id iisdẽ illis argumentis & rationibus demõstratur, quibus modò demonstratur pro se ipso orare posse & debere. Nã qua lege & ratione proximũ obligamur diligere, eadẽ etiam obligamur pro eodem orare, eiusdemq; salutem promouere, & Deo commendare: atqui sub æternę salutis discrimine tenemur ipsum diligere, cùm hæc dilectio inter præcipua legis naturæ & Euangelicæ præcepta contineatur: Siquidem Christvs Dominus interrogatus, quod esset magnum, hoc est, primarium in lege mandatum, ita respondet: *Diliges Dominum* Deum *tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* At verò alterum diligere, aliud nihil est quàm alteri bene velle, vel bonum aliquod eidem optare; ille autem alteri bonum non desiderat, vel non admodum intensè desiderat, qui oblata opportunitate & nonnulla etiam vrgente necessitate desideratum bonum eidem procurare non studet. Bona autem spiritalia, quòd in nostra potestate non sint posita, alia commodiori ratione quàm oratione alteri procurare non possumus.

Matth. 22.

Quid sit alterũ diligere.

Prae-

PRAETEREA vt vnius corporis capitisque membra sibi mutuò seruiant seséque mutuò iuuent defendantque, id non modò charitatis lex suadet, sed ipsa etiam rei natura postulat: Atqui omnes vnius corporis & capitis membra sumus; æquum proinde & rationi quoque consentaneum est, vt pro inuicem oremus, pro inuicem solliciti simus, mutuáque onera portemus], præsertim cùm CHRISTI lex non modò disertis verbis id iubeat, sed propria quoque vtilitas potenter suadeat: siquidem pro aliis orantes & meritum colligimus, si rectè id facimus, & ad id impetrandum, quod petimus, facilem viam nobis munimus. Deniq; extant quàm plurimæ scripturarum exhortationes, quæ partim in genere pro omnibus, partim in specie pro hoc vel illo hominum genere preces à nobis efflagitant.

Vtile & salutare est pro aliis orare.

CAETERVM quòd proximorum nomine varij mortalium ordines comprehendantur: Nam & beati sunt proximi; & aliquo etiam modo damnati sunt proximi (communicant enim nobiscum natura etsi non gratia) & pœnis purgatoriis mancipati sunt proximi, & non modò iusti, sed cuiuscunque etiam generis iniusti & peccatores, vt sunt hæretici, pagani, excommunicati, &c. sunt proximi, quæstionem nonnullam habet, pro iis ne omnibus orare liceat, expediat, vel oporteat.

Proximi notio nomenque latè patet.

HABET sanè hoc quæstionem nonnullam, sed non admodum difficilem, certum est enim, pro iis orare non licere, quos cœlesti beatitudine donatos esse certò constat: Siue ea certitudo proueniat ex communi orthodoxorum sententia, siue ex publica Ecclesiæ doctrina, siue vndecunque aliunde. Siquidem idem est iudicium de martyribus & cæteris beatis, pro martyre autem orans adeò sua oratione illum non honorat, vt manifesta quoque iniuria afficiat. Nam hoc ipso quòd pro illo orat, quippiam illi deesse, quod per orationem, quam pro eo fundit, impetrare possit, facto ipso declarat: hoc autem aliud nihil est, quàm reipsa ostendere beatum non esse: implicat enim aliquem verè perfectéque beatum esse, & nostræ adhuc opis egentem esse.

Pro certò beatis orare non licet.

Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre & quare.

AD hæc vbi nulla vrget miseria, aut premit inopia, ibi nulla opus est releuante misericordia, aut adiuuante gratia; sed beati ad vnum omnes immunes sunt ab omni miseria, & nullius penitus

Cuiusmodi orationis cuiusque ferè sit scopus.

rei inopia laborant: Quamobrem cùm omnis omnino oratio huc tendat, vt aliquam subleuet penuriam, aut aliquam submoueat miseriam, cõsequitur, pro spiritibus beatis nullo modo orandum esse. Sed & posito quoque, aliquid deesse Sanctis ad obtinendam perfectam beatitudinem, adhuc nostræ orationis præsidio non indigerent: Nã cùm Deo sint coniunctissimi, eidemq; charissimi, & in plerisq; omnibus de eiusdem voluntate certi, longè faciliùs per se impetrarent, quicquid deesset, quàm per quemcunq; alium in hac mortali vita adhuc constitutum.

Salus plerorumque hinc emigrãtiũ nobis est incerta, adeoq; pro omnibus defunctis salubriter oratur.

Cvm itaque cœli ciues nullius rei, quæ pro præsenti rerum statu illis debeatur, egere certò sciamus, neque dubitemus quoq; quin ad quiduis impetrãdum sint efficacissimi (siquidem nulla in illis est impetrandi indignitas, aut repulsæ dignitas, & nulla rursum de eorum euentu, quæ adhuc expectant, ambiguitas) non modò superuacaneum est de industria pro illis orare, sed stultum quoque planéque temerarium. Verùm si res incerta est, vt de plerisque hinc decedentibus incerta esse solet, nihil obstat quòminùs pro iis oretur; Cedunt enim eiusmodi preces in gratiarum actionem, & in qualemcunque etiam accidentariam eorundem gloriam: Gaudent enim de bonorum operum fructu, déque peculiari sui in terris memoria, sed vtrumque in Domino.

Nullo modo ꝑ iis orare licet, quos communi Ecclesiæ iudicio constat esse damnatos.

At multò verò minùs pro iis orandum est, quos communi Ecclesię iudicio certò dãnatos esse constat. Quales sunt ij omnes, qui mortifero peccato obstricti, vitæ finem fecerunt: Siquidem studio pro talibus orare, aliud nihil esset, quàm certa quadã ratione contra certum Dei decretum pugnare. Certa enim fide nouimus, quotquot in lethali crimine citra pœnitentiã extinguuntur, eos ad vnum omnes in ignem æternum amandari, indéque nullo vnquã tempore emergere, vel certè nunquam ita inde emergere, vt eô redire necesse non habeant: Siquidem in inferno nulla est redemptio. Adhæc vt paulò antè indicatũ est, pro iis tantùm orandum est, qui precibus nostris adiuuari possunt; Damnati autem, quòd pœnitentiæ capaces omnino non sint, nullis precibus à damnationis vinculis liberari queunt. Deniq; communis theologorum sententia est, hoc homini mortem esse, quod Diabolo casus; Diabolus autem semel lapsus nunquam ampliùs resurgit, neque resurgere potest. Quamobrem quod de principe Traiano fertur,

Hoc homini mors, quod Diabolo casus, & vice versa.

aut

aut extra communem legem factum est, aut certè iudicium illius vsq; ad illud tempus suspensum fuisse putandum est; potest enim DEVS propter causam aliquam, quam ille futuram cognoscit, iudicium ad tempus suspendere: quemadmodum extraordinaria quadam lege aliquando suspendisse legitur, & eorum omnium suspendisse creditur, quos Apostoli vel alij sancti viri in infidelitate vel alio grauiori peccato exstinctos in vitam reuocarunt.

SED obiicis: Ecclesia nonnunquam etiam pro damnatis orare videtur; Siquidem in sacris, precibusque funebribus multa vsurpat, quæ magis in damnatos quadrant, quàm in eos, qui detinentur in purgatorio: Cuiusmodi inter cætera sunt illa; libera eas, Domine, de ore leonis, de pœnis inferni, de morte æterna, de profundo lacu, de iudicio vltionis, aliaque eiusmodi non pauca? Ad hoc argumentum dilucidè & fusè à nobis responsum est in tractatu de purgatorio: inde solutionem petat, qui volet: nunc obiter dixerim, non omnes precandi formulas vsu receptas ad scholasticam amussim confectas esse. Maius enim priscorum studium fuit fidelium deuotionem excitare, quàm omnes vbique propriè loquendi formulas anxiè obseruare; Ecclesia autē omnes orationes illas toto animo, totaq; mentis intentione ad eos solos refert, qui expiantur in purgatorio, quod propter loci & ignis & pœnarum cognationem, &, vt quibusdam placet, identitatem iisdem passim nominibus designatur, quibus infernus.

Non omnes preces Ecclesiasticæ ad Scholasticam amussim sunt confectæ.

ORAT ergo misericordiarum Patrem ne fideles vita iam defunctos demergat, aut cadere sinat in obscurum vel infernum, vel profundum lacum, hoc est, ne in purgatorium iam deiectos, diu multumque in eo detineat; verùm pro sua misericordia citò inde eripiat. Neque si quis Ecclesiæ voces sensu plano, omni prorsus tropo secluso, accipiendas contendat, causam statim obtineat, Nam etsi DEVS Opt. Max. nunquam illos in damnatorum infernum demersurus sit, qui in illius gratia vitæ finem fecerunt; attamen si absoluta potestate vti vellet, propter acceptā iniuriam; imò verò citra vllam acceptam iniuriam, facere id posset, adeóq; non frustra rogatur ne id faciat. Quod hîc dicimus, CHRISTVS Dñs dum ita concionatur: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus; timete autem eum, qui posteaquam occidit corpus, habet potestatem mittere in gehennā*, neutiquam obscurè confirmat. Quæ enim dicit huc tendunt: Ea

Quamuis Deus illos qui in purgatorio detinētur nunquā condemnet, potesta te tamē absoluta vsus condēnare posset. Luc. 12.

mea est potestas, vt omnes in quocunq; statu vitæ munere pfunctos in gehennam mittere queam, si velim: Hac tamen potestate non semper vtor; me proinde magis quàm tyrannorum gladium timete. Hanc sententiã CHRISTI verba de plano offerunt, neq; aliter veteres Theologi hunc Euangelistæ locũ exponunt: Igitur,

Ad cap. 12. Luc.

scribit Theophylactus, non omnino posteaquã occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittẽdi: Ne igitur cessemus per eleemosynã & intercessiones propitium reddere eum, q̃ potestatem habet mittendi, non semper autẽ potestate hac vtentem, sed & valentem remittere quiddam. Et eodem illo capite rursum:

VIDES quòd non dixerit, metuatis eum, qui posteaquam occiderit, mittit in gehennam, sed habentem mittendi potestatem: Non enim semper, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate DEI, vt etiam dimitti posint. Hoc aũt dico propter oblationes & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ nõ parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Hæc Theophylactus Bulgauæ Episcopus, quæ purgatorij fidem, eaque, quæ diximus, ita confirmant, vt quædam tamen ex iis commoda expositione indigeant. Neque enim, quæ de DEI potẽtia hîc asserit, de ordinaria potentia accipienda sunt, sed tãtùm de absoluta; Sic quoq; quod de grauibus peccatis subiungit, ad peccata mortifera in vitæ huius statione per veram pœnitentiam non condonata, referri non potest, sed ad lethalia per pœnitentiam quo ad noxam quidem hîc inducta, quo ad pœnam autem debitam in partem adhuc reliqua.

Theophylacti oratio de potentia Dei & grauiorum peccatorũ remissione commodè exponenda.

QVOD autem hæc Theophylactica purgatorij fidem diserte constituant, patet: Dicit namq; quosdã defunctos esse, pro quibus orandum sit, propterea quòd DEVS illos in gehennam mittere queat, etiamsi nõ mittat; Iam hîc ex illis quæro, qui purgatorium negant, et Theophylactum pro se stare falsò affirmant, vbinam sint illi? Non in terra, quia iam in viuis esse desierunt; Nec rursum in cœlo? quia pro talibus non est orandum, vt paulò antè ostensum est perspicuè: Nec etiam in inferno? asserit enim in gehennam necdum missos esse, mitti tamen posse; Nec deniq; sunt in Patrum aut puerorum limbo? quia nihil penitus cum illis pueris aut Patribus commune habent. Cùm ergo nullus alius sit locus, quàm purgatorium, sequitur necessariò, Theophylactum de iis

Locus elegans et euidens Theophylacti p purgatorio.

de iis ex instituto agere, qui expiantur in emendatorio illo igne.

QVAMVIS ergo, (vt ad argumenti solutionem reuertamur) ex purgatorio certò liberandi sint omnes, qui in eo detinentur, non frustra tamen rogatur DEVS, vt inde liberet, vel ne in infernum demergat: quia si vellet posset eô præcipites agere, vel inde nô liberare. Neque nouum aut inusitatum est pro iis orare, quæ certò euentura sunt, sua tamen natura eiusmodi sunt, vt certò euenire nô queant. Decreuerat, exempli causa, DEVS certò carnem suscipere, & quidem eo modo, tempore, & loco, & tamen grata fuit illi oratio Sanctorum, qui pro eius aduẽtu feruidè orabant. Sic certò rursum statuit omnibus verè & ex animo pœnitentibus veniam dare, & tamen placet illi pœnitentis oratio, qua precatur, vt dignam pœnitentiam acceptare dignetur. Sic tandem sanctè promisit, se Ecclesiæ œcumenicisq; Conciliis legitimè congregatis nunquam defuturum, & tamen grata sunt illi vota & preces, quibus illius præsentia & assistentia religiosè expetitur.

Earum quoque rerum causa lubriter orari, q certò euenturæ sunt.

ORATIONES porrò, quas Ecclesia pro illis fundit, de quorũ salute dubitat, nô eô ptinent, quasi suis precibus eorum pœnã abolere, aut diminuere studeat, q iam ardent apud inferos, suãq; pœnam certa mẽsura & pondere taxatã habent (nouit em tales salute potiri non posse) referuntur aũt eiusmodi preces ad eos, qui vsq; adeò pditè vixerant, vel tam tepidè conuersi mortem obierant, vt dubium sit nô parũ, digníne sint, quibus suffragiorũ præsidia, quæ pro illis fiunt, applicẽtur, esto sub vitæ finem pœnitudine ducti, in purgatorio detineantur. Nam etsi efficacium suffragiorũ basis sit gratia, cõmuniq; lege ij oẽs illorum capaces censeri soleant, qui non absq; gratia vitę finem fecerunt, nihilominus, vt magnis quibusdã Theologis non sine ratione placet, pręter cõmunem legem fit, vt ij, qui aliis cùm potuissent & debuissent, suffragari contempserunt, vel pœnitentiã vsq; ad vltimum vitæ hiatum studio distulerunt, suffragiorũ fructu, quæ illorum causa fiunt, DEO præteritã illorum negligentiam puniente, nô plenè semper potiantur. Orat proinde Ecclesia, si tales promeriti non sint, vt per communia vel priuata suffragia à taxatis pœnis liberentur, hactenus saltem illis prosint, quatenus aliquantò mitiùs remissiúsue puniantur, quàm alioqui puniendi erãt. Constat ex his ergo pro iis orare nô licere, quos Ecclesia certò iudicat dãnatos, inferníue cruciatibus mancipatos.

Quô spectent orationes, quas Ecclesia pro iis fundit, de quorum salute dubitare videtur.

Non omnibus semper prosunt suffragia etiamsi gratia destituti non sint.

EST

In ope. de purg.

Salubriter p iis oratur, qui detinentur in purgatorio.

Est autem ardenter, fideliterq; pro iis orandum, qui expiantur in purgatorio, vel in eo expiari probabiliter creduntur, vt qui orationis præsidio magnopere indigeant, suffragiorumq; præsidio subleuari queant. Posset id fusè & validè probari; verùm cùm ex Scripturis & sanctorum Patrum monumentis, perpetuaq; Ecclesiæ praxi sit notissimum, & alibi prolixè & validè à nobis demonstratum, nullum est operæprecium nouam hîc denuò eade re tractationem instituere, maximè verò cùm frustra cum iis laboretur etiam in politicis, qui vniuersales ritus, perpetuasq; maiorum traditiones & consuetudines non recipiunt: Nisi forsan recepti ritus vel consuetudines sint tales, quæ cum lege, aut ratione, aut diuinarum scripturarum auctoritate pugnent, quod hîc locum non habet. Scripturæ enim disertè astruunt sanctum & salubre esse pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur: Astruunt idem etiã quàm plurima Ecclesię Catholicæ decreta, innumeraq; sanctorum Patrum testimonia, & confirmant tandem multa humanæ rationis argumenta. Quare verbum ea de re hîc amplius non addo.

Pro omnib⁹ viuentibus quantumlibet obstinatis orandum est.

Matth. 22.

1. Tim. 2.

Iacob 5.

Marc. 2.

1. Ioan. 1.

Sed quid de viatoribus, nunquid pro iis omnibus orandum est? Omnino; siquidem nullus mortalium est, cui gratiam & peccatorum remissionem, adeóque vitam æternam optare non debeamus. Iubemur namque proximum diligere sicut nos ipsos, nobis autem hæc omnia desiderare & procurare obligamur. Adhæc si pro aliquo in hac vita etiamnum constituto orandum non esset, maximè pro eo orandum nõ esset, qui in peccatis planè obstinatus videtur; pro talibus autem orandum est, & sæpe & feruidè orandum est. Nam vt Augustinus & alij Patres docent, de nullo desperandum est, quam diu vitæ huius spiritum duxerit: Quam diu enim viuitur, de morte ad spiritalem vitam per Dei gratiam patet reditus. Quare etiam Apostolus Paulus pro omnibus hominibus orationes, obsecrationes, & postulationes fieri iubet. Iacobus quoque neminem à communi oratione excipit: *Orate*, ait, *pro inuicem vt saluemini*, & vterque ad Christi doctrinam & vitam consentaneè. Constat enim illum non pro iustis tantùm, sed pro omnibus morte oppetiisse: Imò pro peccatoribus præcipuè: ait namque: *Non veni vocare iustos, sed peccatores*. Ecclesia tandem pro omnibus orat, etsi non semper pro omnibus publicè. Docet sanè

sanè Ioannes, pro iis orandum non esse, qui peccant peccatum ad mortem, verùm is, vt alibi ostensum est, non loquitur de viuentibus: sed de iis, qui in mortifero peccato citra vllam veram pœnitentiam, aut veræ pœnitentiæ significationem extincti sunt.

DICIS: Frustra pro iis oratur, qui gloriam aut peccatorum remissionem consequi non possunt: Præsciti autem & qui in Spiritum sanctum peccant, neutrum queunt. Præterea pro illis orandum non videtur, pro quibus non orat Ecclesia: Sed hæc pro hæreticis, excommunicatis paganis, catechumenis, Iudæis, aliisque similibus orare non solet. Sed neque pro illis quoque orare tenemur, quos secundùm corpus & animam iure occidere possumus: In bello autem iusto non modò paganos & infideles mactare licet; verùm etiam fideles & Christianos. Quotquot autem in tali bello perimuntur, secundùm corpus & animam pereunt, vt qui vel infideles existant, vel iniusti belli peccato sese contaminent. Denique pro altero orare, & alteri dira imprecari inter se pugnantia videntur: Sed Dauid & alij Prophetæ improbis & sceleratis dira passim imprecantur; non est ergo vniuersaliter verum, pro omnibus promiscuè, nemine prorsus excepto, orandum esse.

VERVM licet hæc nonnullam difficultatem adferant, esse tamen in hac vita, pro quibus orare non liceat, euidenter non probant. Nam ad primum quod attinet, licet peccatum in Spiritum sanctum irremissibile perhibeatur, nō est tamen eiusmodi simpliciter; nisi quis forsan peccati huius nomine finalē impœnitētiam designatam existimet: Constat enim, permultos peccare in Spiritum sanctum, qui tamen conuertuntur & salui fiunt. Appellatur nihilominus peccatum illud irremissibile, quia difficulter remittitur: Siquidē qui ex destinata animi malignitatē malè agunt, non ea facilitate ad veniam admittuntur, aut ad veniam aspirant, qua illi, qui ex inscitia vel infirmitate labuntur. Quamobrem Philosophus studio vel ex certa malitia peccātes simpliciter ἀμεταγνώστους pronunciat. Attamen quòd tales etiamnum in vita degant, neque voluntatem in malo simpliciter adhuc obfirmatam habeant, orare pro illis licet; imò verò pro huiusmodi orare omnino oportet: Nam & maximè egent, & diuinæ misericordiæ præsidio ad sanam mentem redire adhuc valent.

Cur peccatū in Spiritum sanctū irremissibile dicatur, cùm sæpe tamen remittatur.

Ioan. 11.

Quo orationis genere vtẽdum ad profligãdum peccatum in Spiritum sanctum secũdùm quosdam.

AT sunt interim, qui in hoc peccati genere quadam potiùs insinuatione vtendum putant, quàm oratione, aut postulatione, aut aperta petitione. Quemadmodũ, exempli causa, Maria & Martha sanationem vel excitationem Lazari, per quem, vt Hugoni Victorino & aliis quibusdã placet, obstinati peccatores designãtur, veriùs insinuarunt, quàm apertè petiuerunt. Quô etiam Bernardus alludens alicubi ita scribit: Non audeo apertè dicere, Domine veni, suscita mortuum nostrum, corde tamen suspenso tremulus intus clamare non cesso. Sed & Augustinus quoq; fatetur propter rei difficultatem, eiusdemq; grauitatem & magnitudinem, pro talis peccati remissione gemendum & suspirandum esse magis, quàm orandum. Tandem vtcunq; CHRISTI dictum exponatur, vel pro iis oretur, qui peccatũ in Spiritum sanctum admisisse dicuntur, certum est, nullum flagitium esse tantum, quod per veram pœnitentiam in hac vita aboleri non queat.

Tõ. 22. q. 83. 7.

AD id quod de præscitis obiiciebatur, respondent quidam, vt nemini in hac vita subtrahenda est correctio fraterna, quia nescitur, quem DEVS proiecerit; ita pro omnibus indiscriminatim orandum esse, quia in hac vita præsciti à prædestinatis secerni non possunt. Verùm ex hac doctrina sequitur, pro præscitis in cõmuni vel pro iis, quos præscitos vel incorrigibiles esse certò constaret, orare non licere: Quod consectarium tametsi durum videatur, ratione tamen & CHRISTI exemplo quadantenus fulcitur. Ratione quidem, quia oratio, quæ finem, ad quem dirigitur, cõsequi non potest, frustra funditur; CHRISTI verò exemplo, quia licet is frequenter orarit, nusquam tamen disertè pro præscitis orasse cõperitur; Imò verò alicubi incredulos & obstinatos omnes à sua oratione excludere videtur. Ait enim: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: & non pro iis tantùm, sed pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ex eadem quoque solutione sequitur, si cui DEVS damnationem suam reuelasset, eum pro se ipso orare non debere. Quod ipsum quoq; consectarium æquè durum videtur atq; alterum illud.

An Christus p præscitis quandoq; orarit.

Ioan. 17.

Cùm Deus aliquẽ reprobat, aut reprobare dicitur, bifariã id intelligi potest.

VT illud ergo, quod prima fronte durum apparet, nonnihil mitigetur, aduerte DEVM aliquem reprobasse vel reiecisse bifariam intelligi posse: Vno modo absolutè, nullius omnino operis aut qualitatis personæ habita ratione; & contra eiusmodi voluntã-

luntatem, modò certò de ea constiterit, non est nitendum, oppositum quacunque oratione vrgendo; quia eiusmodi obnixus esset frustraneus, & suo quoq; modo temerarius. Altero modo DEVS reiicit vel reprobat non absolutè, sed ex causa penes reprobatum hærente, puta propter scelera, quæ in reprobato hærere, & ad finem vsq; vitæ hæsura videt, & hoc modo reprobat quoscunq; reprobat. Neq; enim, vt est apud Augustinum, DEVS priùs est vltor, quàm homo sit peccator, pro eiusmodi autem præscitis salubriter oratur, quandoquidem illorum damnatio maiorem partem dependet ex libero eorundem arbitrio. Possunt namque si velint oblatam DEI gratiam admittere, & pœnitere, sicut eãdem quoq; possunt repudiare. Neque qui pro talibus orant, diuinæ voluntati sese opponunt, sed eidem oppidò sese conformant: Vult is enim pro omnibus orari, vt salui fiant.

Deus neminem reprobat citra præuisum peccatum.

SED & dato quoq; hunc vel illum certò perituru esse, eiusq; rei certa documenta extare, adhuc oratio locum haberet: Siquidem hoc casu posito orare licet, vt morti destinatus minùs pecc̃et, & ex consequenti minores pœnas apud inferos luat, quandoquidem liberari à noxarum parte, est liberari à parte pœnæ. Ad quem orationis vsum D. Bonauentura alludens, iis, qui de sua finali salute fluctuabant, ita dicere solitus erat; Age, fac bonum, de bono opere nunquam condemnaberis.

Etiam illis pioꝝ oratio prodesse potest, qui certò perituri credũtur.

QVOD ex orationis CHRISTI ratione petebatur, parum vrget: Fieri enim non potest, vt fide destituti vel mundo addicti, vt eiusmodi, salui fiant. Quamobrem vt CHRISTVS non orauit, nisi pro iis, qui vel iam tum mundo mortui, in illum credebant, vel olim crediturí erant, vt salute potirentur; ita neque nos quoque orare debemus, vt infideles, aut mundo dediti, aut quocunque peccato obstricti, quatenus eiusmodi sunt, salutem consequantur: Hoc enim pugnaret cum ratione & ordine, quem DEVS instituit. Orandum est autem, vt infideles ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam conuertantur, & mundo eiusdemque vanitatibus dediti mundo moriantur, & ita tandem salui fiant. Et hoc sensu CHRISTVS mundanos & infideles à sua oratione nequaquã excluſit; Excluſit autem hactenus tantùm, quatenus in sua infidelitate, aut mundana vanitate perseuerarent. Pro iustis ergo orandum est, vt in iustitia perseuerantes salui fiant,

Quo animo orãdum sit pro mũdanis vel infidelibus vt salui fiant.

pro peccatoribus autem & infidelibus & mundanis, vt mundo spreto, peccatoque & infidelitate abiecta, ad DEVM ex animo conuertantur, & per eiusmodi conuersionem vitam æternam consequantur.

AD alterum consectariũ, quod ex allata argumenti solutione inferebatur, eodem modo respondendum est, quo iam respõsum est ad primum. Nam si cui DEVS patefaceret, sese velle ipsum absolutè, nullius prorsus boni vel mali operis habita ratione, ad infernum detrudere, (id quõd nunquã fecit neq; vnquam facturus est) præscitus eiusmodi pœnã deprecari non deberet, ne videlicet Dei voluntati sese opponeret; Si aũt non absolutè se id velle indicaret, sed ea tantùm lege & conditione, nisi vitam & mores corrigeret, vel à peccatis desisteret; Quemadmodum per scripturas iam olim id reuelauit, & quotidie per suos ministros inculcare non desinit, pro se vtiq; orare deberet. Constat ergo pro præscitis & incorrigibilibus orandũ esse, nisi omnib. modis sint incorrigibiles, quod in hac vita locũ non habet: Quamdiu enim decurrit præsens hæc vita, correctionem sperare licet. DEVS enim viuentibus non negat suã gratiam & misericordiam, modò faciãt quod in se est; adeoq; pro omnibus orandum est, etiam pro pessimis. Verùm post hanc vitam, si adsit peccatum mortale, nulla speranda est correctio.

In hac mortali vita nemo absolutè incorrigibilis, adeoque pro omnibus viuentibus orandum est.

CVM verò inter progrediendum allegatur, Ecclesiam pro paganis, hæreticis, excõmunicatis, &c. orare non solere, id allegatur, quod apertè falsum est; Ecclesia enim pro omnibus viuentibus orat, cuiuscunq; demum status, ordinis, sectæ, aut conditionis illi fuerint. Nouit eñ, Christum pro omnibus mortuum esse, Deum item velle, omnes saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire: Neque ignorat, Apostolum pro omni hominum genere orationes, postulationes & obsecrationes indixisse, eundẽq; fideles cõiuges, ne infideles deserant, si qua conuersionis spes est, fideliter admonuisse. Fatendum est tamen, & fatemur libenter, Ecclesiã propter graues causas pro excõmunicatis, hæreticis, paganis, catechumenis, & Iudæis, publicè ordinariè non orare; verùm aliud est, simpliciter pro hoc vel illo non orare, aliud palàm non orare. Certum est enim, non solùm publicas preces efficaces apud DEVM esse, verùmetiam priuatas. Orat proinde Ecclesia pro omnibus salutis quouis modo capacibus, etsi non pro omnibus publicè.

1. Tim. 2.

1. Cor. 7.

Ecclesia pro omnibus hominibus orat, sed nõ pro omnibus publicè.

AD

AD tertium respondetur, potestatem occidendi hostem in bello iusto, legem, qua pro proximo orare obligor, nequaquam infirmare: siue enim propria auctoritate legitimum bellum administro, siue sub legitimo duce stipendia facio, si alia ratione ius meum obtinere, aut ad scopum mihi præfixum peruenire non valeo, iure contumaci hosti, vitam adimo. Sed interim non solùm desiderare, sed si tempus suppetit, orare quoq; debeo, vt de iniustitia sua pœnitentiam agat, ne secundùm vtrumque hominem simul pereat. Quod si resipiscere, suumque peccatum agnoscere & detestari non voluerit, non occidentium sed sua culpa perit: Debebat enim ab iniusto bello desistere, vel certè de iniustitia sua pœnitentiam agere. Idem de illis statuatur, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ latrones vel quoscunque inuasores vel oppressores fortè occidunt.

Quomodo citra peccatum hostē in bello iusto patiri liceat, etiamsi illum interiturum certò constet.

AD vltimum dicitur, imprecationes illas, quas viri sancti in obstinatos peccatores, coniuratosque DEI hostes interdum depromere videntur, quasdam futurorum euentuum denunciationes esse veriùs quàm absolutas imprecationes. Quod enim ad illorum mentem attinet, idem est confundantur, pereant, mendicent, gladio consumantur, &c. quod confundentur, peribunt, mendicabunt, gladio consumentur. Quod si veræ rationis orationes vel imprecationes sunt, vt quidam non improbabiliter defendunt, non tendunt in sceleratorum perniciem, sed salutē. Etenim cùm ad eum improbitatis statum adducti sunt, vt nullis ampliùs admonitionibus acquiescant, Sancti imprecantur illis varij generis flagella, quò per hæc admoniti & excitati ad se redeāt, Deumq; ex animo quærant, ac ita salui tandem fiant. Vnde secundùm Augustinum Prophetæ & alij sancti perfectique viri non imprecantur DEI inimicis mala, vt homines sunt; sed vt impij, omnisque æquitatis & honestatis inimici sunt. Optant, inquā, illis, vt pereant quatenus tales sunt, vel quod in idem redit, optant vt impietate abiecta tales esse desinant, Deique amici fiant. Est itaq; pro omnibus orandum, pro bonis videlicet & malis, pro amicis & inimicis, pro fidelibus & infidelibus, pro Catholicis & Hæreticis, pro domesticis & peregrinis, pro Magistratibus & subditis: Siquidem hi omnes ex charitate sunt diligendi; non est tamen par vel æqua ratio vel obligatio pro omnibus orandi. Nam vt charitas non est

Quo sensu accipiendæ sunt imprecationes Sanctorum, quæ in scripturis passim obuiæ sunt.

expers ordinis, ita neque oratio quoque. Verùm de iis, pro quibus orandum, satis.

Quid inter orandum petendum sit, quídue honestè & licitè peti possit.

CAPVT XIII. ET POSTREMVM.

PORRO autem quid à DEO petendum sit, honestéue peti possit, id ex orationis definitione, quam Damascenus assignat, planum euadit; docet is autem aliud nihil esse orare, quàm decentia à DEO petere.

Omnia quæ honestè petũtur, ad duo capita referri possunt.

Cæterùm decentia omnia, quæ sub iustam petitionem quauis ratione cadunt, communi quadam ratione ad duo capita referri possunt; puta ad mali depulsionem, & boni adeptionem: siquidem duabus hisce rebus perfecta beatitudo cõtineri videtur. Vbi enim abest omne malum, & adest omne bonum, ibi nulla infœlicitatis supereſt portio.

Bonum, quod iustè petitur, genere tum est bipertitum, absolutè tale, & secũdùm quid eiusmodi.

BONVM autem, quod quidem ad nostrum institutum attinet, est bipertitum. Alterũ simpliciter & per se eiusmodi est; alterum secũdùm quid tale est. Hoc bonum & malum vsum admittit; illud bonum tantùm. Ad hoc bonorum genus spectat peccatorum remissio, vita æterna, fides, spes, charitas, cæteræq; virtutes. Ad illud omnia naturalia; siue ea sint interna animæ vel corporis bona, vt sunt agilitas, fortitudo, pulchritudo, ingenij perspicacitas, ciuilis vel politica prudentia, rerum naturalium vel transnaturalium scientia; siue externa, vt sunt amicitiæ, diuitiæ, liberi, Magistratus, dignitates, principatus, principum gratia, & cætera fortunę bona. Pertinent ad hoc genus quoque supernaturalia per se non sanctificantia, quæ alio nomine appellari solent gratiæ gratis datę, vt est donum linguarum, interpretatio sermonum, gratia sanitatum, donum miraculorum & prophetiæ, aliáque eiusmodi complura. Hæc petere licet, sed non absolutè, verùm quatenus ad ea sunt vtilia, vel necessaria, quæ per se simpliciter sunt bona, quę proinde absolutè petere fas est.

Duplicis generis & ordinis malũ est, simpliciter nimirũ & secundùm quid.

ET quia oppositorum æqua ferè est ratio vnáque tractatio, vt duplicis ordinis & rationis est bonum, ita duplicis quoq; generis est malum: Alterum simpliciter, alterum secundùm quid est tale; hoc

hoc medium, illud absolutè malum appellare licet. Absolutè malum est malum culpę. Hoc enim secũdùm se bonum vsum habere non potest; quippe quod à summo bono, quod DEVS est, simpliciter abducat, & ad Diabolum æternamque damnationem rectâ adducat, cuius proinde depulsio absolutè petenda est. Secundùm quid malũ, est malum pœnæ: siue id proueniat ex primogenio vel alio quocunq; peccato, siue infligatur à DEO, siue illo permittente irrogetur à Diabolo, siue vndecunq; aliunde adueniat. Pertinent huc quoque cuiuscunque generis tentationes. Et quoniam hoc malum bonum & malũ vsum recipit (tentationes namq; & cætera vitę huius incommoda aliis proficiunt ad mortem, aliis ad vitam) eius depulsionem hactenus expetere licet, quatenus saluti expedit. At iam de singulis pauca quædam seorsum.

QVOD igitur vitam æternam, fidem, spem, charitatem, aliáq; his cognata absolutè petere liceat, id clarè constat, ex oratione Dominica; simpliciter hîc enim petimus: *Sanctificetur nomen tuum:* Matth. 6. *adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, &c.* Constat idem rursum ex multis aliis scripturæ locis; legimus hîc enim: *Ostende nobis Domine* Psal. 79. *faciem tuam, & salui erimus. Dirige me in semita recta,* plurimáque id genus alia. Constat tandem ex perpetua Ecclesiæ praxi: Omnipotens, orat illa, sempiterne DEVS, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Item: DEVS virtutum, cuius est totũ quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis: & præsta in nobis religionis augmentũ, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Mitto alias, sunt enim plures, quàm quæ hoc loco commodè referri queant, aut referri debeant. De absolutè malis par est ratio. Licet enim horum depulsionem æquè absolutè petere, atque absolutè bonorum adeptionem; neque hoc vllus in dubium vocat.

Pſal. 26. Pſal. 5.

QVOD ea rursum, quæ ad præsentem hanc vitam sustentandam necessaria habentur, citra noxam petere liceat, id in iisdem illis fontibus pari claritate lucet. Etenim vt in oratione Dominica legimus: *Fiat voluntas tua, Dimitte nobis debita nostra, &c.* Matth. 6. ita in eadem quoque legimus, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Pſal 84. Rursum vt per scripturas edocti oramus: *Ostende nobis Domine* Luc. 17. *misericordiam tuam, adauge nobis fidem &c.* ita oramus quoque; *victus* Prouerb. 30. *tribue*

meo tribue necessaria. Denique vt Ecclesia à DEO petit fidem, spem, charitatem; ita eadem quoque petit pluuiam, serenitatem, sanitatem, temporalium abundantiam, pacem, tranquillitatem, &c.

Ea omnia à Deo licet petere, quæ citra peccatum licet desiderare.

Adhæc communi Theologorum sententia ea omnia licet petere, quæ citra peccatum licet desiderare, cùm aliud nihil sit oratio, quàm interni desiderij interpres; atqui animæ & corporis commoda, & quæ sunt his annexa, citra peccatum desiderare licet: ergo etiam petere.

DENIQVE ea inculpatè desiderare & petere licet, sine quibus ad scopum vel terminum præfixũ, hoc est, ad vitam æternam peruenire nemo valet. Ad terminum autem contendimus per viam; at via est præsens hæc vita (quare etiam viatorum appellationem sortimur) porrò autem præsens hæc vita absque cibo & potu cæterisque, quæ horum nominibus continentur, transigi nullo modo potest. Quamobrem totum illud, citra quod humanæ vitæ infirmitas consistere non potest, petere licet; imò vnumquemlibet petere oportet, quippe cùm hoc ipsum quoque citra DEI auxilium obtineri non queat. Petuntur hæc tamen non propter se, sed propter aliud: Quemadmodum, verbi gratia, medicina propter sanitatem, & cætera vtilia propter honestum aliquem finem.

Ea citra quæ præsens hæc vita cõstare non potest, absolutè petere licet.

TANDEM quòd media illa bona & mala, siue ea corporis fuerunt, siue animæ, siue fortunę, absolutè expetere aut deprecari non conueniat; sed eatenus tantùm, quatenus ad salutem est vtile, vel necessarium, patet; quia licet horum absentia vel præsentia prodesse queat, potest tamen interdum quoque obesse. Cùm ergo sæpe nobis incertum sit, (*quid enim oremus sicut oportet, nescimus*) profuturáne sint an obfutura, consultè Christique exemplo & doctrinę consentaneè faciemus, si rem totam in DEI voluntatem reiecerimus, cum ipso dicentes: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*, vel, vt habemus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Nam & Paulus liberationem à carnis stimulo & Sathana colaphizante vrgebat, quæ tamen liberatio saluti illius non expediebat, & filij Zebedæi sessionem ad dexteram & sinistram ambiebant, quæ ex illorum re non erat, eo saltem sensu & modo, quo illi eam petebant. Quare iustam quoque reprehensionem incurrerunt.

Rom. 8.

Matth. 26.

Matth. 6.

2. Cor. 12.

Matth. 20.

QVAE

QVAE hactenus expoſita ſunt, ea oſtendunt non quarumlibet moralium virtutum vſum à quibuſuis promiſcuè rectè ſemper peti. Conſtat namque, quaſdam id genus virtutes eſſe, quarum actus citra corporis vel fortunæ bona abſolutè conſtare non poſſunt. Si ergo corporis vel fortunæ bona abſolutè petenda non ſunt, vt oſtenſum eſt paulò antè, neque illæ quoque virtutes ſecundùm actus exercitium abſolutè expetendæ erunt, quæ ſine illis bonis conſtare nequeunt. Tales virtutes ſunt liberalitas, munificentia, bellica fortitudo, caſtitas coniugalis, & aliæ id genus complures. Dixerim nõ à quibuſuis promiſcuè rectè peti abſolutè; nam ſi quis actu diues & auarus eſt, non peccat, ſi liberalitatis donum abſolutè petat. Sic quoque intemperans coniugatus non malè facit, ſi coniugalis caſtimoniæ gratiam abſolutè à DEO petit. Idem ſtatuatur de reliquis ſimilibus.

Non omnium moralium virtutum vſus rectè ſemper petitur.

SEQVITVR hinc etiam, ſuperflua vel ad quotidianum vitæ vſum non neceſſaria petere, ſecundùm ſe nefas non eſſe. Nam & licitum eſt, diuitias habere, & meritorium eſt, eas in pauperes vel alias pias cauſas, puta in diuini cultus amplificationem, in captiuorum redemptionem, in pauperum puellarum dotem, in fidei defenſionem, aliáque eiuſmodi erogare. Eſt tamen eiuſmodi ſuperuacaneorum petitio, tametſi cõditionata, qualis omnino eſſe debet, periculoſa; notum eſt enim illud Salomonis: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ne fortè ſaturatus alliciar ad negandum, & dicam, vbi eſt Dominus?* Et illud rurſum Prophetæ Regij: *Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.* Et illud tandem CHRISTI: *Facilius eſt Camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum.* Idem diuitias appellat ſpinas, quòd diuitis mentem diſtrahant, variis curis & cogitationibus animum eiuſdem diſcerpant & quaſi conuulnerent.

Prouerb. 30.
Pſal 16.
Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10.
Matth. 13. Marc 14.

DICIS: CHRISTVS Dominus omnia vitæ neceſſaria vltrò iis obuentura promittit, qui regnum cœlorum ex animo quæſierint; ergo nullum eſt operæprecium, temporaria inquirere, aut eorundem cauſa DEVM interpellare? Reſponſio eſt, CHRISTVM temporariorum bonorum inquiſitionem aut petitionem non inhibere; inhibere autem nimis anxiam de eiuſmodi rebus curam & ſolicitudinem; ait enim: *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia inquirunt gẽtes.*

Lucæ 8.

Matth 6. Christus Dominus tẽporariorũ curam aut conquisitionem nõ prohibet, prohibet autem curã de iis rebus nimis anxiam.

Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quòd autem illorum petitionem aut conquisitionem absolutè non prohibeat, planum est ex ipso literę cõtextu: Siquidem hoc ipso, quòd monet, primò quærendum esse regnum cœlorum eiusdemque iustitiam, apertè insinuat, secundariò ea quoque petere & conquirere licere, quæ ad iter illud conficiendum, quod ad cœleste regnum ducit, sunt necessaria; cuiusmodi inter cętera, vt CHRISTVS ipse loco allegato non dissimulat, sunt victus & amictus; subdit namque: Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quod si his indigemus; petere ergo inculpatè possumus: Nam quicquid ad hanc vel illam vitam est necessarium, hoc omni iure expetere fas est. Denique iubemur orare; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; panis autem quotidiani nomine ea omnia complectitur Dominus, quibus præsens hæc vita sustentatur.

Cur Dominus inhibeat curam de rebus ad vitæ sustentaculũ necessariis nimis anxiam.

NON prohibet ergo rerum temporalium inquisitionem, sed nimiam de eiusmodi rebus sollicitudinẽ, & hoc meritò; siquidem nimia illa sollicitudo & anxietas perturbat quietũ animæ statum, munit certam ad multa vitia & peccata viam. Vix enim à fraudibus, dolis, & aliis iniustitiæ partibus abstinent, qui opibus congerendis tãtopere inhiant. Ad hęc cùm motus ad terrena & cœlestia sint planè oppositi: quò terrenorum studium magis intẽditur, eò cœlestium desiderium magis remittitur. Deniq; animus terrenis immersus & à cœlestibus prorsus seuocatus, in omne peccati genus præceps fertur: id quod Apostolus eo ipso clarè indicat, quòd auaritiam omnium vitiorum radicem appellat, eandemque idolatriæ nomine designat.

1. Tim. 6. Ephes. 5.

Ex prædictis colligi quoq; potest, quando, quáue ratione aut modo suam vel alterius mortem desiderare vel petere liceat. Etenim si magnæ & iustæ huius desiderij vel petitionis extant causæ, vel quæ tales esse videntur, adhibita ea conditione, de qua paulò antè diximus, puta si DEO ita visum fuerit, vel si morituri saluti id expediuerit, citra peccatum, suam vel alterius mortem optare vel petere licebit. Ea autem conditione secluſa, etiamsi appareant aliquę causę, quę id petere vel desiderare fas esse aliquatenus persuadeant, nequaquã id optare, aut petere fas fuerit. exemplo vno aut altero id declaro.

Citra conditionẽ nullius mortem optare, aut desiderare licet.

Est

Est quispiam bene sibi conscius, metuit, ne in eo mentis statu diu persistat, non peccat, si cum Paulo priùs dissolui cupiat, & esse cum Christo; quã denuo in Dei offensam cadat. Sic audio aliquem plurima damna Ecclesię vel Reip. inferre, vel quia Tyrannus est, vel quia pertinax & inquietus hæreticus est; peto si nunquam ad sanam mentem est rediturus, sed mala malis peccatáque peccatis semper additurus, vt Deus illum è medio tollat, ne vel pluribus sceleribus miseram animam suam oneret, vel pluribus quoq; noceat, nihil ea petitione charitati dissentaneum designo.

Nõ peccant, qui priũ mori, quàm Deum offendãt, exoptant.

Ad eundem modum cognosco aliquem lubricum peccatisq; assuetum, hoc tamen tempore verè ad Devm conuersum, nullum scelus cõmitto, si orauero, vt Devs priùs illum hinc ad se euocet, quàm denuo in pristinas sordes recidat. Denique quia probabile fit, infantes, qui apud hæreticos vel schismaticos nascuntur & renascuntur, omnino perituros, si apud illos adoleuerint, vitęque finem fecerint, nõ pecco, sed saluti illorum consultũ cupio, si ante rationis vsuram hinc abripi desidero vel peto. Nullo tamẽ modo, si de Dei voluntate certò non constat, vt communiter de ea constare non solet, ad eorum internecionem consilium dare licet, multò verò minùs auxilium. Hoc enim facere aliud nihil esset, quàm Dei auctoritatem sibi sumere, & vniuersam Remp. Christianam turbis & insontium cædibus implere.

Nullo modo ad insontis mortẽ cooperari licet.

Denique vt capiti huic totique libro finem tandem imponam, nunquam ea desiderare, aut petere licet, quibus bene vti nullus mortalium valet: qualia sunt peccata, vel quæ peccatum adiunctum habent. Nunquam proinde petere licet priuatam de inimicis vindictam, ex iniusto bello victoriam, vires ad opprimendum pauperem, vel alios quoscunque insontes, occasionem vel potestatem committendi adulterium, vel aliud quodcunque flagitium. Et vt hæc aliáque similia à Deo petere non licet, ita nefas quoque est, auxilium ad eiusmodi perpetranda ab illo efflagitare. Velle enim vt Devs cuicunque peccato patrocinetur, aliud nihil est, quàm velle illum peccati auctorem efficere, quod impium est planissimè.

Nunquã ea desiderare, aut petere licet, quibus nemo mortaliũ rectè vti potest.

Haec ergo de iis, quæ inter orandum petere licet, vel non licet breuiter: Nam accurata eius rei tractatio pertinet ad Dominicę orationis explicationem, quam bonis de causis hîc attingere

Lucæ 6. Lucæ 18. non lubuit. CHRISTVS Dominus, qui noſtri cauſa totas ſæpe noctes in oratione tranſegit, ſemperq́; orandum eſſe docuit, feruidæ orationis, veræque deuotionis & humilitatis ſpiritum pro ſua immenſa clementia nobis impertiatur. Idemque in omnem æternitatem ab omnibus laudetur, piéque & religiosè inuocetur, AMEN.

ETSI per CHRISTI gratiam confidam, nihil his libris, quod orthodoxæ fidei, aut ſacris moribus quouis modo aduerſetur, contineri; attamen, quia homo ſum & labi poſſum, ſi quid fortè eiuſmodi vel in hiſce, vel in aliis quibuſcunque libris, tractatibus, aut diſputationibus, quas vnquam edidi, extaret, hoc totum nũc & in omne deinceps æuum Romanæ Eccleſiæ, omniumq́, rectiùs ſentientium correctioni, cenſuræ, atque iudicio toto animo ſubmitto. Abſit enim à me, vt aliquid obſtinatè defendam, aut prudens in lucem edam, quod Catholicæ fidei, in qua natus, & in hunc vſque diem religiosè conſtanterque educatus ſum, quauis via aut ratione contraueniat.

Hunc librum de Eleemoſyna, Ieiunio, & Oratione Catholicum & doctum eſſe cenſeo, adeoque typis digniſſimum.

BARTHOLOMÆVS VISCHERVS *Theologiæ Doctor, & eiuſdem facultatis pro tempore Decanus in Academia Ingolſtadiana.*

RERVM LOCORVM QVE ILLVSTRIORVM TOTIVS OPERIS INDEX.

A.

Abdicatio.

CHRISTVM rerũ abdicationem suasisse & vsurpasse. 107
Rem magni apud Deum meriti esse sponte propter Christum ab omnibus sese abdicare. 108
Christum Dominum ab omnibus exigere quandam abdicationẽ. ibid.

Absoluere.

Non omnes, qui in foro pœnitẽtiæ absoluunt, legitimè et rectè semp absoluere. 49

Abstinentia.

Varias abstinentiæ causas, diuersosq; abstinentium fines esse. 131
Abstinentiam à carnibus præmium mereri. ibid.
Eãdẽ p peccatis satisfactoriã esse. 150
Admirabilem Abbatis Hilarionis, et aliorum quorundam Monachorũ abstinentiam extitisse. 153
Paganos suas quoq; abstinentias et ieiunationes habuisse. 154
Abstinentiam conferre valetudini, & vitæ diuturnitati. 166
Multum interesse inter Iudæorum & Christianorum abstinentiã. 164
Admirabiles ieiuniorum & abstinentiæ vires esse. 166. 226
Abstinentiam tantam esse non debere, vt corpori vel animo detrimentum adferat. 167
Nouatores citra rationẽ ieiunium & abstinentiam confundere. 225
Legem abstinentiæ obligare omnes, vbique & semper; ieiunium autẽ nec omnes, nec semper. ibid.
Regulam abstinentiæ humana ratione constare, legem autem seu regulam ieiunij voluntate diuina, per Ecclesiam nobis patefactã. 225
Abstinentiæ & ieiunij fines diuersos esse. 226
Moralẽ abstinẽtiã nõ sat esse ad debellandam carnis concupiscentiã. 227
Scripturas inter ieiunium et abstinẽtiam manifestè secernere. 235
Mediocrẽ abstinentiã vitã producere et valetudinem conseruare. ibid.

Abstinere.

Omni ætate & tempore ab aliquibus semper abstentum esse. 140
Græcos plerosq; etiamnum à sanguine & suffocato abstinere. 144
Danielis & sociorum eiusdem abstinentia commendatur. 146
Iustam abstinẽdi ab aliquibus causam scandali euitationẽ offerre. 148
Permultos in primitiua Ecclesia non modò à sanguine & suffocato, verumetiã à carnib. abstinuisse. 149
Quo sensu abstinendũ à carnibus. ibid.
Alio sensu et mẽte hæresi imbutos, alio Catholicos à carnib. abstinere. 150

Danielem eiusdemq; socios non solùm ab illicitis abstinuisse, verùm etiam ieiunasse. 152
Vt ab iis omnibus abstinendum est, esto secundùm se mala nõ sint, quæ corpus lædũt, ita etiam ab iis, quæ animam offendere nata sunt. 163
Cur Christiani statis tẽporibus à quibusdam escis abstineant? 164
Christianos quondam non modò à carnibus, verùm à quibusdam quoq; terræ fructibus in QVADRAGESIMA *abstinuisse.* 171
Beluas et bruta animãtia naturæ ductu à quibusdã quãdoq; abstinere, à quibus aliàs non abstinent. 318

Actus.

Actum quempiam non ideo non esse studiosum, quòd aliô referatur, adeoq; nõ propter se, sed propter aliud exerceatur. 305
Ecclesiam de actibus merè ĩternis nõ iudicare, neq; leges ferre, sed neq; iudicare aut ferre quoq; posse. 429

Adamus.

Adamũ multa posteris credenda, facienda, et obseruanda tradidisse, quorũ scripturæ non meminerunt. 285
Adamum maiore libertate potitum in paradiso, quàm iustissimus quisque in hoc sæculo. 308

Adelphius.

Adelphij error de orationis virtute. 443

Adiuratio.

Non licet dæmones adiurare per modum deprecationis. 521

Adultus.

Adulto citra orationem salutem ordinariè non contingere. 457

Æger.

Satius esse aliquid ab ægro impetrare, quàm omnino nihil. 173

Aërius.

Cuiusmodi fuerint Aëriani. 152

Æquinoctium.

Cur circa æquinoctia & solstitia triduo in Ecclesia ieiunetur. 219

Ætas.

D. Basilij & Bernardi ætate nullum sexum, nullã ætatem, nullum hominum statum à ieiunij lege generatim exemptum fuisse. 252
Vltima mundi ætate, magna planeq; illustria humano generi beneficia collata esse. 471

Afflictio.

Deum, cùm Iudaico populo afflictionẽ indicebat, nõ ipsam per se afflictionem indixisse, sed opera crucem & molestiam ciere nata. 185
Iudæos afflictionis vocabulũ præposterè & craßè vsurpasse. 186

Alcibiades.

Cur Alcibiades ab Attalo reprehensus fuerit. 171
Alcibiadem per errorem à carnibus abstinuisse. ibid.

Abalienare.

Maiestatis reos & pueros abalienandi ius non habere, & cur ita. 55

Alienum.

Ex alienis extrema inopia pẽsam subleuare nõ licere, si adsint ppria. 41

Qua

Qui ex propriis non potest, ex alienis extremè miseris opẽ ferre posse. 56
Non licere alienum inuadere, si proprium adsit, quo extremam inopiã subleues. 57

Alimentum, quære Cibus.

Amor.

Non minùs nos obligari amare nos secundùm animam, quàm secundùm corpus. 458

Anathema.

Anathema ab Apostolis in illos decretum, qui citra causam ieiunium soluerent. 296
Nemini ob peccatum, lethali minus, anathema imponi debere, nec iure quoque imponi posse, nulli rursum nisi contumaci. 271

Ancilla.

Ancillis & famulis minuta quædam Dominis inconsultis in eleemosynam erogare licere. 59

Angelus.

Angelos singulorũ ieiunãtium capita describere et obseruare. 209.310
Pro humani generis salute orãt, præcipuè verò pro iis, quorum curam gerunt. 508
Quicquid ad precatoris rationem deposcitur, hoc totum in Angelis cõperitur. ibid.
Sui quoq; causa preces offerunt. ibid.
Quo sensu & modo mortalium preces Deo offerant. 523
Mortalium lapsus et pœnitentias illis esse compertas. 536

Animæ.

Animæ in purgatorio detentæ pro se orant. 504
Nõ solùm Dei clementiã, sed aliorum quoq; interceßionẽ implorant. ibid.

Annus.

Toto anno ieiunare licere. 210

Apostolus.

Apostolum Paulum pro fidelium, apud quos agebat, diuersitate, modò piorũ eleemosyna, modò manuum labore se sustentasse. 102
Brumale ieiunium, et illud item, quod post festũ pentecostes celebratur, ab Apostolis institutum fuisse. 215
Apostolos vniuersamq; Ecclesiam iniuria afficere, qui ieiunia plus incommodi quàm commodi adferre dicunt. 313
Apostolos certa orãdi tempora obseruasse, et ea ferè, quæ etiam nunc in Ecclesia vsum obtinent. 463

Approbare.

Quod ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debere. 66

Aqua.

Aquæ potum plerisq; parum gratum esse. 172
Aquæ potu vitam tolerantes, alienis pedibus, aut manibus nõ indigere. Hoc notent PODAGRICI. 319

Arbitrium.

Liberũ arbitriũ æquè de hominis ratione esse atq; mentem ipsam. 450
Libero arbitrio è medio sublato, nullam cõstare posse humanam actionem, adeoq; nullam rationem meriti, aut præmij. 451

Arbor.

Arbor.

Qualis arbor, talis fructus. 14

Ars.

Artem artium esse sacra ritè tractare & administrare. 467

Attentio.

Veræ rationis orationem deposcere attentionem. 424

Non modò præceptam sed liberã quoq; orationem attẽtionem exigere, vt citra peccatum fundatur. 425

Maiestatis Dominũ offendere, qui ad orationem non attendit. 426

Triplicem extare attentionem actualem nimirum, virtualem, et habitualem, et triplex itidẽ attentionis obiectum. ibidem.

Orationem omni prorsus attentione destitutam, auctorem suum certæ noxæ inuoluere. 426

Attentionem ad verba obligatoriæ orationis hactenus esse necessariã, quatenus ea ritè integreq; efferantur. 427

Liberam orationem nõ tantam exigere attentionem vt verba ritè proferãtur, quãtam obligatoria. ibid.

Attentionem ad verborum sensum vtilem esse, necessariam tamen non esse, ne in obligatoria quidem oratione. 428

Actualem attentionẽ per totam orationem, neq; necessariam, neq; humanæ imbecillitati possibilem esse. 429

Quod citra vllam attentionem recitatur, id vt legi satisfiat, repetendũ, tanquam non recitatum. 431

Ad nullũ cõmunem orationis fructũ continuam actualem attentionem necessariam esse. 432

Spiritalem deuotionem, quam oratio fundere solet, actualem attentionẽ poscere. 432

Non sat esse, habitualem attentionem ad orationem adferre. ibid.

Actualem attentionem in orationis exordio necessariam esse. 433

Virtualem attentionem ad obtinendum communem orationis effectũ sat esse. ibid.

Quousq; se porrigat virtualis attentio. ibid.

Priuatim orantes, si experiantur nubiles aliquos conceptus, posse orationis cursum aliquantisper intermittere. 433

Aliquot saluberrima remedia ad cõparandam & retinendam in oratione attentionem. 434

Quò maiora sunt, quæ per orationem obtinere satagimus, eò maiorẽ adhibendam esse attentionẽ. 435

B.

Beatitudo cœlestis.

Ad cœlestem beatitudinem bifariam nos aliquid promouere, per se nimirum & per accidens. 369

Tria esse, quæ à cœlesti gloria et beatitudine nos impediunt. 370

Beneficium.

Lætandum non lugendum, dum beneficium præstamus. 121

Bonum.

Bonum.

Bonum generatim acceptum bipartitum esse. 22
Id solùm ex fluxis fortunæ bonis nos comitaturum, quod in pauperes erogamus. 26
Bona vxoria quadripartita cẽseri. 60
Non quæuis bona malè parta in quoscuis egenos erogare licere. 67
Bonorum malè partorum non vnam aut simplicem rationẽ esse, sed multiplicem. ibid.
Triplex bonorum malè partorum genus esse. 68
Bona vel res inuentas, quæ nullius certi sunt Domini, & in proprium & in pauperum quoq; vsum conuerti posse. 74
Quæ certi cuiuspiã Domini fuère, neq; p derelictis adhuc habẽtur, ea egenis absolutè donare non licere. 74
Non idem esse Spiritum & bonum spiritale; hoc enim diuiduum esse illud nequaquam. 404

Brachmanes.

Brachmanes & Samanæi inter Gymnosophistas celebres. 155

C.

Cædes.

Cædis reos fieri, qui cædem, quam impedire poterant, & debebant, non impediunt. 30
Tot iuris interpretatione hominẽ occidere, quot in vita conseruare poterat, & non conseruat. 58

Cæremoniæ.

Cæremoniarum rerumque sacrarum alias rebus, alias verbis, alias factis constare. 377
Cuiusmodi cæremoniæ & gestus inter orandũ publicè sint adhibẽdi. 379
Diuersitas rituum et cæremoniarum diuersarum Ecclesiarũ, index est diuersorũ donorũ et charismatum, nõ diuersæ fidei aut religiõis. 494
Disparitas rituũ & cæremoniarũ pro locorũ & temporũ diuersitate, venustatem parit in Ecclesia veriùs, quàm deformitatem. 495
Omnes Ecclesiæ in primariis ritib⁹ et cæremoniis conueniunt, maximè verò quæ sub eadem metropolitana continentur. ibid.

Caietanus.

Caietanũ rerum contingentiam nouè planeq; obscurè cum diuina prouidentia conciliare. 452

Canon.

Canonẽ Concilij Elibertini de ieiunio menstruo subobscurum esse. 97

Canonicus.

Canonicos cæterosque beneficiarios p̃sentes et nõ recitãtes cadere in pœnam in non recitantes decretã. 482

Cantus.

Cantus suaui vocum concentu modulatus apprimè aptus est ad ciendam deuotionem. 484
Quib. carmina et odæ accini soleãt. 485
Canere omni hominum generi familiarissimum & naturalissimum. ibid.
Ætatis huius sectarios in publico cãtu Arrianorum æmulos esse. 486

Christum cũ Apostolis, Paulum itẽ et Silam Deo laudes decantasse. 489
Angelos alternis Deo laudem decantare. 491
A temporib. Apostolorum Ecclesiam choros egisse, alternisq; cecinisse. ibi.
Alternis canere nõ humanum cõmentum, sed cœleste institutum. ibid.
Cantus & hymnorum vsus celebris fuit in Alexandria in Ecclesiæ exordio. 492
Varios et miros Ecclesiastici cantus esse effectus & fructus. 492

Caput.

Omnia meritoria et satisfactoria opera ad tria capita referri. 2
Causas ieiunium in totum vel in partem relaxantes, ad tria itidem capita reduci. 328

Cantores.

Dauid ingentẽ cantorũ & musicorũ vim in Dei laudem instituit. 488
Vsus cantorũ et musicorũ apud veteres celeberrimus. ibidem.

Cantica.

Noui Testamenti Cantica quæ & quot. 490

Calamitas.

Neminẽ ob id in calamitatem incidisse aliquando, quòd patrimonium in egenos liberaliter erogasset. 111

Caro.

Nefas esse humanis carnibus vesci. 137
Carthusianum si aliud quàm carnes, quo vescatur, nihil habeat, carnibus vesci obligari. 138
Non satis cõpertum, eorũ ne carnibus vesci quandoq; liceat, qui in prælio occubuerunt. ibid.
Fas non esse, humanis carnibus sacrificare. 138
Tres doctorum hominum opiniones de vsu carniũ ante diluuium extare. 141
Manducare carnes, aut bibere vinũ, secundùm se malum non esse. 141
Carnes, & quæ cum his cognationem habent, aliquem vsum habuisse ante diluuium. 142
Distinctionem inter munda et immũda arguere aliquẽ carnium vsum ante cataclysmum extitisse. 143
Non satis sibi constare, qui carnium esum ante diluuium obtinuisse negant. ibid.
Insignem luxum, qui diluuium antecessit, carnium & vini vsum ea ætate locum aliquem habuisse, clarè ostendere. 143
Quid sit comedere carnem cum sanguine. 144
Carnes carnis vitia nutrire, et ad coitum prouocare. 145
Omnium vitiorum fomitẽ & nutrimentum carnes esse. 150
Caseum & oua è carnibus, tanquam fructum ex arbore prodire. 151
In abstinentia à carnibus non idem vbique Ambrosij ætate obseruatum fuisse. 154
Saturno regnãte carniũ esum vsum nullum habuisse. 155
Carnes carnem magis saginare, quàm vini

vini potum. 172
Saginare carnem, pugilum & porcorũ proprium. 228
Toto tempore, quo indictum ieiunium decurrit, carnibus vesci non licere. 180
Ex carnis compressione naturaliter consequi mentis ad Deum eleuationem. 233
Incassum carnem teri, si animus à prauis voluptatibus non refrænatur. 249
Orationem suapte natura carni molestam esse, & vnde hæc molestia proueniat. 383

Caupo.

Qui caupones ieiuniorum feriis cibum administrantes grauiter peccent; qui item à peccato excusari vtcunque queant. 303

Causa.

Satius esse pauperum causam Deo cõmittere, quàm illius causa lites vel turbas ciere. 58

Causidicus.

Causidicorum quorundam ars & praxis. 73

Cassianus.

Quomodo oratio, obsecratio, postulatio, et gratiarum actio inter se differant secundùm Cassianum. 351

Censor, quære Iudex.

Census.

Quo fine sacris initiati è sacro censu alantur. 373

Christus.

Christum paupertatẽ in summo perfectionis gradu complexum esse. 108
Rem esse homine Christiano apprimè dignã, Christi vestigiis insistere. ibi.
Christum nulli delirij aut peccati auctorem esse. 109
Certum non esse, Christum vnquam mendicasse. 113
Suasisse ea nihilominus & docuisse, vnde mendicitas plerunq; sequitur, etsi non necessariò. 114
Legis decretũ circa ciborũ delectum religiosè, semper obseruasse. 147
Nullum alimẽti genus inhibuisse, sed neq; inhibere quoq; debuisse. 158
Ad ciborum delectum viam muniuisse. 259
Quo sensu à Christo dictũ sit; Manducate, quæ apponuntur vobis. 163
Non omnia, quæ Christus fecit, aut instituit, omnes obligare. 257
Quo sensu Christus ieiuniũ instituisse, vel præcepisse dicatur. 258
Christum nullum per se ieiunium indixisse, aut præcepisse, dedisse tamen occasionem & auctoritatem, vti indiceretur & præciperetur. (259
Nullo modo conuenisse, aut saluti nostræ expediuisse, vt Christus quodcunq; ieiunium per modum absoluti præcepti indiceret. ibid.
Qui cum Christo non ieiunant, indignos esse, qui cum illo triumphent. 300
Christi mortem & perpessionem alio & alio modo lætitiam & tristitiã excitare. 346

Christi exemplum vel factum nõ habere vim legis, sed tantùm consilij, etsi hoc quoq; non semper. 460
Christum toto passionis tempore orationi quantum licuit, intentũ fuisse. 473
Christum Dominum circa noctis medium in lucem editum, et vitæ post mortem restitutum. 474
Christo conuenit oratio secundùm naturam assumptam. 499
Multæ erant Christo causæ, cur frequenter & ardenter oraret. ibid.
Per Christum patefactus est nobis aditus ad Patrem. ibid.
Christus datus nobis in redemptorem, ducem, & pastorem. 500
Christus sacerdotis et põtificis munus sustinebat, & exercebat. ibid.
Christus in iis omnib. exauditus, quæ absolutè petebat. 501
Quomodo nũc oret in cœlo, incertũ. ibi.
Non eodem modo nunc orat, quo cùm in terris esset. ibid.
Cur Christũ more aliorũ Sanctorũ nõ innuocem⁹, plures graues causæ. 506
Cur pleræq; omnes Ecclesiæ orationes concludantur, per Dominum nostrum Iesum Christum. 519
An Christus pro præscitis quandoq; orârit. 548

Christianus.

Christianos Dominicæ passionis memoriam anniuersario ieunio & luctu celebrare. 256

Charitas.

Virtutum primam & maximam charitatem esse. 8
Quæ cõtra charitatis ordinem donantur, non donari secundùm Deũ. 9
Inter internos charitatis actus, misericordiam primatum obtinere. 16
Quicquid charitati tribuitur, hoc suo etiam modo misericordiæ & eleemosynæ tribui posse. 17
Charitatem secundùm externum effectum nimiam esse posse. 46
Vt malorum omnium mater est cupiditas, ita bonorum omnium matrẽ esse charitatem. 111

Cibus.

Licere cibum aliaque vitæ præsidia iis administrare, quos iuste ad carceralis mediæ interitum condemnauit. 79
Cibo indignos esse, qui nihil opis moliuntur. 101
Diuino naturaliq; iure alimentarium deberi, qui Altari vel Euangelio deseruiunt. 103
Non satis certum esse, omniane simpliciter primo homini in cibum & alimentum indulta fuerint, præter arboris scientiæ boni & mali fructum. 141
Primis Geneseos capitibus nullam, vna duntaxat excepta, escam prohiberi. ibid.
Compertos post Christum & Moysen, q totos quadraginta dies absque vllo cibo & potu transmittere. 201
In multis escis non deesse infirmitatem. 226

Cibos copiosiùs ingestos & corpus & animam lædere. 229
Non esse nouum, cibum aliquem sub mortis pœna interdici. 310
Cibum hominem nõ coinquinare, sed malam voluntatem vel cibi abusum. 161

Ciborum delectus.

Ciborum delectum latiùs patere, quàm reliquas ieiunij partes. 134
Compertos apud Iudæos, qui immanissimam mortem maluerint subire, quàm quicquam contra ciborum delectum committere. 145
Danieli eiusdemq́, sociis ob seruatum legalem ciborum delectum incomparabilem sciẽtiam & sapientiam collatam esse. 147
Tobiam ob ciborum delectum obseruatum & singularem pietatis cultum in libertatem restitutũ. ibid.
Ciborum delectum vnà cum Ecclesia exortum. 154. *eiusdem esse quoddam partiale ieiunium.*

Ciuitas quære pagus.

Clericus.

Clericos partis beneficij, quæ ad honestam sustentationem omnino necessaria censetur, dominos esse. 65
Sacerdotes cæterosq́, omnes, qui clero ascripti obtinent beneficia vsque adeò tenuia, vt inde se alere vix queant, de vitæ residuo legitimè testari posse. 65.66
Summæ sacerdotes Ægypti continentiæ & abstinentiæ extitisse. 155
Sacerdotes Iouis in Creta à carnibus abstinere legitimum habuisse. 156
Christiano nomine indignos, qui sacerdotio initiatos spernũt, vel in illorum munus sese ingerunt. 265
Tria illustria documenta de honore sacerdotibus impertiendo. 266

Cogitatus. Cogitatio.

Cogitatum rem fluxam & inconstantem esse. 358. *Dæmones citra externa indicia mortalium cogitatus cognoscere non posse.* 366

Cœna.

Ipsum cœnæ vocabulum, quo Concilia & veteres Theologi vtuntur, semel tantùm ieiuniorum tempore accumbendum esse arguere. 174
Qualia extra cœnam vel prandium saluo ieiunio sumere liceat. 175
Salua ieiunij lege ante & post cœnam vel prandium, modicum quiddam degustare licere. 175
Cœnæ vel prandij tempus anteuertere fas esse, si iusta causa id exigat. 327

Cœnobium, quære monasterium.

Collegium.

Quid Collegium vel maior Collegij pars ex communibus Collegij bonis in pauperes erogare possit. 66

Comitatus.

Orationem aliarum virtutum comitatum poscere. 420

Comedere, quære Edere.

Condemnatio, quære damnatio.

Concio.

Frequentem in publicis concionibus de orationis viribus mentionem fieri. 381

Conditio.

Orationem impetratoriã quatuor conditiones deposcere. 437. *Qui conditionibus ad impetratoriam orationem necessariis non adhibitis audiuntur, non ex lege, sed ex mera Dei liberalitate audiri.* 442

Confessarius.

Confessariorum praxis in absoluendis pœnitentibus cuiusmodi paßim. 42

Conscientia.

Quòd variæ sint cõscientiæ, nullo modo tutum videri, rem arduam & dubiam vniuscuiusque conscientiæ relinquere. 259

Consuetudo.

Vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem vim legis obtinere. 191

Eandem apertè ostendere, orationẽ minùs prodesse singulis, dum pro multis offertur, quàm dum pro vno solo. 405

Magnam in statuendis & abrogandis legibus cõsuetudinis vim esse. 198

Nullum ieiunium ita firmũ, aut stabile esse, quod contraria consuetudine abrogari non queat. 200

In ieiuniis, festis, aliisq́; similibus quẽlibet loci, in quo versatur, cõsuetudini accommodare se debere. 223

Consuetudinem legi contrariam, contra legislatoris voluntatem inductam legem non infirmare. 273

Nullam omnino cõsuetudinem, quæ per se bona sunt, mala; neque quæ natura sua mala sunt, bona efficere posse. 320

Contingens.

Contingentia vt sunt futura, incerta esse, vt autem præsentia sunt, vel iam producta, & certa & secundùm quid etiã necessaria sunt. 454

Corpus.

Corporis exercitationem per se solam parum ad salutem conferre. 314

Quo sensu & occasione Apostolus corporis exercitationem ad modicum vtilem esse scribat. 315

Creatura.

Etsi omnis Dei creatura bona est, non omnem tamen, quæ in cibum vertatur, idoneam esse. 134

Crux.

Crucem Christi omnis meriti et satisfactionis nostræ basim & fundamentum esse. 2

Cubiculum.

Cur Dominus precaturos secretum cubiculi petere hortetur. 376. *Quid sit mysticè in cubiculo orare.* ibid.

Culpa, quære peccatum.

Cultus.

Cuiusmodi cultus in sectariorum synagogis obtineat. 485

Cyprianus.

Cypriani sententia de tertia, sexta & nona. 474. *Cyprianum obliquè exponere omnes horas Canonicas.*

D.

Damnatio. Damnare.

Neminem, nisi propter violatum aliquod præceptum damnari. 29

Damnationem sibi asciscere, qui humanæ

manæ potestati resistunt. 264
Damnationem peccatum mortale ponere. ibid.
Communi Ecclesiæ, & bonorum omnium consuetudini aduersari, qui pro damnatis orant, vt à venialium peccatorum debito absoluantur. 396

Damnum.

Plus damni ciuitatibus inferre dolosos mercatores, quàm fictos paupere s. 89

Damnati.

Par ferè ratio in omnibus, dæmonum & damnatorum. 504

Debitum.

Non idem videri iudicium de debito pœnali & pecuniario, quantum ad hoc vt vnus iustè pro altero satisfaciat. 401

Deus.

Deo neminem par reddere posse. 341
Se suaq; omnia Deo consecrare, actum esse maximè heroicum. 110
Emotæ mentis esse dicere, Deum illa solùm probare, quæ ipse mandat vel ordinat. 157
Vt Deus ad hominum ministerium homini confert vitam; ita ad eorũdem obsequium, quibusdam inferre mortem. 292
Deum secundùm se conceptum animũ recreare, conceptum autem vt absens est, amãti animo mœrorem parere. 345
Deum ibi magis esse rectè dici, vbi peculiariùs operatur. 378
Aptis verbis grauibusque sententiis cum Deo agendum esse. 428
Deum rogaturus consideret, quis sit merito vel peccato, ordine vel professione, vel singulari Dei beneficio. 434. *Alio fine & animo Deum, alio hominem rogari.* 445. *Quòd Deus non infert, quod comminatus fuerat, euentu ipso ostendere, comminationem suam non fuisse absolutam, sed conditionatam.* 447
Deo summa, quæ humana voce exhiberi potest, laus debetur. 484
Deus communiter non vult finem citra ordinaria media. 506
Cur per minores minùsue illustres Sanctos maiora plerunque miracula edat. 507
Quo sensu Deus non exaudit peccatores. 510
Quo sensu Deus modò in hanc, modò in illam sententiam flecti dicatur. 513
Deus dupliciter aliquid vult, absolutè & conditionatè: hoc velle non semper impletur, illud semper. 514
Dei scientia rei naturam non mutat. 515
Deus vt sua nobis dona impertiat, rogari vult. 515
Seipso beat & beatus est. 516

Deus Pater.

Quo sensu auctoritas ponatur in patre. 498
Pater in diuinis est nomen essentiale & personale. 518

Cur

Cur veteres familiariùs inuocauerint seorsum Patrem, vel Filium, quàm Spiritum sanctum. ibid.

Deuotio.

Quid propriè deuotio. 341
Duas eiusdem extare causas, internam vnam, externam alterã. ibid.
Quid facere debeat, qui deuotionis gratiam consequi desiderat. 342
Amorem acuere & excitare deuotionem. ibid.
Deuotionem deposcere meditationem. 343
Cur sensibus obiecta magis plerunque moueant ad pietatem & deuotionem, quàm abstracta & spiritalia. 344
Deuotionem lætitiam simul & tristitiam parere; sed alia & alia id ratione. 345. *Contemplationem nõ solùm internam deuotionem, sed externas quoq; lachrimas excitare.* 346. *Deuotionem & feruorẽ orationem vegetare, eiusdemque robur augere.* 421. *Permultas esse causas, quæ primarias deuotionis causas plurimùm adiuuant.* 423

Deuotus.

Vnde proueniat, quòd rudes, debiles, obscuri & infortunati magis plerunq; sint deuoti, quàm ingenioſi, validi, illustres, aut fortunati. 343
Fœminæ itidem quàm viri. 344

Dæmon. Diabolus.

Quò quid est sanctius, eò à Diabolo impugnari infestiùs. 109
Dæmonem carnisque fomitem nullas inducias indulgere. 230
Ieiunantis orationem dæmonibus terribilem, Deo verò gratam & acceptam esse. 238
Dæmones ieiunium vehemẽter metuere, crapula autem & corporis otio mirificè oblectari. 236
Dæmones nocte præcipuè castis corporibus & mẽtibus insidiari. 475
Diabolus eiusdemque ministri in publico cultu Dei, ministrorumque eiusdem simiæ. 486
Etsi dæmones aliquid à Deo interdũ petant, non tamen illum propriè inuocant aut adorant. 502
Dæmon neque pro se neque pro alio orat. 503
Cur ei Deus potestatem indulserit in Iob. ibid.
Cur quosdam incitet ad frequentem orationem. ibid.
Non licet secreta à Dæmonibus exquirere, aut illorum magisterio, aut obsequio, aut familiaritate vti. 521

Dies.

Dominicos dies solo refectionum numero à cæteris quadragesimalibus secerni. 174
Die Sabbathi maiorum institutio à carnibus abstinendum. ibid.
Olim die Mercurij ieiunatum & à carnibus abstentum esse. 154
Rogationũ dies solenni ieiunio quondam fuisse celebratos. 196
Magnam hoc tempore in diebus rõgatio-

gationum obseruatione varietatem extare. ibid.
Non solùm festis sed etiam profestis diebus orandum esse. 377. Præcipuas naturalis diei partes quatuor esse. 463

Dispensatio. Legis relaxatio.

Quando opus sit dispensatione, legisue relaxatione, aut eiusdem interpretatione, & quando non. 335
Iustam legis relaxationem iustam causam deposcere. ibid.
Pontifices in legum relaxatione sobrios & cautos esse debere. 335
Quomodo Prælatos Episcopo inferiores, in ieiunij relaxatione cum suis subditis agere conueniat. 336
Qui ieiunij relaxationem petunt, causas nõ quasuis, sed iustas adferant oportet. ibid.
Qui ieiunij legem relaxãt, aut super ea dispensant, non totum relaxare debere, sed eam tantùm partem, quam supplex ferre non potest. 337
Ciborum delectum, si necessitas id postulet, absque ieiunij relaxatione, relaxari posse & vice versa. 338

Diues.

Diuitem epulonem non tam luxum, quàm inhumanitatẽ & duritiem in egenos condemnasse. 29
Non omnes diuites æquè diuites, neque omnes pauperes æquè pauperes esse. 33
Triplicem diuitum ordinem vel statum assignari posse. ibid.
Illum propriè diuitem dici, qui diuitiis famulatur, ideoq; summa cum difficultate eiusmodi seruari. 45
Periculosam diuitum conditionem & statum esse, sed non omnium. 51
Multos diuites salute iam olim potitos esse. ibid.
Canonicam Iacobi diuites auaros graui oratione perstringere. 51
Diuites maioribus vitæ salutisq; periculis exponi quàm pauperes. 77
Diuites mensarum reliquias lubẽtiùs donare, quàm pecunias. 96

Diuitiæ.

Cur diuitiæ appellentur mammona iniquitatis. 69

Dominium.

Quemuis ex eo, cuius dominium & administrationem habet, munus vel eleemosynam donare posse. 55
Rei dominium per eleemosynam in alium transferri. 68

Donaria.

Donariorum vsus ad Diuorum monumenta, ob recuperatam sanitatẽ suspensorũ, res antiquissima. 534

Donare.

Omnia simul donare secundùm se nec bonum, nec malum esse. 111
Qui familiam alunt, non omnia simul pauperibus donare debere, sed ea tantũ, quæ superant. 112. Deum non tam datum, quàm donantis animum spectare. 119
Quo sensu donandum sit omni petenti. 124
Vt non omnia vni, sed necessaria tantùm donanda sunt, ita hominibus

agrestibus durisq; assuetis nõ præcioſiora impertienda eſſe, quàm illorum poſtulat conditio. ibid.

Dubium.

Qui præcipuè ſint conſulendi, dum de lege dubiũ aliquod oboritur. 335
Dubium habere non omnino nullum, vnúsne pro altero ex condigno ſatisfacere queat. 401

E.

Eccleſia.

Eccleſiam definiendo non errare. 115
Illos omnes tanquam hæreticos execrari, qui quaſcunque eſcas, tanquam ex ſe immundas, damnant, & execrantur. 135
Leges edere poſſe, toti Reip. Chriſtianæ vtiles, aut neceſſarias. 159
Eccleſiæ ſanctiones quadam ratione arctiùs obligare, quã politicas. ibid.
Ineptè aſſeri Rempub. aliquam leges, quæ obligent, condere poſſe, Eccleſiam autem id non poſſe. 159
Eccleſiam, eiuſdemq; praxin optimam rerum in fide vel moribus controuerſarum interpretem eſſe. 160
Quicquid in Eccleſia obſeruatur, id aut ſcripturarum autoritate, aut maiorum traditione, aut priuata quorundam inſtitutione niti. 175
Quoties ieiunio conſecratis diebus cibum ſumere liceat, Eccleſiam commodè definire potuiſſe, cibi autem qualitatem & quantitatem, cæteraq; eiuſmodi non item. 177
Qui in Eccleſiæ contemptum ieiunia ſoluunt, tot peccata conflare, quot cœnas vel prandia, per contemptũ inſtaurant. ibid.
Eccleſiam dum ieiunium indicit, ſecundum tantùm accubitum prohibere. 179
Eandem manifeſta praxi oſtendere, ſolam ſecundam refectionem ieiuniorum die ſe interdixiſſe. ibid.
Eandem non inhibuiſſe tertium, aut quartum accubitum ieiuniorum tempore, ſed illum tantùm, quo ieiuniũ ſoluitur, hoc eſt ſecundũ. 181
Cur Eccleſia ſacro paraſceues die, & ſabbatho proximè conſequente, nõ celebret diuina myſteria. 193
Eccleſiam in præceptis, quæ ſunt iuris diuini, ſtrictè & propriè non diſpenſare, nec iure diſpenſare poſſe. 258
Quicquid Eccleſia mandat vel ordinat, id totum ad ius humanum ſpectare. 263
Eccleſiam ſemper habere ſuos Moyſes, ſuosq; Aarones, hoc eſt, ſuos legislatores, & ſacerdotes. ibid.
Cur Eccleſia ſuarum legum & ſtatutorum tranſgreſſionem grauius nonnunquam puniat, quã diuinorum mandatorum præuaricationem. 314
Qua de cauſa Eccleſia indulgentiùs nunc agat, cũ ieiunantibus, quàm olim. 320
Cur eadem ieiuniorum legem non obſeruantes, publicè non ſemper puniat. 321

Eccle-

Ecclesiam propter ieiuniorum obseruationem non velle, vt vel creditor defraudetur, aut vitæ status negligatur. 331
Eandem faciliùs dispẽsare in præcepto ieiunij, quàm diei festi. 332. *Ecclesiã non minùs egere suis ministris, magistratibus & stipendiariis, quã ipsa respub.* 466
Ecclesia Romana Ecclesiarũ omnium magistra. 495

Edere. Comedere.

Interdiu semel tantùm comedere, vel ante meridiem non comedere, non cadere sub præceptum Ecclesiæ absolutè; sed tantùm, vt sunt ieiunij conditiones vel partes; adeoq; ieiunio per alterum accubitum sublato, ampliùs non obligare. 180
Edere vel bibere secũdùm se malum non esse, esse tamen malũ, & graue quoq; peccatum, contra expressum mandatum illud facere. 310

Edacitas.

Edacitatem, quæ ex corporis constitutione nascitur, praua consuetudine paulatim augeri & intendi. 189

Effectus.

Eũdem effectũ ex diuersis causis prodire posse, & interdum quoque ab oppositis. 10
Omnem effectũ, vt in ipsa æternitate præsens est, necessariũ esse, vt autẽ futurus est, pro causarũ proximarũ ratione, aliũ liberum, aliũ necessarium esse, alium contingentẽ. 453
Quemuis effectum contingentem bifariam considerari posse, vno modo vt iam actu productũ, altero modo vt adhuc in sua causa hæret: Hoc modo est verè cõtingẽs; illo necessarius, sed id adhuc ex hypothesi. 453

Egẽs extremè. extrema egestas.

Quis propriè extremè egẽs dicatur. 35
Propriæ vitæ nõ admodum necessaria extremè egentibus deberi. 35
Non modò extremæ egestatis casum eleemosynã exigere, sed illius etiã, quæ quasi extrema videtur. 36
Æquè eleemosyna subleuandos, qui propter extremam vel quasi extremam egestatem periclitantur de salute, atq; illos, qui periclitantur de vita. 37
Cum extremè egentibus de solutione vel restitutione non semper paciſci licere, licere id tamen nonnunquam. 38
Dicere extremè egentibus nunquam licere vendere, locare, aut mutuò dare, aliud nihil esse, quàm cum ratione insanire. 38. *Quãdo extrema inopia laborãtibus vitæ necessaria liceat vendere, vel locare, ex tribus capitibus spectari debere.* 39
Non consultum videri, cum extremè inopibus absolutum de solutione, aut restitutione pactum inire. 35
Illud Christi esuriui, sitiui, etc. nõ posse referri ad solos extremè egẽtes. 43
Plurima absurda ex illorum opinione sequi, qui præceptum eleemosynarium extrema tantùm necessitate vrgente obligare contendunt. 48

Quo sensu eleemosyna extra extremæ egestatis casum libera dicatur. 52
Nulli omnino extremè egenti, etiamsi sceleratissimus sit, necessarium vitæ præsidium denegandum esse. 79
Qua parte quis extremè laborat, secundùm eam æquè iuuandum esse ac si simpliciter extremè laboraret. ibi.
Extremè egentes cæteris omnibus extremè non egentibus in re eleemosynaria præferendos. 128

Egens, quære pauper.

Eleazarus.

Illustre Eleazari martyrium. 145

Eleemosyna.

Eleemosynam, ieiunium, & orationem trifariam vsurpari. 3. *Communiter accepta latè patere.* ibid. *Vt nostræ satisfactionis partes cõstituuntur, communi quadam ratione accipi.* 4. *Admirabiles eorundem, dum consociantur, vires esse.* 5. *Alia & alia ratione se inuicem excedere.* 6
Eleemosynã, ieiunio, & oratione propter adiuncta potentiùs expiare. 6
Per ieiunium & orationem eleemosynam ad cœlum volare. ibid.
Quid eleemosyna presse sumpta. 8
Vt fidem, ita eleemosynam quoq; duo denotare. ibid.
Sacerdotum stipendia & principum vectigalia non esse veræ rationis eleemosynas. ibid.
Nec illud quoque, quod diuiti de industria datur. 9
Actus eleemosynarij principia duo. ibid.
Eleemosynam virtutis actum sonare veriùs, quàm virtutis habitũ. 10
Tot eleemosynarum formas constitui posse, quot communes mortalium sunt miseriæ. ibid.
Corporales eleemosynas rebus plurimùm, spiritales autem verbis maiorem partem constare. 10
Qui corporales, qui item spiritales eleemosynas propriè impendant. 12
Spiritales eleemosynas corporalibus præstare, quamuis non semper. 15
Eleemosynam & ieiunium multum virium orationi adiungere. 420
Eleemosynã actũ esse misericordiæ. 15
Misericordiæ & charitatis nomine sæpe designari. 16
Salutaris lauacri æmulam esse. 19
Baptismo indulgentiorem esse. ibid.
Totum hominem mundare. 20
Artem artium omnium quæstuosissimam esse. ibid.
Liberare à purgatorio. 20
Quo sensu liberare dicatur ab inferno vel peccato. ibid.
Liberare ab iis, quæ viam ad mortem muniunt. 21
Ad cuiusuis boni adeptionem, conseruationem & augmentationẽ conferre. 22
Gratiam conciliare & augere. ibid.
Augere fortunæ commoda. 24
Eleemosynæ magnitudinem & quantitatem ex tribus spectandam. 27
In ratione meriti maiorem esse, quæ prodit ex maiori charitate: In ratione

tione autem satisfactionis quæ secundùm se maior est. 28
Per furtum, vim, vel fraudẽ ablata, in eleemosynam conuerti iure non posse. 69
Contingere tamen interdum vt istuc illicitum non sit. ibid.
Qui eleemosynis abutuntur eleemosynis subleuandos non esse. 80
Eleemosynæ meritum & fructũ, dantium pietate & sanctimonia præcipuè niti, non etiam accipientiũ. 91
Eleemosynã prodesse, si vitam mutaueris, secùs non. 120
Qui præpostero fine eleemosyn. donãt, nullo spiritali fructu donare ibid.
Quid deposcatur vt eleemosyna sit dicaturq; prompta. ibid.
Nõ esse perfectam eleemosynam, quæ precibus extorquetur. 121
Benigniores eleemosynas Scripturæ phrasi benedictiones appellari. 123
Quid deposcat discreta eleemosyna. (125
Fideles et iustos in eleemosynarum distributiõe cæteris anteferẽdos ibi.
Causæ ad eleemos. erogandam impellentes vt variæ sunt, ita non ex æquo omnes impellere. 126
In eleemosynaria distributione peculiarem rationem habendam esse senum, debilium & infirmorũ. 127
Omnes fructuosæ eleem. cõditiones ad debitum honestum et necessarium referri. ibid.
Vltima necessitate secluſa, necessariũ, honestum & debitum, alia & alia ratione in eleemosynarum largitione se inuicem excedere. 128

Enos.

Quo sensu Enos dicatur cœpisse Deum inuocare. 486

Episcopus.

Episcopos cæterosq; Ecclesiæ proceres pro muneris sui ratione miserorũ omnium Patres esse debere. 64.
Terribile esse, Episcopo contradicere. 264
Episcopos Patres nostros esse, meritoq; eorum loco habendos. 266

Error.

De orationis necessitate duos oppositos errores extare. 442
Psallianorum error de orationis virtute. 443
Phanaticum errorem esse ea orationi tribuere, quæ tribuebant illi Psalliani. 444

Esca, quære Cibus.

Eucharistia.

Præparationem ad dignam Eucharistiæ sumptionem plura requirere, quàm ieiunium. 112

Euangelium.

Euangelium de partibus, quæ ieiuniũ absoluunt, nihil præfinire. 256
Apostolos non id solùm prædicare iussos, quod 4. Euangeliorũ voluminibus comprehensum est. sed totum illud, quod Euangelio consentaneum est. 283
Plurima mandata, decreta & ordinata esse ab Apostolis, quæ in Euangeliis non continentur. 284

Cuiusmodi Dominus Apostolos voluerit docere, cùm eos ad Euangelizandum amandauit. ibid.

Lex Euangelica.

Quo sensu lex Euãgelica dicatur onus leue, cùm secundùm se absolutè nõ parum sit graue. 281

Excusatio.

A peccato non excusari, qui grauioribus tentationibus succumbunt, aut diuina præcepta negligunt, vt qui cum diuina gratia potuerint non succumbere & non negligere. 455

Qui ab horis Canonicis excusentur, et qui secùs. 481

Exilium.

Exilij pœnam insonti irrogare nullo iure licere. 83

F.

Fames.

Feris beluis duriores esse, qui famis tempore pauperes è ciuitatibus extrudunt, vel huc nõ admittũt. 83

Famem vel inediam non esse conditionem ad ieiunium necessariam. Quare opus non esse cœnam vel prandium tantisper differre, dum fames torqueat. 185

In magna fame cibum auidiùs & intemperantiùs sumi. ibid.

Si fames vel inedia de ieiunij ratione foret, nullam certam horam, qua illud soluere liceret, constitui posse. ibid.

Fides.

Orationem vt sit efficax, fidem postulare. 416

Fiducia.

Multa esse, quæ excitant nostram erga Deum fiduciam. 417

Filius.

Filios familias ex iis omnibus, quæ iusto titulo obtinent, pauperibus benignè facere posse. 62

Filios parentibus adhuc superstitibus paternorum bonorum Dominos non esse. ibid.

Filios Aaronis ob violatam abstinẽtiæ legem morte mulctatos. 302

Finire.

Finiri id non posse, vnde in Christi vsum impenditur. 123

Flagellum.

Flagella vndecunq; illata, satisfactoria esse, si æquo patientiq; animo toleres. 243

Flamma.

Quò plura inflammantia coëunt, eò flammã maiorem exurgere. 172

Fœmina, quære Mulier.

Forma.

Formam, qua homo agit, non esse certã & determinatam. 451

Forum.

Alias terrestris, alias cœlestis foriloges esse. 446

Fructus.

Non omnes, qui orationi vacant, paruum ex illa fructum referre. 411

Orationis fructum eadem promouere & impedire, quæ ieiunij & eleemosynæ. 412

Tria orationis fructum augere nata esse. 413
Orationis fructum vim pauperumq; oppressionē præcipuè impedire. ibi.

Futurum.

Omnia futura omni modo, quo sunt, vel esse possunt, Deo esse præsentia. 454

G.

Gaudium.

Intensum gaudiū interdū necare. 346

Generaliter.

Quæ generaliter proponūtur aut præcipiuntur, ea ad certum aliquod membrum trahi non debere. 43

Gens.

Gentes natura duce à multis sæpe abstinuisse, quæ secundùm se alioqui, libera erant. 253
Vt cætera virtutum studia, ita voluntaria quoq; ieiunia apud paganos & gentiū populos iacuisse. ibi.

Genus, quære Species.

Germanus.

Quo ritu Germani maiores litanias et rogationum dies quondam celebrarint. 196

Gratia.

Quicquid confert ad gratiam, simul quoq; conferre ad gloriam. 23
Quod precibus à Deo impetratur, id totum illius gratia veriùs niti quā vlla nostra iustitia. 402
Non semper neq; certè obuenire, quæ ex sola gratia obueniunt. 409

Gula.

Quinq; modis gulæ vitium hominem tentare. 188
Gulæ filias ieiunij meritum sæpe soluere, ipsum autem ieiunium non item. 190
Ieiunium instrumentum esse ad omne opus bonum, gulā autem ad omne vitium & peccatum. 230
Vt ieiunium Deo sit gratum, non modò gulā, sed cætera quoq; membra à vitiis ieiunare debere. 248

H.

Hæreticus. Sectarius.

Hæreticos vlla se lege teneri negare. 154
Sectariorum doctrinam de ieiunij ratione & necessitate sibi planè dissentaneam. 233
Sectarios in paucis admodum inter se conspirare. 461
Cuiusmodi ieiunia admittant & statuant ætatis huius hæretici. 234
Sectariorum sententia semper ieiunandum esse. ibid.
Tres apud Iudæos sectas extitisse, & ex illis Essæos cōtinentiores & abstinentiores habitos. 155
Cuiusmodi hæreticorum sint argumentationes contra Ecclesiæ Catholicæ sacerdotes. 267
Sectis addictos politico magistratui plus deferre, q̄ Ecclesiast. et q̄re. 287
Aliter hæreticos, aliter orthodoxos ὁ Euangelicum vsurpare. 316
Hæreticos extrema plerūq; cōsectari, Ecclesiā aūt medium tenere. 456

Hæresis.

Hæresis.

Vnde hæreses & schismata secundùm Cyprianum nata. 266

Hebdomada.

Plurimum olim inter postremã Quadragesimæ hebdomadam & alias 5 præcedentes interceßisse. 301

Hebdomada sancta secundùm Apostolorum sanctionem aqua tantùm & pane vtendum esse. Ibid.

Veteres hebdomadam sacram religiosißimè quondam celebrasse & obseruasse. 222

Hieronymus.

Hierony. pro orationis valore multis applicatæ fide non satis bona allegari. 405

Tẽpore Hieronymi ter noctu ad preces surrectum fuisse. 476

Homo. Mortalis.

Externi hominis triplicem considerationem esse. 11

Triplicem itidem interni hominis statum existere. ibid.

Qui hominem diligit non animo tantùm, sed corpori quoque benignè facere. 12

Portentum portentoßißimum esse, hominem deuorare hominem. 138

Cùm homo peccatum detestatur, aut peccatorũ veniã precatur, ipsum, non etiam Deum mutari. 446

Non id omne, quod ex homine fluit, peccato obnoxium esse. 291

Hominem duplicem actionum suarũ regulam habere. ibid.

Quatuor hominũ genera quatuor distinctis locis asseruari. 395

Nullum mortalium citra intermißionem oratione propriè dicta orare posse. 443

Homicidium, quære Cædes.

Hora.

Horam nonã, qua olim ieiunium soluebatur, tres vel quatuor partes complecti, puta initium primæ, secundæ, tertiæ & finẽ tertiæ. 184

Crucis mysterium ad initium horæ nonæ, hoc est, ad duodecimã fuisse inchoatum, sed ad finem eiusdem horæ absolutum. ibid.

Consuetudinem à maioribus scitam et approbatam, vel non improbatam, absoluere eos à ieiunij solutione, qui hora vndecima, vel aliquantò etiam citiùs prandent. 184

Tres de accubationis hora quæstiones non inutiles agitari. 187

Ecclesiam non præcepisse, vt ieiunium hora sexta aut nona soluatur, sed vetasse, ne ante illud tempus soluatur. ibidem.

Non licere cœnæ vel prandij horam, dum ieiunio opera datur, anteuertere, sicut licet illud progare. 187

Necessium fuisse, vt Ecclesia horam præfiniret, ante quam ieiunũ soluere ordinariè non liceret. 187

Vt certæ pces certis horis, ita ieiunia certis pcibus accõmodata esse. 188

Si causa adsit, prandij horam nonnihil anticipare licere. 191

Horæ Canonicæ. Preces horariæ.

Horam

Horam Canonicam inchoatam, & ob causam iustam non absolutam, à capite repetere opus non esse. 431
Nihil omnino in horis Canonicis comperiri, quod cum Scripturis, aut ratione, aut religione, aut maiorũ traditione pugnet. 461
Plura circa horas Canonicas sectis addictos cauillari, sed omnia iniustè & ineptè. 465
Quicquid circa horas Canonicas obseruatur, hoc totum rationis dictamini & populorum omnium consuetudini maximè consentaneum esse. 468
Precum horariarum numerum ex veteri Ecclesia in nostram esse translatum. 469
Nullum horarum Canonicarum numerum potuisse assignari, qui sectariorum telis non esset expositus. 469
Preces Canonicas iis horis assignatas esse, quæ præ cæteris ad orandum visæ sunt magis idoneæ. 470
Ecclesiam horas Canonicas earundemq; tempora præcipuis passionis Christi mysteriis & partibus accommodasse. 471
Neminem ad horarum Canonicarum pensum absolutè cogi, sed illos tantùm ad onus illud præstandum obligari, qui beneficiis, prærogatiuis, & immunitatibus Ecclesiæ volũt potiri. 479
Tria hominũ genera ad horarũ Canonicarum recitationẽ obstringi. ibi.
Sacris initiatos ad recitãdum, vel decantandum horas Canonicas lege obligari. 480
Titulo sæculari beneficium aliquod obtinentes ad eiusmodi horarum onus non obligari. ibid.
Qui citra causam, horariarum precum pensum absoluere omittunt, et peccatum cõmittere, neq; fructus suos facere. 481
Canonici cæteriq; beneficiarij præsentes & non recitantes cadunt in pœnam in non recitantes decretam. 482
Qui priuatim horas Canon. recitant, neq; nimiùm anticipent, neque nimiùm rursus prorogent. 496

Hospitalitas.

Pauperes ab vrbibus & ciuitatibus excludere, pugnare cum hospitalitate, vt quod maximè. 84

Humilitas.

Qui repulsam pati non vult, eum humilitatem animæq; submissionẽ ad orationem adferre debere. 418

Humilis.

Orationem, quæ efficax futura est, non solùm humilem affectum exigere, sed humilem quoque intellectum. 419

Hymnus.

Quid sit hymnus propriè, et quæ de illius ratione. 489
Ab Ambrosio & Hilario varios hymnos esse compositos. 490
Duo Angelorum hymni. ibid.

Mediolani tempore Ambrosij et Augustini hymni & Psalmi vt publicè canerentur, institutum. 493
Chrysostomus contra Arrianos hymnos scribere instituit. ibid.
Arriani hymnorum causa cum orthodoxis congrediuntur, pluresq; vtrinque cadunt & vulnerantur. 494
Qua occasione hymni in Constantinopolitana Ecclesia recepti & conseruati sint. ibid.

I.

Ieiunium.

Ieiunium inter satisfactionis partes primas obtinere. 7
Nihil carnis petulantiam æquè comprimere atque continuatum ieiunium. 127
In primitiua Ecclesia frequentem ieiuniorum vsum extitisse. 130
Non idē esse prorsus ieiunium & moralem abstinentiam. ibid.
Ieiunium non omnes, abstinentiam omnes obligare. 130
Cuiusmodi abstinētia sit ieiuniū. 131
Duplex ieiuniū esse, necessitatis vnū, supererogationis alterum. ibid.
Triplex in vniuersum ieiunium celebrari. 132
Ieiunium naturæ bifariā accipi. ibid.
Ieiunia, quæ natura vel recta ratio dictāt, nunquā non obligare. 132
Verisimile fieri Patres, qui legē antecesserunt, suas habuisse & coluisse ieiunationes. 133
Non omnia Mosaicæ legis ieiunia fuisse libera. ibid.
Scripturarum phrasi afflictionis nomine ieiunium designari. 133
Ieiunium Ecclesiasticum tribus partibus constare. ibid.
In ieiunij rigore tēporis lapsu magnā factam esse remissionem. 172
Quid sit in fraudem ieiunij manducare. 175
Ieiunio per repetitam mensam soluto, nihil illius restare, quod altera corporis refectiōe solui queat. 177
Non esse necessarium, ieiunium vno die omissum alio redintegrare. 179
Tres inhibitiones, quæ in ieiunij legem cadunt, nō eodem modo ad illam affectas esse. 180
Ieiunij Ecclesiastici rationē, prætuitā horam deposcere. 181
Ieiunio quondam preces & eleemosynas aliaq; eiusmodi addi consueuisse. 183
Ieiunium ad culpæ inhibitionem & expiationem ordinari. ibid.
Ieiunia ad tria conferre. 186
Vnam accubationē inter ieiunij partes primas tenere, proximas alterum delectum, postremas statam horam. 189
Ieiunium diurnum & Ecclesiasticū, nullo modo ferre alterum corporis refectionem. ibid.
Ieiuniorum alia libera, alia necessaria esse, & cuiusmodi sint vtraque. 192
Spontaneorum ieiuniorum quædam esse

esse communia, quædam priuata. ibidem.
Multa ieiunia nunc libera esse, quæ olim fuerunt obligatoria. 192
Iniustam quorundam querelam esse, de ieiuniorum multitudine. 193
Ieiunium Sabbati & prosabbati & feriæ quartæ Apostolorum ætate sub anathemate indictum fuisse. ibidem.
Idq; à Diuo Petro. 193
Ieiunium 14. dierum ante Ioannis festum quondam fuisse celebratum, eiusdemq; nullum nunc vestigium extare. 198
Ieiuniorum indictorum quædam esse communia, alia loci alicuius propria. 198
Hæc autem in tribus differre. ibid.
In tribus rursum conuenire. 199
Non omnia ieiunia paris obligationis esse. ibidem.
Peccare qui constituta ieiunia negligunt. 199
Communia ieiunia maiorem partem ab Apostolis orta, cæterisq; diuturniora esse. 200
Quid inter communia ieiunia intercedat. ibid.
Communia Ecclesiæ ieiunia ad tria capita referri. 101
Moysi, Eliæ, et Christi ieiunium prodigiosum extitisse. ibidem.
Admirabile itidem fuisse ieiunium Simeonis, Maranæ & Cyræ. 202
Duplex ieiunium, plenum & semiplenium. 207
Ieiunio abluuntur peccata, & peccatorum sanantur vulnera. 209
Alio Christum, alio nos tempore ieiunium celebrare. ibid.
Ieiunium rem esse saluberrimam. (211
Spontanea ieiunia mirè hoc tempore infrequentia esse. ibid.
Aliud deuotionis, aliud institutionis ieiunium esse. 224
Sectæ addictos nunquam verè ieiunare, & tamen semper ieiunandum esse docere. 226
Primum ieiuniorum opus esse carnem eiusdemque motum comprimere. 227
Primos Christianos ieiuniis apprimè deditos fuisse. ibid.
Proximum eorundem effectum esse carnis vitia profligare. 228
Eaque in re plurimum posse. ibid.
Peccatum intimis visceribus infixum potenter expellere. 229
Vt fructuosum existat, abstinentiam à vitiis adiunctam habere debere. 230
Nullum mortalium ieiunium absolutè acceptum abrogare posse. (233
Ieiunium mentem ad Deum subleuare, rerumq; cœlestiũ gustum et notitiam conciliare. 235
Prophetas generare, et sapientiam administrare. 237
Cœlestis gratiæ radicem castitatisque fundamentum esse. ibidem.

Per idem illud patere reditum ad paradisum. 237
Omnem ætatem & sexum quasi diademate coronare. 238
Eius proprium esse, vitia eliminare, et virtutes inducere. 238
Bonos & sanctos viros efficere. 239
Ieiunium actum esse abstinentiæ, hanc verò speciem temperantiæ. 239
Æternæ vitæ meritoriũ, promeritarũ pœnarum expiatorium & satisfactorium esse. 239. 240
Ieiunij edictum vbiq; terrarum notum esse. 300
Quid inter bonorum & malorum ieiunium intercedat. 305
Ingentia esse commoda, quæ adferunt ieiunia. 313
Quo modo ieiunium externum interno destitutum dicatur. 315
Ieiunium rationali hominis vitæ cõsentaneum esse, animali non semper. 318
Multa mortalium millia ieiunia ab Ecclesia indicta probè adhuc obseruare. 321
Si nulla antè ieiunia indicta essent, hoc tempore ob animarum corporumq; salutem indici debere. 322
Quales fuerint, qui primò ieiunia indixerunt. 324.
Ieiunium trifariam solui, opere videlicet, voluntate, & vtroque simul. 325
Qui sint, qui vtroque modo soluunt. ibid.
Modicum quid quocunque tempore sumptum ieiunium non infringere. 326
Ieiunium vno die omissum altero instaurare necessarium nõ esse. 327
A ieiunio absolutos, à ciborum delectu non semper absolui, & vice versa. 328
Ieiunium hac ætate multis partibus facilius esse, quàm erat olim. 339
Quantum intercedat inter modernorum & veterum ieiunium breuis notatio. ibid.

Ieiunare.

Quomodo alicubi ieiunabatur Apostolorum ætate. 152
Ieiunantes Christi passioni se conformare. 183
Cur feria quarta & sexta ieiunetur. 194
Theodosium seniorem quarta et sexta feria communiter ieiunasse. 195
Sanctè ieiunantes à mundo alienari, & spiritales effici. 238
Quid sit Pharisaicè ieiunare. 244
Quid item gulosè, et quibus modis gulosè ieiunetur. 245
Quid dolosè, vel in ieiunij fraudem. (ibidem.
Multis modis fraudem in ieiuniis cõmitti. 245
Qui inordinatè ieiunare censendi sint. (ibidem.
Quid sit superstitiosè ieiunare. 246
Cuiusmodi sint, qui hæreticè vel sectanicè ieiunant. 247

Impetro.

Quomodo precator affectus esse debeat, vt ora-

vt oratione sua aliquid à Deo impetret. 413

Imprecatio.

Quo sensu accipiendæ sint imprecationes Sanctorum, quæ in Scripturis passim obuiæ sunt. 551

Imprudentia.

Imprudentia quorundam de ieiuniorum solutione loquentium. 338

Inedia, quære fames.

Inobediens.

Omnem omnino verè inobedientem, præceptum ex parte contẽnere. 287

Ingratitudo.

Ingratitudinem beneuolentiæ fontem extinguere. 354

Inuocatio.

De inuocatione diuersæ opiniones modiq; dicendi. 511

Eadem lege tenemur Deum inuocare qua amare & venerari. 512

Quicquid probat, orationẽ ad salutem necessariam, simul probat Deum inuocandum esse. ibid.

Diuos aliter, aliter Deum inuocat Ecclesia. 520

Omnis veræ ratiõis inuocatio Duliæ vel Latriæ cultum includit. 520

Damnati nullo modo sunt inuocandi, multò minùs dæmones. 521

Augustinus B. Virginem prolixè inuocat; Chrysost. Michaëlem; Nazianz. Basilium; Hieron. Paulam Romanam; & alij alios. 528

Inuocatio Diuorum in Ecclesia Dei vsitata, res est ab omni idololatriæ crimine prorsus aliena. 529

Diuorum inuocatio res vtilis & salutaris. ibid.

Synagogæ vsus in piorum inuocatione, & meritorum eorundem allegatione. 530

Iob amicorum monitu inuocat Sanctos. ibid.

Magdeburgici Cẽturiatores illustrem locum Synodi Chalced. qui de Sanctorum inuocatione agit, fraudulenter suppresserunt. 532

Ionathas.

Ieiunium à Saulo inditum & à Ionatha per errorem violatum, grauissimè fuisse vindicatum. 298

Cur Deus ieiunium à Ionatha imprudenter solutum, tanta seueritate puniuerit. 299

Ira.

Iram mentis temulentiam esse. 248

Iudæus.

Iudæos cæremoniarum suarum apprimè obseruantes fuisse. 147

Triplici de causa à quibusdam abstinuisse. 164.

Vsque ad vesperam ieiunium producere consueuisse. 173

Apud Iudæos duplex ieiuniorum genus obtinuisse, vnum quod præcepto diuino, alterum quod maiorum traditione constabat. 245

In quibus Iudæorum & Christianorum ieiunia conueniant, & in quibus rursum à se inuicem discrepent. 255

Iudæos defunctorum causa ieiunio se afflixisse; capitale apud eosdem

extitisse sacerdotibus, parentibus, cæterisq́, maiorib⁹ nō obedire. 262
Iudæorum sacerdotes post Christū passum inane tantùm sacerdotij nomen tenuisse. 266
Quæ Iudæorū doctoribus legi licuerit addere, quæ item non licuerit. 284
Solum Deum Iudæorum cæremonias præuenire potuisse et debuisse. 285
Iudæos suas habuisse sanctiones & leges politicas. ibid.
Iudæorum populum magno diuersarum legum et obseruationum onere fuisse pressum. 286
Quò Iudæi se conuerterint, intra vel extra templum orantes. 379

Iudex.

Vt iudex id retinere non potest, quod accepit, vt nō iudicet, vel vt malè iudicet; ita nec testem quoque illud, quod accepit, vt nullum vel falsum testimonium dicat, retinere posse. 72
Quid statuendum de pecuniis iis, quas iudices supra cōstitutum salarium ab alterutra parte litigantium nonnunquam accipiunt. ibid.
Satius videri vt instituantur certi censores vel iudices, qui exteros pauperes ab æmulis defendant, quàm qui in illorum vitam inquirant. 89

Iulianus Apostata.

Cur Iulianus Apostata horarum Canonicarum ritum transtulerit ad paganos. 477

Ius naturæ &c.

Iure naturali omnia esse communia, iure gentium nō omnia, sed superuacanea tantùm. 47
Iure naturæ hominem ab iis omnibus abstinere obligari, quæ animæ vel corporis saluti aduersari dignoscūtur. 250
Quid inter naturale & humanum ius intercedat. ibid.
Ius naturæ secūdùm se absolutè bona vel mala iubere, vel vetare tantùm; ius humanum ea etiā vetare vel iubere, quæ viam ad huiusmodi bona vel mala muniunt. ibid.
Ius naturale generalia tantùm dictare vel docere, humanum autem generalia iuris naturalis præcepta & dictamina ad particulares casuum deducere. 251
Ius naturæ immutabile, humanum autem mutabile esse. ibid.
Ieiunia, vt ad hominis salutem necessaria sunt, ius naturæ exigere, vt verò ad hunc vel illum abstinentiæ modum determinata sunt, non naturæ necessitatem, sed maiorum auctoritatem illa à nobis deposcere. 251
Quomodo & quando iure naturali à quibusdam abstinere vel ieiunare obligemur. 252
Iure naturali ab iis omnib. abstinēdū, quæ animo vel corpori obsunt. ibid.
Omnia quæ in humanæ vitæ vsum veniunt, iure naturali tantisper permissa esse, dum corpori vel animo non officiunt. 253

Ieiu-

Ieiuniũ iure naturali secundùm se nõ semper liberũ esse, secundùm modũ aũt eo iure semper liberũ esse. 253
Qui ieiunium omnem, qua pollet, vim ex iure diuino habere contendunt, omne robur illi adimere. Trifariã ad hæc illos peccare, qui Quadragesimæ vel aliud quodcunq; ieiuniũ iuris diuini esse asserunt. 260
Non satis prospectum fore Reip. si illi tantùm punirentur, qui diuinum vel naturale ius violassent. 294

Iustitia.

Iustitiæ nomine Christum Dominum complexum esse ieiunium, eleemosynam, & orationem. 4
Iustorum orationem de iustitia satisfactoriã esse, iniustorum non item. 383

Iustificatio.

Ad iustificationis beneficium obtinendum necessariò deposci propriũ cordis motum in adultis. 399
Paralyticum Matt. 9. citra propriã fidẽ & spẽ non iustificatũ fuisse. 400

Iustus.

Quòd iusti pro iniustis orantes non semper audiuntur, id ex praua iniustorum dispositione plerunque prouenire. 402
Iusti orationis præsidio multis modis indigent. 509

Iuuenis. ephebus.

Ieiunia non solùm adultis, sed iuuenibus quoq; & ephebis sæpenumero necessaria esse. 231. *adeoq; iuniores ad quædam Ecclesiæ ieiunia inducẽdos et cõpellendos videri.* 232

L.

Labor. sudor.

Qui labores dicẽdi sint ardui et necessarij. 331. *Propter arduos & necessarios labores multos à ieiunij lege eximi.* ibid.
Laboribus parum grauibus parumq; necessariis intentos ab indictis ieiuniis non absolui; interdũ tamen absolui hinc posse. 331. *Triplicem externi laboris vsum esse.* 98
Externum laborem ad fallendũ otium non esse necessarium. ibid.
Sudoris nomine quamuis corporis molestiam designari. 100. *Externum laborem cum monasticæ vitæ instituto non pugnare.* 104
Posthabendum eiusmodi laborem, vbi spiritali magis vtili, magisq; necessario impedimentum adfert. 105
Vbi maior labor & molestia, ibi cæteris adæquatis maiorem contingere satisfactionem. 361

Laborare.

Eleemosyna indignos, qui ppter ignauiam laborare non volunt. 81

Laus vocalis.

In cœlo non defutura est laus vocalis. 484

Leopardus.

Leopardorum ingenium & natura. 440

Lex.

Legem nouam non minorem exigere perfectionem, quàm lex vetus. 29.
Leges de iis ferri, quæ frequentiùs acci-

accidunt. 43. Leges quæ eleemosynarum studium infirmant, neq; vtiles, neq; reip. salutares esse. 96
Triplicem esse legem legisq; sanctionem. 133. Eandem nunc ferendarum legum in Ecclesia auctoritatem esse, quæ fuit Apostolorum ætate. ibid.
Primam legum omnium de ciborum delectu fuisse latam. 140. Legem de ciborum delectu in paradiso latam ibidemq; violatam, seuerissimè fuisse vindicatam. ibid.
Legẽ de sanguine & suffocato omnibus penè mũdi ætatibus obtinuisse. 144. In lege Mosaica plurima sua natura munda tanquam immunda fuisse prohibita. ibid.
Leges humanas plurimùm de iis rebus ferri, quæ natura sua indifferentes sunt. 160. Non esse necessum, vt subditi legum rationem teneant, sed sat esse, si iustis legibus parendum intelligant. 165. Satius esse, salutaris legis rigorem non nihil remittere, quàm totam legem abrogare. 172. Ieiuniorum legem tres inhibitiones complecti. 176. Eandem de rebus sua natura mediis cauere. 177. Nullam omnino legem ferri, sed nec ferri quoq; posse, quæ omnibus æquè sit commoda. 188. Patres, qui legem antecesserunt, suas habuisse ferias & ieiunationes. 254
Variè errari circa humanarum legum vinculum. 261
Qua occasione de humanarum legum vinculo hîc disputetur. ibid.
Peccato illos affines fieri, qui humanas leges temerè præuaricantur, scripturas & patres passim affirmare. 261
Legem nouam maiorem obedientiam & perfectionem deposcere, quàm lex vetus. 267
Grauiter errare, & cum manifestis scripturis pugnare, qui leges humanas tantùm ad pœnam obligare contendunt, non etiam ad culpam. 268
Si humanæ leges nõ obligarent ad culpam, nullo modo fas fore, eiusmodi legum præuaricatores capitali supplicio afficere, aut anathemati subiicere, aut alia quacunque graui pœna afficere. 268
In multa absurda sese conijcere, qui humanas leges ad culpam obligare inficiantur. 269
Multum inter diuinas & humanas leges intercedere; etiamsi in quibusdam conueniant. 269
Legem humanam diuinæ vel naturali legi dissentaneam, non legem, sed legis corruptionem esse. ibid.
Humanam legem, vt obligandi vim habeat, multas conditiones deposcere. 269
Legem diuinam humana diuturniorem esse, eademq; latiùs patere, hoc est multò plures, multoq; strictiùs obligare, quàm lex humana. 270
Quid deposcatur, vt lex quæpiam diuina

uina censeatur, & in quo diuina & humana conueniant. ibid.
Legem diuinam & humanam id sæpe necessarium efficere, quod sua natura liberum erat. 270
Nec eiusdem grauitatis esse legum quarumlibet præuaricationẽ. 271
Humanarum legum transgressionem non semper mortiferam esse; sed neque diuinarum quoque. ibid.
Plura considerare debere, qui de legis præuaricatione, eiusdemque grauitate certò pronunciare velit. 272
Legem vsu non receptam, aut per contrarium vsum abrogatam, vim obligandi non habere. 272
Ex legis forma, materia, vsu, aliisque huiusmodi facilius transgressionis grauitatem deprehendi, quàm ex legislatoris voluntate aut loci consuetudine. 273
Generatim eam legis trãsgressionem capitalem censeri, quæ contra publicum Reipub. vel Ecclesiæ bonum commissa est, venialem autẽ, quæ citra illud. 273
Jure meritoq; existimari posse, legislatorem illud voluisse, quod materiæ circa quam ferebat, qualitas deposcebat. 274
Quicquid legislator de transgressionis noxa statuerit, si id non fit, quod absolutè fieri vult, & cum ratione voluit fieri, peccatum conflari. 274
Studiosè obseruandum, an id, quod lege cautum extat, absolutè præceptum, an tantũ consultum sit. 295
Statutum aliquod legisne an præcepti vim obtineat, an tantùm consilij, ex materiæ qualitate spectandum esse. 275
Ex legis forma aliquidne simpliciter sit p̃ceptum an verò statutum, vel ordinatũ, colligi vtcunq; posse. ibi.
Qui iusta de causa legem violant, non peccare. 276
In legum præuaricatione non esse spectandum, quantum vnius præuaricatio detrimẽti adferre queat, sed quantum plurium. ibid.
Legem ea, quæ antea tantùm vtilia vel salubria erant, necessaria facere. 277
Cuiusmodi sint statuta & leges monasticæ, parentum item & præceptorum. ibid.
Legem legislatoris subditos tantùm obligare. 278
Quomodo lex iusto non est posita. 279
Non sat esse legem cognoscere, sed opus esse præterea eiusdem quoque obseruatione. 281
Patres qui legẽ antecesserunt, non vixisse sine legibus ciuilibus & Ecclesiasticis. 285
Frustra leges figi, si nemo illis parere obligatur. ibid.
Non omnes, qui contra legem peccant, ex contemptu peccare. 286
Nec omnes rursum, qui imperium detrectant, eodem modo detrectare. 287

Apertè detrectantes peccato obnoxios fieri, siue ex contemptu id faciant, siue ex errore. ibid.
Quid sibi propositum habeant probi legislatores, dũ legem aliquam promulgant. 288
Legem iustam citra iustam causam p̃uaricantes necessariò peccare. 289
Etsi legislatores prævaricatoris culpã vel pœnam non intendant, permittere tamen vel non impedire. 289
Constitutiones ad pœnam tantùm obligantes, non propriæ rationis legem aut præceptum esse. 290
Legislatorem legis prævaricatorẽ neque pœnæ, neq; culpæ inuoluere, sed ipsummet prævaricatorem, seipsum vtrique inuoluere. 292
Falli qui humanas leges aliud nihil, quàm quosdam tantùm diuinæ vel naturæ legis interpretes vel iudices esse asserunt. 292
Bonæ legis cõditiones varias esse. 304
Leges, quæ temerè violatæ noxã nullam adducunt, non esse veri nominis leges. 311
Quorum sit, legum Ecclesiasticarum nodos & difficultates explicare & enodare. 312
Olim multò pauciores à ieiunij lege fuisse exẽptos, quàm hac ætate eximuntur. ibid.
Legis vinculum tamdiu durare, quamdiu legislator cum ratione illud durare iubet. 320
Legis finẽ sub p̃ceptũ non cadere. 326
Lex Euangelica, quære Euangelium.

Libertas.

Christiana libertas in qbus posita. 279
Non omnem legem perfectam perfectæ libertatis legem esse. 280
In hac vita plenam à peccato & miseria libertatem non obtingere. 306
Libertatem Christianam non reperiri in malis & improbis, sed tãtùm in bonis. ibid.
Christiani hominis libertatem non esse immunitatem à corporali seruitute, aut à legum humanarum onere, aut à debito pecuniario. 307
Quid ꝑpriè sit libertas Christiana. 307
Nullam esse plenam spiritus libertatem in hac vita. 308
Christianæ libertatis fundamẽtum & basim esse Christi gratiam. ibid.
Christiana libertate eò vnumquenque liberiorem esse, quò melior, nec non à peccatis, eorundemque occasionibus est expeditior. 308
Ieiunia cæteraq; carnis mortificationes Christianam libertatem augere. 309
Cuiusmodi sit Christiana libertas. 168
Vt carnis & spiritus opera inter se sunt admodum dissimilia, ita etiã carnis & spiritus libertatem. 169

Libero.

A quibus incommodis Christus nos liberarit, vel non liberarit. 279

Licentia.

Maximam carnis licentiam vigere apud ætatis huius sectarios. 169

Litania.

Litaniarum vsus peruetustus. 529

Locus.

Locus.

Loca publica omnibus ex æquo de iure patere: neq; vllum citra culpam aut grauem causam eo iuris beneficio priuari posse. 82

Vbique locorum comperiri, qui citra aliorum subsidium vitam tueri nõ possunt. 84

Salubriùs in sacro quàm profano loco orationem fundi. 374

Quiuis eo loci oret, vbi maiori spiritali fructu orare se posse persuasum habet. 375

Diuersa munia & ministeria diuersa flagitare loca & tempora. 467

Lucrum.

Exiguum esse lucrum, quod ordinum mendicantium fratres priuatis laboribus conficere possunt. 106

Lusus.

Quod alea, vel alius eiusmodi lusus peperit, id non semper in eleemosynæ opus exponere fas esse. 76

Lutherus.

Lutherum incestis nuptiis se polluisse. 158

Eundem innumera fecisse, docuisse, & scripsisse & citra & contra manifestum Dei mandatum. 158

Lux.

Lucem & vocem non liberè agere, sed naturaliter & necessariò, orationem autem eiusdemq; vim ex libera causa dependere. 404

Honesta amare lucem. 376

M.

Machabæi.

Heroica sanctorũ Machabæorũ sentẽtia, crudeleq; eorundẽ supplicijũ. 145

Magistratus. Superior.

Terribilia exẽpla in eos constituta, qui legitimos magistratꝰ cõtẽpserũt. 265

Superiores illos spernere, qui iusta illorum mandata contemnunt, vel studio negligunt. 264

In quibus, & quomodo superioribus parendum. 283

Quid sit superiori nolle parere, & quãtum peccatum hoc sit. 286

Magus.

Apud Persas tria magorũ genera extitisse. 155

Malum.

Inter omnia mala arcem tenere peccatum, mortem & infernum. 19

Quod intrinsecè malũ est, id eiusmodi esse, ratiõis luce dẽphendi posse. 136

Aliquod malum vel incommodum propter maius commodum toleran dum. 167

Malos aut malum, aut malè semper petere. 361

Duplicis generis malũ est, simpliciter nimirum, & secundùm quid. 552

Maledictus.

Quo sensu maledictus dicatur, qui facit opus Dei negligenter. 423

Manè.

Qui manè cibum sumit illum cõmuni mortaliũ iudicio non ieiunare. 190

Qui prudentes & citra causam manè comedũt, siue postero ieiunio totã diẽ ꝓducãt, siue denuo cænẽt, vel prandeãt, ieiuniũ simpliciter soluere. 327

Matutinus.

Matutinas preces quatuor partes complecti, quæ olim quatuor distinctis noctis vigiliis decantabãtur. 473

Missam citra grauem causam ante dictas matutinas celebrare non licere. 496

Mandatum, quære præceptum.

Mando. Manduco, quære Edo.

Manus.

Manus commune quoddam organũ esse. 102

Mederi.

Ieiunium animabus corporibusq́, medendis salubriter institutũ esse. 242

Medicus.

Medicorũ quorundã praxis et ars. 73

Quæcunque à medicis, vel causidicis, vel aliis quibuscunq, arte vel fraude supra debitam mercedẽ extorquentur, ea in eleemosynam vertere non licere. ibid.

Medicina.

Medicinæ vocabulum, auctore Augustino, latè patere. 12

Medicinale ieiunium omnem auferre languorem & omnem rursum tribuere virtutem. 229

Meditatio.

Vniuersam meditationis materiam, quæ latè alioqui patet, ad duo capita reduci posse. 342

Christi passionem & humanitatem peridoneum meditationis argumentum subministrare. 345

Membrum.

Quod Christi membris impenditur, hoc ipsum Christo impendi. 17

Mẽbra castiganda nõ interimẽda. 229

Ieiunia Ecclesiæ membris apprimè necessaria, esse etsi non singulis. 231

Membrum suo corpori non conformatum, deforme esse. 496

Mendicus.

Varias validorum mendicorum artes & impostoras esse. 81

Vagos validosq́, mendicos Reip. perniciosos censendos. ibid.

Propter validos mendicos leges alicubi natas veris mendicis parum commodas. 82

Ad magnas miserias & molestias adigere egenos mendicantes, qui ex ciuitatibus illos excludunt. 83

Diuitum duritiem & inclementiam cogere mendicos multas artes excogitare. 62

Mendicos, qui piorũ benignitate abuntuntur, vacuos dimitti debere. 118

Mendicare.

Mendicare non esse culpam, sed penam. 82

Neminem pauperibus iure inhibere posse, ne extra patriam mendicent, nisi in patria de necessario alimento illis prospiciat. 83

Vt quis mendicandi ius habeat, non esse necessum vt sit cæcus vel claudus, sed sat esse, vt ita affectus sit, vt citra aliorum opem commodè viuere non queat. 90

In magna sæpe commoda incidere, qui publicè mendicant, in quæ non illi, qui domi detinentur. 95

Si nefas esset mendicare, nefas quoque fore eleemosynam dare. 98
Mendicare secundùm se non esse malum, aut illicitum aut vlla omnino lege inhibitum. 112
Mendicare quandoque bonum, quandoq; malum nonnunquam indifferens esse. 113
Plurimos Sanctorum mẽdicasse, suisq; sectatoribus mendicimonium patrimonij loco reliquisse. 115
Totum monasticum statum euertere, qui mẽdicare illicitum asserũt. ibi.

Mendicitas.

Quandam mendicitatem inter bonam & malam medium obtinere. 113

Mercurius, quære dies.

Merces.

Quicquid in Christum confertur, amplissima mercede compensari. 19
Mercedem meretriciam in eleemosynam verti non posse, quando restitutioni est obnoxia, vt interdum est. 74
Mercedem ariolorum, sortilegorum, aliorumq; eiusmodi, citra peccatum in eleemosynam verti posse. 76
Non perdere mercedem, qui dat eleemosynam indigno, ratus dignum esse. 60
Eleemosynæ mercedem apud Deum deberi. 93
Debitam mercedem parere meritum. 239

Mercenarius.

Cuiusmodi mercenarij à ieiunio eximantur, vel non eximantur. 332

Mercatura.

Quo fine viris opibus affluẽtibus negotiari, aut mercaturam exercere liceat. 54

Meritum. Mereri.

Honorificum esse de altero bene mereri. 18
Pietatis cuiusq; generis officia, Christi meritũ & gratiam illustrare. 309
Quodcunq; opus Christus suadet, hoc illius meritum non eleuare. ibid.
Non omnem orationem meritoriam, esse aut satisfactoriam aut impetratoriam. 382
Vnde habeat iusti oratio, vt vitæ æternæ sit meritoria. 382
Propriæ rationis meritum tria includere, opus humanum, Dei gratiam, & eiusdem acceptationem. 382
Nullum mortalium alteri primã gratiam aut gratiæ augmentum ex cõdigno mereri posse. 399
Merito congrui, vnum alteri gratiã, aut peccatorum remissionem mereri valere. ibidem.
Non minus mereri & interdum non minus quoq; impetrare, qui orant pro multis, atq; qui orant pro paucis. 405. 411
Deum in omni omnino discrimine & necessitate non modò licitè, sed cũ merito quoq; inuocari. 511

Metropolitanus.

Metropolitanos & Diœcesanos populi cõsensu accedente, ieiunia & festa iũcere posse. 198

Ministeri.

Sectarum ministros in publicis conuiuiis maculas esse. 17
Iniusti orationem prodesse alteri, si orat, vt ministeri Ecclesiæ. 403
Non minùs æquum videri, vt Ecclesiæ ministri per leges compellantur ad horarum pensum persoluendũ, quàm vt sæculares adigantur ad decimarum solutionem. 478

Misericordia.

Quid propriè sit misericordia. 8
Quæ illius munia & partes. ibid.
Qui quocunq; modo misericordiã præstant, eleemosynam dare. 13
Scripturas misericordiæ opera non solùm laudare & prædicare, sed etiã mandare, & iubere. ibid.
Aliter in Deo, aliter in homine misericordiam esse. 16
Misericordiam & eleemosynam se habere, vt causa & proprius eius effectus. 16
Misericordiã obstruere infernũ. 19
Misericordiæ operibus deditos, mala morte nunquam mori. ibid.
Conspectum miserorum prouocare ad misericordiam. 97
Opera misericordiæ, vt sint perfecta et efficacia, alias virtutes adiunctas habeant oportet. 119

Misereri.

Cur misereri & parcere Deo dicatur proprium. 16
Deum misericordem nunquam deserere. 25

Missa.

Ieiuniorum tempore Missæ olim aliquot horas post meridiem celebrabantur. 497
Missã citra grauẽ causam ante dictas matutinas celebrare nõ licere. 496

Monachus.

Monacho peregrè agenti in re eleemosynaria aliisque similibus licere, q cæteris honestis viris. 59
Multũ intercedere inter veteres monachos, & mendicantium ordinum institutum professos. 104
Quo sensu monachi perfectiõis statum testari dicantur. 105
Vt monachus perfectus dicatur, sat esse, si perfectionis media diligenter obseruet. ibid.
Monachos inter mendicandum cautionem & moderationem adhibere debere. 106
Monachis carnium vsum interdictum. 150
Veteres monachos feria secunda plerunq; ieiunasse. 195

Monasterium.

Quæ oneribus monasteriorum sustentandis necessaria non sunt, per superiores in egenos exponi posse, & exponi quoq; debere. 64
Opulẽta monasteria peculiari ratione ad opera misericordiæ obligari. ibi.
Monasteria ex communi censu vinẽtia primitiuæ Ecclesiæ speciem præ se ferre. 107

Morbus.

Luxum & gulam quàm plurimos morbos parere. 319

Mors.

Mors.

Ob leuem noxam nulli mortem inferre licere. 262

Motus.

Motus interiores, si vehementiores fuerint, in externum hominem interdum redundare. 358

Mulier.

Mulieres vterum gestantes, vel infantes lactantes generali quadam regula à ieiuniis liberas haberi, & quare. 330

Mundus, quære Purus.

Multiloquium.

Cuiusmodi sint, qui multum loquuntur & parum orant. 566

Vbi imperitia regnat, ibi multiloquium locum plerunque habere. 367

Murmurare.

Qui cõtra superiores murmurant, vel eos spernunt, contra Deum murmurare, eundemq; spernere. 263

Musica.

Musica mouendis variis animi motibus instrumentum aptissimum & vsitatissimum est. 485

N.

Natura.

Quod naturæ est necessarium, id neminem in pauperes erogare obligari. 34

Naturæ nostræ non necessarium extremè egentibus iure deberi. 35

Naturam rectamq; adeò rationem declare, vt abundantes necessitatem patientibus opem ferant. 86

Ieiunium & abstinentiam iure naturali niti. 165

Humanæ naturæ imbecillitatẽ perpetuum ieiunium non ferre. 112

Duplex naturæ adiaphorũ esse. 252

Legem rerum naturas aliquatenus mutare. 277

Necessitas. Necessarium.

Necessitatem excedentia in necessariũ pauperum vsum vertenda. 45

Vbi maior vrget necessitas vel paupertas, ibi maiorem miserationis rationem militare. 126

Si omnia, quæ in rerum vniuersitate existunt, essent necessaria, nihil oriturum, aut interiturum. 450

Duplex necessitas, consequentis & consequentiæ. 515

Necessitas orationis, quære Oratio.

Negotium, quære Res.

Niniuitæ.

Niniuitas non tres tantùm, sed 40. dies ieiuniis aliisq; pœnitẽtiæ operibus vacasse. 203

Nouitas.

Nouitatem omnem de vitio esse suspectam. 176

Nox. Vespera.

Primos Christianos Alexãdrinos vsque ad noctem vel vesperam ieiunasse. 173

Sed nec primos quoque monachos ieiunium ante noctem laxasse. ibid.

Quod

Quod vesperi tempore ieiunij secundùm Ecclesiæ indulgentiam conceditur, hoc prandio in cœnam reiecto, circa meridiem sumere licere. 176
Iudæos & primos Christianos ieunia ad noctem vsque producere consueuisse. ibid.
Trecentos annos post Christum passum ieiunium à plerisq; vsque ad noctis initium porrigi consueuisse. 182
Noxa, quære Peccatum.

O.

Obsecratio.

Obsecratio quid sit propriè. 353

Obligatio.

Omnem omnino obligationẽ ex lege, præcepto, voto, vel aliquo eiusmodi nasci. 295

Obstinatus.

Quomodo sanandi obstinatè improbi. 11

Occidens.

Christum in crucem actum occidẽtem spectasse. 378
Opes, quære Diuitiæ.
Opera misericordiæ, quære Misericordia.
Oppidum, quære Pagus.

Orare, vide etiam Petere.

Salubriter oraturus perpendat, quis, qualis, quantusq; sit, ad quem orationem dirigit. 435
Vt quisq; affectus est, ita orare solitum esse. 350
Quomodo semper orandum secundùm Gerso. Orig. Gloss. & alios. 362
Horum autem Theologorum assertionem cum veritate constare non posse. 363
Qui continuò, vel sine intermissione rectè orare dicantur. 364
Semper orandum, sicut semper gaudendum. ibidem.
Quando præcipuè sit orandum, ita vt peccetur, si orationi non vacetur. 365
Quid sit inter orandum multum loqui. ibid.
Orantium concursum orationis vires augere. 374
Proiis, quos certò constat esse beatos, vel dãnatos, non esse orandũ. 395
Mente se destitutos ostẽdere, qui orare malum, aut peccatum esse docent. 461

Oratio.

Orationis animam ieiunium, ieiunij verò vitam misericordiam esse. 3
Ad omnes animi morbos sanãdos plurimum valere orationem. 12
Perfectam orationem tres conditiones deposcere. 353
Nulli adulto citra orationem salutem contingere. 359
Orationem propriè non esse virtutem, sed virtutis actum. 347
Neq; vt virtus sit, omnium statim præstantissimam fore. ibid.
Esse actum latriæ vel religionis. 347
Trifariam accipi. 348
Intellectus & voluntatis actum includere. ibid.

Pro-

Propriè practicæ rationis opus esse. (349
Oratiõis in suas partes deductio. 350
Orationum aliam bonam, aliam malam esse, & cuiusmodi sit vtraque. 351
Aliam rursum publicam, aliam priuatam esse. ibidem.
Orationem liberam non facilè posse aut nimis longam, aut nimis contractam esse. 361
Triplex precum Ecclesiasticarum genus esse. 368
Orationis vires summatim exponuntur. 380.381
Omnis omnino oratio aut viua est, aut mortua, aut mortifera. 381
Orationem ad tria valere. ibidem.
Non omnem meritoriam orationem semper quoque impetratoriam esse. 384
Iniustorum orationem non esse superuacaneam, sed multorum bonorum causam. 385
Orationem per viam solutionis plùs prodesse singulis, si paucis applicetur. 409
Orationem per viam meriti congrui, aut per modum liberalis cuiusdam impetrationis ex æquo prodesse posse multis & paucis. 410
Quomodo oratio vitium contrahat ex obiecto siue modo. 412
Tres plerunque in oratione personas inter solam orationem ad salutem sat non esse. 444
Quæ salutem impediunt, citra orationis præsidiũ ægrè propulsari. 457
Plures causæ cur in diuinas personas oratio non conueniat. 498
Nemo quantumlibet in peccato obstinatus in hac vita orationis præsidium negligere debet. 510
Oratio familiariùs dirigitur ad Deũ, vt Deus est, quàm vt Pater vel Filius vel Spiritus sanctus est. 515
Oratio bifariam ad aliquem dirigitur. 519
Cuiusmodi orationis cuiusque ferè sit scopus. 542
Non omnes preces Ecclesiasticæ ad Scholasticam amussim sunt confectæ. 543
Earum quoque rerum causa salubriter orari, quæ certò euenturæ sunt. (545
Quo orationis genere vtendũ ad profligandum peccatum in Spiritum sanctum secũdùm quosdam. 548

Oratio Dominica.

Orationem Dominicã excedere omnes alias, quodcunq; tandem spectare lubeat, adeoq; omnium præstantissimam esse. 368
Nihil iustè peti posse, quod non comprehendat, atq; ita fœcundissimam esse. ibid.
Sapientissimo ordine digestã esse. 369
Tum pro rerum pondere breuissimam quoq; esse. 370
Causæ diuersæ, cur oratio Dominica sit succincta. ibid.

Quemuis Christianum orationẽ Dominicam discere debere. 371
Licere interim alia, quàm orationẽ Dominica vti. ibid.
Nihil à Deo petere fas esse, quod ad aliquam Dominicæ orationis partẽ reduci non queat. 371
Orationem Dominicam cæteraq; eiusmodi vernacula lingua rectiùs tradi idiotis, quàm quauis alia ignota. 372

Oratio mentalis.

Mentali orationi vocalem salubriter adiungi. 357
Quid mentalis, quid item vocalis sit oratio. 350

Oratio mortua.

Orationem mortuam ex gratia sæpe impetrare & pœnarum debita expiare. 384

Oratio prolixa.

Cauendum ne orationis prolixitate incidamus in tædium. 362
Cur pagani et infideles prolixa oratiõe Deos suos inuocabant. 366

Oratio priuata.

Orationem priuatam, solo mentis actu constare posse. 356
Plures esse causas, quæ priuatam orationem vocem nõ deposcere ostendunt. 357
Priuatæ orationis mensuram incertam esse, publicæ autem orationis mensuram esse legẽ Ecclesiæ. 361
Preces priuatas vbilibet fundi posse. 373
Priuatam orationem latiùs patere, quàm publicam. 456
Priuatæ orationis debitum ex triplici fonte nasci. 457
Priuatam orationem vocẽ, aut aliud externum signum necessariò non exigere. 459

Oratio publica.

Orationem publicam solo interno mẽtis actu absolui non posse, & quare. 355
In publicis, & præsertim in liturgicis precibus bifariam peccari. 356
Publicam orationẽ ea verborum forma persolui debere, quæ ab Ecclesia præfinita est. 367
Preces publicas pro rerum necessitate vbique locorum depromi posse. 372
Publicas preces diuinum cultũ ornare, et proximum ædificare. 376
Cantus publicæ orationi, vt publica est, non repugnat, sed multis modis in eam quadrat. 483
Tripartitum publicæ orationis munus. ibidem.

Oratio existentium in purgatorio.

Preces eorum, qui detinẽtur in purgatorio, neq; meritoriæ neque propriè quoq; satisfactoriæ sunt. 505

Orare pro aliis.

Duo tantùm hominũ genera, pro quibus orandum. 539
Qua lege proximum diligere obligemur,

mur, eadem quoque tenemur pro eo orare. 540
Vtile & salutare est, pro aliis orare. 541. & 546
Pro certò beatis non licet orare. ibid.
Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, & quare. ibid.
Salus plerorumq; hinc emigrantiũ nobis est incerta, adeoq; pro omnibus defunctis salubriter oratur. 542
Nullo modo pro iis orare licet, quos communi Ecclesiæ iudicio constat esse damnatos. 542
Quò spectent orationes, quas Ecclesia pro iis fundit, de quorum salute dubitare videtur. 545
Non omnibus semper prosunt suffragia, etiamsi gratia destituti non sint. ibidem.
Pro omnibus viuentibus, quantumlibet obstinatis orandum esse. 546. & 550.
Etiam illis piorum orationem prodesse posse, qui certò perituri creduntur. 549
Quo animo orandum sit pro mandanis vel infidelibus, vt salui fiãt. ibid.
Ecclesia pro omnibus hominibus orat, sed non ordinariè pro omnibus publicè. 550
Preces publicas certo ordine & pondere debuisse præscribi. 468

Oratio vocalis.

Vocalem orationẽ rudibus & idiotis apprimè necessariam esse. 358
Vocalem orationem secundùm se absolutè ad salutem necessariam non esse. 358
Qui mentali oratione vti non possunt, aut ad vocalem orationem obligati sunt, vocaliter orare debent. 359
Quando vocali, quando rursum mentali oratione vtendum sit, ita certa regula tradi non posse; sicut nec illud quoque, vtra altera sit vtilior. 360

Ordinatio.

Solennibus ordinationibus iam inde ab Apostolorũ ætate ieiunia præmissa fuisse. 214
Sacram ordinationem Sacramentum esse. 215

Ordo.

Ob vnum aut alterum ignauum, vel improbum toti ordini monastico bellum indicendum non esse. 117
Citra legitimum ordinem nihil esse posse perpetuum. 467

Oriens.

Quare orientem versùs oretur, plures causas extare. 378

Otium.

Vitiorum omnium matrem & nutricem esse otium. 81

P.

Pagus.

Non minùs exteros diuites inficere pagos & ciuitates, quàm pauperes. 86
Non omnes pagos nec oppida omnia suos pauperes alere posse. ibid.

Laudandas ciuitates, quæ egenis ciuibus liberam mendicandi potestatem faciunt. 64

Paganus, quære Gens.

Panormitanus.

Panormitanum Diui Thomæ sententiam non satis assecutum esse. 52

Papa.

Papam Episcoporum Episcopum, & Iesu Christi in terra Vicarium esse. 264

Parabola.

Quid Dominus per parabolã de villico indicare voluerit. 119

Pater. Parens.

Patresfamiliâs, qui ieiuniorum tempore ea familiæ administrant, per quæ ieiunium soluitur: tum illos rursum, qui citra necessitatem ea onera familiæ imponunt, quæ ieiunia nõ ferunt, soluti ieiunij reos constitui. 303

Ante omnes pascendos esse parentes. (127

Pars.

Totum ex suis partibus simul sumptis constari. 325

Orationis membra, quæ Apostolus assignat, orationis partes esse verius, quàm orationis membra. 353

Passio.

Dominicæ passionis series paucis comprehensa. 472

Cur preces Canonicæ passionis Christi partibus sint accõmodatæ. 472

Quid singulæ horæ cum singulis passionis Christi partibus commune habeant. 473

Pastor.

Quæ deposcãtur ad verũ pastorẽ. 268

Patria.

Non omnibus, vt maximè velint, in patria hærere licere. 87

Patriæ consuetudini se cõformare suas esse, modò eiusmodi consuetudo legi non sit contraria. 326

Paula Romana.

Paulæ Romanæ in horis Canonicis consuetudo. 476

Pauper. Egens.

Triplex pauperum genus esse. 76. 34

Vt nunquam desunt opibus affluentes, ita nunquam quoque deesse pauperes. 42

Non omnium spontaneorum paupertũ eundem esse scopum. 76

Inuitos pauperes non eiusdem rationis omnes esse. 77

Cuiusmodi dicẽdi sint extremè pauperes. ibid.

Extremè inopes frequentiùs comperiri in priuatis ædibus, quàm in publicis vicis aut plateis. 77

Triplex pauperũ inuitorũ genus, et triplicẽ item necessitatẽ inueniri. 78

Cuiusmodi sint, q inter inuitos et spõtaneos pauperes mediũ obtinẽt. 78

Pauperũ egenorũ alios exteros et ignotos, alios indigenas et notos esse. ibi.

Quemuis egentẽ à quouis habente vitæ præsidia petere posse. 86

Magis

Magis egentes minùs egentibus in eleemosynarum distributione anteferendos esse. 94
Citra publicum ærarium pauperibus domi manentibus commodè prospici non posse. 95
Plura incommoda experiri pauperes, qui publico sumptu domi aluntur. ibid.
Multa ibi perire, vbi nulli sunt pauperes, qui cibum publicè quærunt. 96
Impotentiam pauperes, cæterosque omnes, quos debilitas grandior tenet à ieiunio excusare. 330

Paupertas.

Paupertatis gradus non consistere in individuo. 78
Apostolicam paupertatem secundùm se licitam & vtilem esse, innumera illustrium Sanctorum exempla ostendere. 109
Multa esse, quæ paupertatis incommoda augent. 126

Pax.

Magis placere DEO *pacem domesticam, quàm eleemosyna ab inuitis extorta.* 59

Peccatum.

Prolapsionem in peccatum tria præpedire. 11
Pertinacem in eodem moram tria itidem. ibid.
Graue peccatum esse, ministros domus inducere, vt qualicunque de causa dominis suis suffurentur. 63
Inter causas ad peccatum prouocantes, primas tenere carnis concupiscentiam. 129
Non esse peccatum ea tractare vel tolerare, quæ vitam sua natura abbreuiare nata sunt. 167
Non leue peccatum esse, indictum ieiunium violare. 209
Sodomæos & Gomorrhæos inter primæ notæ peccatores censeri. 263
Peccata non tollere Episcopatus ordinem, aut aliam quamcunque Ecclesiasticam vel politicam dignitatem. 267
In quouis peccato contra proximum commisso DEVM *magis offendi, quàm hominem.* 293
Peccata malè ieiunantium vel non ieiunantium non oriri ex ieiuniorum lege, sed ex praua hominum voluntate. 313
Triplex peccatorum genus esse. 381
Quid sit peccatum ad mortem. 40
Cur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur, cùm sæpe tamen remittatur. 547
Non peccant, qui priùs mori, quàm Deum offendant, exoptant. 557

Peccare.

Nunquam licere peccare. 152
Quicunq; peccant, contra præceptum aliquod peccare. 295
Omnem semper prænaricatorem in aliquam legem prænaricari. 297
Grauiter peccare, qui ad soluendū ieiuniū alios efficaciter inducūt. 302

Magis interdum peccare, qui ad peccatum pertrahunt, quàm qui peccatum committunt. 302
Non peccare, qui peccatis obstricti Deum inuocant. 414
Non eandem peccantium & peccatorum Deum inuocãtium rationem esse. 415

Pelagius.

Pelagianorum doctrinam orationis necessitati contrariam esse. 454

Peregrinus.

Non esse nimis anxiè in peregrinorum vitam, vel statum inquirendum. 88
Peregrinorum pauperum censores nõ viles, aut inclementes, sed graues & misericordes esse debere. 89

Peregrinatio.

Triplicem esse peregrinationis rationem, & triplex ad loca pia peregrinantium genus, qui omnes à ieiunio absolui queant, si simul ieiunare & iter facere non valeant. 333

Perfectus. Perfectio.

Minùs perfecta ad perfectiorum obsequium & vsum ordinari. 137
Nullum mortalium in hac vita ad summam vnquam perfectionem peruenisse. 317
Nullam item perfectionem tantam esse, quæ hominem liberet à maiorum obedientia. ibid.
Nullam iustitiam, aut perfectionem absoluere hominem à lege ieiunij. 337
Ad vniuersitatis perfectionem non solùm necessaria, sed etiam contingentia & libera pertinere. 450

Periculosus.

Periculosum esse vel modicum pauperum causa parentibus, vel dominis clanculum subducere. 63

Persequor.

Præ cæteris illorum oratio auditur, qui iniuriarũ immemores pro persequentibus & calumniantibus erant. 419

Persona diuina.

Cùm vna persona seorsum ab altera inuocatur, mens ab orationis consortio alterã excludere non debet. 516
Errant qui facilius aliquid ab vna quàm ab altera persona impetrare se posse putant. 517
Ecclesia oẽs personas in vna eademq; oratione plerunq; coniungit. ibid.
Cur Ecclesia modò ad hanc modò ad illam personã orationem dirigat. 518

Petere.

Quod licitè petitur, id licitè quoq; donari. 116
Piè non petere, qui per Christum non petit. 438
Quinam sint illi, qui inter orandum dicantur aliquid petere. ibid.
Cur Deus petita non semper concedat, sed quæ dare vult, sæpe differat. 440
Quicquid comprehendit oratio Dominica, hoc totum licitè peti. 441
Omnia quæ honestè petuntur, ad duo capita referri possunt. 552

Bonum

Bonum quod iustè petitur, generatim est bipertitum, absolutè tale, & secundùm quid eiusmodi. ibid.
Ea omnia à Deo licet petere, quæ citra peccatum licet desiderare. 554.
Ea, citra quæ præsens vita constare nõ potest, absolutè petere licere. ibid.
Non omnium moralium virtutum vsus rectè semper petitur. 555

Pharisæus.

Cur Pharisæorũ leges & cõstitutiones à Christo fuerint reprehensæ. 289

Pius. Pietas.

Quid sit piè, iustè, & sobriè viuere. 4.
Quid inter hæc intercedat. ibid.
Inter eos, qui pietatis opera obeũt, plurimum intercedere, quare pietatis titulo non omnes à ieiunij lege eximi. 333
Orationis pietatem latè patere. 439

Pius quintus.

Pij quinti Bulla contra eos, qui horas Canonicas citra causam recitare omittunt. 482

Podagra.

Podagram inedia & mensæ frugalitate sanari. 319

Pœna.

Non omnem semper pœnã vnà cum noxa aboleri. 1
Causæ cur non omnis semper pœna cũ culpa condonetur, plures. 2
Pœnam, vt pœna tantùm est, non expiare. ibid.
Non licere priuata authoritate eam pœnam inferre, quam alius iustè promeruit; aut clanculũ subducere vni, quod alteri iure debetur. 57
Maioris momenti rem esse promereri vitam æternam, quàm redimere pœnam temporariam. 243
Pœnas, quæ ieiuniũ temerè soluẽtibus irrogantur, illud sub præceptum cadere, manifestè ostendere. 296

Pœnitens.

Pœnitenti in propria causa fidem habendam, nisi de oppositò constet. 50

Pœnitentia.

Pœnitẽtia sacerdotis in fornicationem prolapsi. 195

Possidere.

Malè possideri, quod legitimè non dispensatur. 44
Quæ redundant, dispensare iubemur, non possidere. 45
Quæ iniustè non possidentur, etsi turpiter acquisita sint, ea salubriter in eleemosynam erogari. 74
Quædam malè parari, quæ tamen non iniustè possidentur. 119

Potentia.

Vt potẽtiæ et animæ vires secernũtur per actus, ita actus per obiecta. 10

Præceptum.

Ea omnia cadere sub præceptum citra quorum obseruationẽ proximi dilectio salua consistere non potest. 29
Præcepta, quæ iubent, pro circumstantiarum qualitate obligare. 33
Non omnia licita suaque natura salutaria & bona, esse etiam præcepta. 104

Præ-

Præcepta, quæ aliquid fieri vetant, toties noxam adducere, quoties soluuntur. 176
Non parum intereſſe inter naturalis & humani iuris præcepta. 180
Finem præcepti, aut legislatoris ſcopum, ſub præceptum non cadere. 81
Difficile fore præcepto ſatisfacere, ſi legislatoris mens in præceptum caderet. ibid.
In quouis præcepto humano extrinſecè quiddam admiſceri, ad diuinum vel naturale ius pertinens. 292
Ieiunij partes ſub p̃ceptum cadere. 296
Veteres Chriſti exemplum, vel factum ſtatuti vel præcepti nomine familiariter deſignare. 298
Orationis præceptum multis quidem caſibus obligare, potiſſimùm tamen in tribus. 458

Prædicans.

Inexhauſtas vulgi prædicantium ſordes eſſe. 267

Præferiæ, quære quatuor temporum ieiunium.

Præſtare.

Id aliis præſtare obligamur, quòd iure nobis ab aliis præſtari vellemus. 31
Sũma eorũquæ ieiunia præſtant. 244
Quemuis mdicto ieiunio id præſtare debere, quod poteſt, quodcunque tandem illud ſit: Ab eò autẽ, quod non poteſt, remiſſionem vel relaxationem impetrare. 335

Præuaricatio, quære peccatum.

Prandium, quære cœna.

Preces, quære oratio.

Presbyter, quære clericus.

Prouidentia.

Diuinæ prouidentiæ ordinẽ & ſeriem nullius orationis vi fruſtrari, aut impediri poſſe. 445. *Quotquot diuinam prouidentiam negant, aut liberum hominis arbitrium impugnant, orationis neceſſitatem è medio tollere.* 448. *Aliquot graues rationes oſtendentes diuinam prouidentiam.* ibid. *Quò quisquam primo principio vicinius eſt, eò diuinæ prouidentiæ rationem plenius participare.* 449. *Quo ſenſu Deus peculiarem hominis prouidentiam habere dicatur & peculiariſſimam electorum.* ibid. *Diuinam prouidentiam, neq; rerum contingentiã neq; humanæ voluntatis libertatem tollere.* 449

Proprium.

Perſonæ proprium alterius fieri poſſe quoad vſum. 48
Multum intereſſe, propriùmne domus tanquam Dominus, an alienum tanquam miniſter. 63

Proprietas.

Rerum proprietatem cum monaſtico inſtituto pugnare. 112

Proximus.

Quidquid egenti proximo impenditur, id nobis quodammodo impendi. 18
Quo caſu proximi vitam propriæ liceat anteferre. 34

Vitam

Vitam proximi ex charitate diligendam. 35
Animam & salutem proximi propriæ vitæ anteponendam. ibid.
Pro proximo in salutis periculo constituto, si alio modo eum iuuare non possumus, orare obligamur. 458
Quomodo citra peccatũ hostem in bello iusto perimere liceat, etiamsi illum interiturum certò constet. 551

Psalterium.

Psalterium in publicam Dei laudem à Spiritu sancto dictatum. 487

Puer.

Pueros cæterosq; rationis vsura destitutos abalienare non posse. 55
Impotentiam pueros & iuuenes infra vigesimum annum constitutos à ieiunio absoluere; sed non simpliciter. 328
Cuiusmodi ieiunia pueris, cæterisque ad iustum corporis robur & incrementum nondum adductis sint præfinienda. 329

Purgatorium.

Prò animabus, quæ detinentur in purgatorio, orandum esse. 396
Theophylactus de purgatorio. 544

Purus, quære mundus.

Q.

Quadragesima.

In Quadragesima à carnibus, cæterisq; delicatioribus escis abstinendũ. 151
Tum ab omnibus illis, quæ à carne originem trahunt. ibid.
Seuerum cõtra eos decretum editum, qui diebus Quadragesimæ carnibus vescuntur. 151
Quæ escæ conueniant abstinẽtiæ quadragesimali. 152
Quadragesimam agonis tempus esse. ibid.
Non esse hominis Christiani, citra necessitatem in Quadragesima carnibus vesci. 170
Quadragesimæ ieiuniũ in magna semper veneratione & obseruantia apud veteres habitum. 201
Quid Quadragesimæ nomine accipiatur. ibid.
Per Quadragesimæ ieiunium anni decimas Deo persolui. 204
Veteres non eodem ritu, modo & tempore Quadragesimam celebrasse. 204.205
De Quadragesima & paschate Irenæi ætate, non paruam controuersiam extitisse. 205
Falli qui beatũ Gregorium quatuor priores dies Quadragesimæ adiecisse opinantur. 206
Qui in Quadragesima nõ ieiunant, pœnam sensuros. ibid.
Telesphori sanctionem de Quadragesima anticipanda non obtinuisse. 207
Tempus Quadragesimæ, militiæ Christianæ tempus esse. 209
Magnam vim fructumq; esse ieiunij quadragesimalis. 210

In Quadrageſima abſtinendum à coniugalibus amplexibus, vigiliisq; & orationibus vacandum. ibid.
Quadrageſimam Apoſtolica inſtitutione conſtare. 211
Quadrageſimæ ieiunium ad dignam ſacramenti Euchariſtiæ ſuſceptionem ordinari. ibid.
Nihil circa Quadrageſimale ieiuniũ obſeruari, quod iuſtam cauſam nõ habeat. 113
In Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſſe. 300

Quæſtus, quære lucrum.

Quatuor temporum ieiunium.

Non idem omnium de quatuor temporum ieiunio, eiuſdemq; origine iudicium eſſe. 213
Ieiuniorum quatuor temporum vmbram in veteri Teſtamento extitiſſe. ibid.
Plurimum intercedere inter quatuor temporum ieiunia, quæ nunc celebrant Chriſtiani, & quæ olim celebrabant Iudæi. 214
Non vno ſemper tempore ieiunium, quod tertio quoquo menſe recurrit, celebratum fuiſſe. 216
Quo ſenſu Calixtus Pontifex Maximus ante ætatem ſuam tria tantùm ieiunia extitiſſe aſſerat. 218
Ieiunium quatuor temporum antiquiſsimum & communiſsimum eſſe. 219
Quatuor temporum ieiunia circa præcipuas ſolis conuerſiones vbique ſemper obſeruata fuiſſe. ibid.
Dies ieiuniorum quatuor temporum duodecim Iudæorum Neomenias, totidemque minores ſolis mutationes vtcunque exprimere. 220
Cur quatuor temporũ ieiunia in tres dies porrigantur. ibid.
Per quatuor temporum ieiunia Deo nos primitias offerre, ſicut per Quadrageſimam decimas. 221

Præferiarum ſeu Vigiliarum ieiunium.

Cur præferiarum ieiunia appellentur Vigiliæ. 221
Non eandem vbique vigiliarum & feſtorum rationem obtinere, & obtinuiſſe. 223
Vigilias feſtorum feriæ ſecundæ, præcedenti Sabbatho celebrandas eſſe. 224
Ius commune plurium Vigiliarum non meminiſſe, quæ tamen ob populi conſuetudinem æquè obligẽt, ac cæteræ. 225

R.

Ratio.

Humanam rationem in multis ſæpe caligare. 92
Præcepti rationem latè patere. 258
Non eſſe cuiuſuis de legis ratione iudi-

iudicare, sed legislatoris præcipuè. 276
Insulsam illorum rationem esse, qui Ecclesiæ ministris liberum relinqui volunt, precésne Canonicas soluant, aut omittant. 478
Duplicem rationem reddi posse, cur quadragesimale ieiunium diuinitus institutum dici queat & soleat. 299
Rationem practicam bifariam accipi. 349
Rationes aliquot efficaciter ostendentes bona opera, quæ in Ecclesia Dei fiunt, communi quadam ratione non solùm iustis prodesse, sed etiam iniustis & peccatoribus. 407

Rechabitæ.

Admirabilem Rechabitarum obedientiam & continentiam extitisse. 145
Rechabitarum obedientiam egregia mercede fuisse pensatam. 146

Recito.

Tres vniuersè causas esse, propter quas preces antè recitatas repetere necessum est. 431

Regula.

Quo sensu huius vel illius ordinis, cœnobij, vel monasterij regula obligare dicatur ad peccatum, vel ad illud non obligare. 278

Religio.

Religionem virtutem esse iustitiæ annexam. 341
Duplices extare religionis actus. ibid.
Christianam religionem maiorem curam deposcere quàm quodcunque negotium politicum. 465

Religiosus, quære monachus.

Reprobare.

Cùm Deus aliquem reprobat, aut reprobare dicitur, bifariam id intelligi potest. 548
Deus neminem reprobat citra præuisum peccatum. 549

Res. negotium.

Res graues examen deposcere, leues non item. 61
Res sua natura indifferentes, quæ expressè non inhibentur, concessas videri. 142
Quæ rem circumstant, magnam vim habere. 355
Vnamquamq; rem suam sortiri vim, suamque operationem. 379
Quære plura titulo, bonum.

Respublica.

Quemuis quoad eius fieri potest, Rẽpub. indemnem conseruare obligari. 40
Vt in vno corpore varia sunt membra, quæ sibi inuicem seruiunt, ita in vna Repub. diuersa esse munia & officia, quæ toti communitati vsui sunt. 101

Restitutio.

Quod per modum eleemosynæ erogatum est, restitutioni obnoxium nõ esse. 37

Absolutè miseros citra vllam restitutionis pactionem sublenari debere. 39
Modica extremè laborantibus ex vitæ superuacuis impensa restitutioni obligata non videri. 40
Quid de earum rerum restitutione statuendum, quæ extrema vrgente necessitate inscio Domino ablatæ fuerant. 41
Qui per vim vel fraudem occupata in extremè miseros insumunt, non liberari à restitutione; multò verò minùs, qui mutuum vel depositum. ibid.
Quidquid iniusto titulo possidetur, dũ condonetur, vel persoluatur, restitutioni obnoxium esse. 54
Grauiter passim in restitutionis & eleemosynaria materia errari. 68
Nullo modo ab iniustitia adeoque restitutione excusari posse, qui diuites quouis modo expilant vel defraudant, vt pauperes subleuent. 70

Rex.

Salubriùs orari pro regibus cæterisq; in potestate constitutis, quàm pro priuatis. 421

Ritus.

Qui bis interdiu, aut carnem manducant, illos ritu Ecclesiastico non ieiunare. 191
Ieiuniorum ritum & modum monachis in Turonensi Synodo definitum, maiorem hoc tempore partem in dissuetudinem abiisse. 197

Roma.

Romæ in aduentu Domini quondam fuisse ieiunatum. 197

Rudis.

Rerum rudes & imperitos consultiùs facere, si antè composita oratione inter orandum vtantur, quàm si extemporaria. 436

S.

Sacerdos, quæreclericus.

Sacrificium. Victima.

Sacrificium Deo placiturum ex rebus vtilibus constare debere. 142
Sacrificia victimásue humanas nefarias, Deoq; apprimè exosas semper fuisse. 134
Nullum sacrificium citra orationem constare. 351

Sacrificare.

Citra facultatem & grauem necessitatem nulli bis vno die sacrificare fas esse. 173

Salus.

Posse illum salutem suam licitè procurare, & illius causa rogare, cui Deus damnationem denunciasset, vel interminatus esset. 415

Samuel.

Princeps sacerdotum Samuel. 256

Sanctus.

Non totum semper sanctum & imitabile, quod facium Sancti. 170

Paucis humanis legibus opus fore, si omnes essent sancti. 294

Sancti.

Sancti gloria cœlesti iam potiti, & pro se & pro aliis quoque orant. 505

Beatorum Spiritus gratia & gloria cum Angelis communicat, natura non item. 523

Plus volunt & possunt modò Diui in cœlo, quàm olim Patres in limbo. 525

Sancti piè inuocati, æquè internas atque externas voces diuina quadam vi excitati percipiunt. 535

Sancti diuina claritate illustrati, quicquid quouis modo ad se pertinet, clarè per illam lucem cognoscunt. (ibidem.

Quo sensu Sancti cæteriq; beati dicantur tristitia affici. 536

Sanctifico.

Quid sit sanctificare ieiunium. 248

Sanctorum inuocatio, vide Inuocatio.

Sanitas.

Sanitatis matrem ieiunium esse. 319

Satisfactio.

Quid satisfactionis nomine designetur. 1

Triplex satisfactionis genus esse. ibid.

Christi satisfactionem cumulatè haberi. 1

Duo ad salutarem satisfactionem necessaria esse. 2

Efficacem satisfactionem, præter gratiã, deposcere opus sua natura molestum. ibidem.

Ieiunia à confessario iniuncta præ cæteris satisfactoria esse. 241

Omnia ieiunia, nisi impedimentũ adsit, satisfaciendi vim habere. ibid.

Si ieiunia pœnitentibus iniuncta non essent verè satisfactoria, Ecclesiã in re grauj filios suos manifestè ludificaturam. ibid.

Ieiunia sponte suscepta pœnarum expiatoria & satisfactoria esse. 242

Satisfacere.

Non idẽ esse satisfacere, quod mereri, tametsi omne opus meritorium simul quoq; sit satisfactorium. 7

Non esse maioris operæ mortem vel cladem aliquam per ieiunia redimere, quàm Deo pro peccatorũ reliquiis satisfacere. 243

Saturitas.

Saturitati coniunctam esse lasciuiam. 228

Scientia.

Scientiam parum sapere ædificare. (116

Scriptura.

Scripturæ phrasi ea assiduò fieri dici, quæ crebrò fiunt. 364

Scripturas & sacros Canones de corporis gestibus & cæremoniis, quas inter orandum adhibere oportet, pauca præscribere. 377

Quo sensu & modo Scripturæ, quarũ in Ecclesiasticis officiis vsus est, ad ali-

ad aliquam orationis speciem referri queant. 437

Secta. Sectarius, quære Hæresis.

Senex.

Senes à ieiunij lege excusari, sed non omnes. 329

Senes sexagenarios plerosq; omnes à ieiunio liberos censeri solere. ibid.

Sententia.

Periculosam illorum sententiam esse, qui extra extremam necessitatem eleemosynam liberam dicunt. 42

Quo modo eorum sententia exponi debeat, qui Deum Sanctorum precibus flecti tradunt. 447

Patrum sententiæ & authoritates de iis, qui furantur vel fraudem faciunt, vt eleemosynam donent. 70

De admirabili eleemosynæ, ieiunij, & orationis vi, dum iunctio agmine incedunt. 4. 5. 6

De eleemosynæ vi & fructu. 19. 20 22. 23. 24. 25. 26.

De præcepto eleemosynæ. 30. 31. 32

De illis, qui docent, extrema tantùm necessitate vrgente eleemosynam obligare. 44. 45. 46

De ieiunio Quadragesimæ. 208. 209. 210.

De eorundem energia. 228. 229. 230. 236. 237. 238. 240.

De ieiunij sterilitate, si cæteris virtutibus & virtutum actibus destituatur. 248. 249

Variæ eorundem sententiæ de quatuor diebus, qui sex Quadragesimæ hebdomadis adiiciuntur. 204

De horis Canonicis. 474. 475. 476

Septem.

Plures rationes mysticas esse, cur publicæ preces in septem partes sint distributæ. 470

Septem horas canonicas propriis suis nominibus designare Synodum Agathensem. 477

Seruitus.

E durissima seruitute hominem per Christum liberatum esse. 281

Seruus, quære Ancilla.

Simonia.

Non eadem eorum esse rationem, quæ per simoniam, & quæ per vsuram accipiuntur. 71

Quod simonia peperit, hoc vel egenis impertiendum, vel iis certè numerandum esse, in quorum iniuriam expositum est. ibid.

Idem de eo statuendum, quod sacrilegium, quod contumelia Deo, Diuisue irrogata, cæteraq; similia peperêre. 71

Societas.

Societatem comprecantium orationis vim intendere. 420

Spectaculum.

Iucundum spectaculũ numerosos pauperum greges magnatum ianuis assistere, ciboque & potu recreatos non absque gratiarum actione recedere videre. 97

Spiri-

Spiridion.

Spiridionem ſtatis tantùm Quadrageſimæ diebus cibum ſumere fuiſſe ſolitum. 170

Spiritalis.

Quò oratio eſt ſpiritalior, eò plerunque eſt efficacior. 420

Spiritus ſanctus.

Quo ſenſu Spiritus ſanctus pro nobis orare vel interpellare dicatur. 498

Cur eidem potiùs tribuatur deprecatio vel interceſſio quàm aliis perſonis. 499

Status.

Statui ſuſtinendo neceſſaria neminem in vulgares pauperes erogare obligari. 34

Ad ſtatum tuendum neceſſaria cum ſolutionis vel reſtitutionis pacto, iis, qui abſolutè miſeri nõ ſunt, impendere licere. 40

Statui neceſſarium non conſiſtere in puncto, ſed in quadam ciuili latitudine. 50

Status decentiam, & eleemoſynæ rationem latè patere. 53

Per media licita ad ſublimiorem ſtatum contendere, nefas non eſſe. ibi.

Quæ ſtatus honeſtas depoſcit, in vulgares pauperes exponere nullum obligari. 67

Statutum, quære Lex.

Statio.

Quid ſtatio propriè. 194

Sumptus.

Quod à ſumptu redundat, violenter detentum videri. 44

Quod ad quotidianum ſumptum vel victum neceſſarium non eſt, id illi impendendum eſſe, qui neceſſariis vitæ præſidiis deſtitutus eſt. ibid.

Superfluum.

Non eſſe facilè de perſonæ ſuperfluo ſententiam ferre. 49

Superuacanea poſſidẽtes extra extremam neceſſitatem nulli certo eleemoſynam dare obligari. 80

T.

Tabernaculum.

Quomodo diuites per pauperes tranſmittantur ad æterna tabernacula. 400

Templum.

Templa pij cuiuſdam monitoris munere fungi. 375

Temporalia bona.

Chriſtus temporariorum curam aut conquiſitionem non prohibet, prohibet autem curam de iis rebus nimis anxiam & quare. 556

Tentatio.

Deum non tentare, qui fluxis fortunæ bonis propter Chriſtum ſe exuunt. 110

Tepor. Tepidus.

Teporem orationis per ſe non eſſe peccatum, niſi tantus ſit, vt neceſſariæ circumſtantiæ omiſſionem includat. 422

Quis

Quis dicendus sit calidus, quis item tepidus vel frigidus. ibidem.

Terra. Terrenus.

Deum pro terrenis cœlestia, pro modicis magna, pro tẽporalibus sempiterna reddere. 23

Terrena seruando amitti, largiendo seruari. 26

Ante peccatum terram inaratam fructus fudisse. 101

Testamentum nouum.

Noui Testamenti ieiunia omnia ab Apostolis vel illorum successoribus ad nos defluxisse. 261

Tetricus.

Tetricos morososque homines perrarò deuotos esse. 346

Totum, quære Pars.

Traditio.

Apostolicas traditiones non minùs obligare, quàm Synodorum Canones. 174

Tristitia.

Tristitiam, quæ secundùm Deum est, semper cum gaudio coniunctam esse. 346

V.

Vagor. Euagatio.

Non modò illos peccare, qui in oratione data opera vagantur, verùm illos quoque, qui incidentem euagationem cùm possent, non comprimunt. 427

Valor.

Quorundam sententia triplicem cuiusq; pij operis valorem esse. 405

Quod de communi, proprio, & medio orationis valore asseritur, magnis difficultatibus expositum esse. 409

Orationem generatim acceptam trifariam valere, per modum meriti, solutionis, & impetrationis. (381

Venatio. Venator.

Veteres Patres nullũ venationis genus laudare. 75

In multis magnisque venationibus difficulter euitari peccatum. ibid.

In Scripturis sacris nullum inueniri sanctum venatorem. 73

Ver.

Causæ cur Quadragesima ineunte Vere celebretur. 113

Vesper, vespera, quære Nox.

Vestio.

Qui nudum vestit, seipsum induere. 21

Victima, quære Sacrificium.

Vigiliæ, quære quatuor temporum Ieiunium.

Vinum.

Vini vsum rarò vniuersè prohibitum fuisse etiam ieiuniorum tempore. 172

Nazaræis & tabernaculo deseruientibus vini potu interdictum fuisse. 146

Sectis addictos eorundemq; ministros corporis & sanguinis Christi loco, merum

merum panem & vinum distribuere. 466

Virtus.

Virtutem suis partibus & circumstantiis destitutam, virtutis rationem assequi non posse. 118
Virtutis medium non esse sumendum secundùm quantitatem, sed secundùm rectæ rationis dictamen. 305
Omnem virtutem inter extrema medium tenere. 46

Vita.

Lege ordinaria neminem vitam suam pro alterius vita impendere obligari. 67
Grauius esse in alterius vitam inquirere, quàm in alterius statum. 91
Eò vitam mortalium extitisse diuturniorem, quò vitæ luxus extitit minor. 166
Diuturnæ vitæ causa ante diluuium. 318
Qui orationem suam vult exaudiri, vitã suam emendet oportet. 417

Viuus. Viuens.

Vt certum est, viuorum preces viuentibus prodesse posse, & multum sæpe profuisse, ita non satis compertum esse, quomodo quáue via vel ratione prosint, illis præcipuè, quibus studio non applicantur. 397

Voluntas.

Sat nõ esse ad salutem bonam voluntatem, si adsit operis copia. 121
Omnem rectam voluntatem à Deo fluere. 291
Voluntatem humanam bifariam in Deum ferri, absolutè & relatè. 369
Non bene illum orare, qui suam voluntatem compertæ Dei voluntati submittere recusat. 415

Votum.

Cur plura vota edantur in rebus aduersis, quàm in prosperis. 344
Iephte votum nõ satis cõsultum extitisse. 139
Castitatis voto obstrictum, omnem viam ad Veneris cõmercium sibi præclusisse. 178
Qui vltroneo voto vini potu sibi interdixit, toties peccare, quoties vinum bibit. ibidem.

Vox.

Viuam vocem occultam quandam energiam sortiri. 357

Vsus.

Ieiunia non maiorum tantùm institutione, sed perpetuo quoque vsu niti. 296
Vsum leguminũ ieiuniorum tempore frequentem in primitiua Ecclesia extitisse, & apud Græcos etiamnum extare. 322
Legitimus vsus propter abusum non tollendus. 497

Vtilis.

Non omnia vtilia ad salutem necessaria esse. 442

VXOR.

Non eandem dandæ eleemosynæ facultatẽ esse penes vxores, liberos, & famulos. 59
Vxorem nulla habere bona, quæ eleemosynæ materia esse nõ queãt. 61
Secluſa extrema egestate; vxorem nec dotem, nec dotis partem, nec dotis fructus in eleemosynam conuertere posse. ibidem.
Ex bonis Paraphernalibus in eleemosynam erogare posse quantum, & quando velit. 60
Quæ propria industria acquisiuit in pauperes insumere non prohiberi. ibidem.
Ex bonis communibus cõmunes eleemosynas largiri posse. 61
Vxorem viri sociam esse, non solùm ad sobolis procreationem, verum etiam ad rei domesticæ administrationem. 61
Vxores maritorum tenacitatem, liberalitate in pauperes compensare debere. ibid.
Vxores, quibus bonorum administrationem quacunque de causa commissa est, liberè eleemosynas dare posse. 61
Quæ causæ vxores ieiunare alioqui valentes, à ieiunij obligatione absoluant. 334

FINIS HVIVS INDICIS.

ERRATA, quæ in contextum irrepserunt, sic corrige.

Pagina 13. lege eos. 128. operi. 29. atqui. 31. spiritalis. 33. indicat. 35. sustentent. 38. transferret. 47. absolutè. 49. eiusdemq; 52. efficerentur. 63. vt Eleazaro Damasco Abrahami. 80 notum. 82. introitu. ibid. Pagos &c. 83. exilium. 90. commentitiorum. 92. scrutare. 96. obsoletam. 103. Sacramenta. 121 benignissimus. 135. deponitor, 138. censetur. 140. At verò. 153. credulitatem. 159. cadit. 178. prima. 213. consummationem. 238. contemptus Dei, temp. 295, acratismo. 253 quàm procul. 255. diurnum. 261 Quod ij. 274. iussum. 376. adferretur. 280. hinc. 291. & practica. 292. indices. 296. institutione. 313. violatum. 342. idoneæ. 364 instas. 365. numina. 399. ponat 405. proprius. 413. conuitiis. 426. distinctione. 429. conquestione 458. tanto magis. 465. pono hic. 480. qui. 531. cateches. 16. & 5. mystag. 544. Bulgariæ. 476. quot. 483. ritu 486. continebatur & inculcabatur. 490. recordamur.

Quæ verò in marg. annot. ad hunc modum.

Pagina 45. lege summi bon. ibid. seruatur. 179. interdicit. 182. post Christum natum. 188. accommodata. 251. basis. 274. noxa. 280. indicium. 237. Daniel. ibidem &c. Cætera, quòd pauca & leuia sint, lectoris iudicio permittimus; fieri enim vix potest, vt interdum non litera aliqua interuertatur, aut virgula vel comma aliquod non desideretur, aut redundet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


TV
Th
2781